Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

kW
235 Elzevier
A. 28 A. 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28


kW
235 ~~Ulrumiet~~
A 28 ~~A. 10~~

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28



CASPARIS BARLÆI

POEMATVM

EDITIO NOVA,

Priore caſtigatior et altera parte auctior.

Cum Privilegio.

LVGDV. BATAV.
Ex Officina Elzeviriana
ANNO CIↃ IↃC XXXI.

Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Nobiliſſimo, Ampliſſimo, doctiſſimoq; viro,

D. CORNELIO vander MYLE, Equiti, Domino in Myle, Dubbeldam, Bleskensgrave, Antonis-polder, Alblas, &c.

CASPAR BARLÆVS S. P. D.

PRodeunt iam ſecundùm ſub nominis tui auſpiciis Poëmatum meorum libri, ſed luculenta acceſſione aucti, & prioribus caſtigatiores. Ex quo enim primum ea edidi, loquacem me valde fecerunt publica Patriæ commoda, & feliciſſimi rerum noſtrarũ ſucceſſus. Poëtarum eſt, teſte Ariſtotele, imitari; nec poëſis aliud, quam concinna rerum quarumlibet imitatio. Dum ergò Batavi pugnamus, urbes ſubruimus, maria infeſtamus, claſſes diripimus, domi foriſque terribiles ſumus, adfui omnium imitator ſedulus, & numeris poëticis incluſi res cœlo ac terra, Oriente toto ac Occidente disiunctiſſimas. Iam ultra Atlanticum mare raptus, in Cubæ littoribus cum Argonautis noſtris ſteti, & anhelantes ſpe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

prædæ animos, mox pugnaces, inde rapaces dexteras, illam habendi famem, illam auri ſacerrimã ſitim, illud gloriæ in ducibus ſtudium, illos exultantis populi applauſus, qua potui, ſuis coloribus expreſſi. Et cum veriſſimum ſit, intellectum id omne fieri, quod cogitat, etiam ipſe naves conſcendere, per foros diſcurrere, operta recludere, rapere & convaſare obvia quæque mihi viſus fui. Nec enim ſuavius eſt amantibus ſuum ſomnium, quam Poëtis ſuum, & quas res parcius illos poſſidere vult ſcæva illa Dea, earum vel ſola cogitatione frui volupe eſt ipſis. Quam ob cauſam Socrates in Phædro poëtarum & amantium inſaniam inter præcipua bona collocavit, quod ſola mentis agitatione felicißimi ſint. Argonautarum laudibus defunctus, Veſaliam, velut nocturnus aliquis Diomedes, furtim ingreſſus fui, & inter ſpem ac metum poſitus, hîc, attonitis cuſtodibus, una ſtupui: illic inter laxantes clauſtra Sinones promovi operas: alibi cum cataphractis adventans nutantem urbis fortunam occupavi. Per ſalebras & dumeta noctu inceſſi, foſſas ſubii, perrupi ſepimenta, mœnia conſcendi, iam portas, iam forum, iam templa, iam urbem univerſam, iam caſtella Rheno ac Lippiæ impoſita, armis tenui. Omnia dum fingẽdo imitor, omnia factus ſum, miles, dux,

victor,

victor, victus, iam ſpoliis inſignis Iberûm, iam excuſſis Cæſareanorum ſcriniis Cappadocum rex. Succeſſit grande obſeſſæ ac victæ Sylvaducis argumentum, in quo eundem quoque habitum indui, cum tanti operis auctoribus. ita tamen, ut dum modo in obſidentium, modo in obſeſſorum me formas verto, nihil præterquam poëta fuerim. Eſtque hoc novum ac proprium huic arti metamorphoſeos genus, ut dum Peliden, Neſtorem, Thelemachum, Penelopen, Æneam, Turnum exhibet μιμητὴς vates, ubique tamen poëtæ characterem agnoſcas, & inter mendaces vultus veram effigiem hominis cum ratione inſanientis. Nam ut furentium certa ſigna ſunt, non vultus, non color unus, audax oratio, præceps gradus, flagrantes oculi, corpus concitatum, ita & poëtarum eadem ſigna ſunt. Nec potui profecto tot tantiſque partis victoriis carminum eſſe parcus. Ideoque latius diffudi Principis noſtri laudes, cuius magnanimitatem, fortitudinem, in adeundis periculis prudētiam, in bellis conficiendis velocitatem, præſens hæc noſtra ætas ſuſpicit, futura mirabitur. Etiam, ac ſi parum eſſet res domi geſtas decantaſſe, in alio Orbe, quem in Critia à Platone deſcribi quidam arbitrantur, inter Olindæ expugnatores, me quoque principibus Achivis permixtū agnoſco,

 & dum

& dum tantarum rerum momenta & cauſas exequor, furore poëtico Martium incēdo, & in media irruens tela, lituos, claſſica, tympana Apollineis cantibus intendo. Sequimur, quocunque abit, victorem populum, & qua præit fortiter agendo Auriacus noſter, It iuxta lateri vates. ne ſine teſte ac præcone res gerat poſteritatis memoriâ digniſſimas. Ita ad quodvis argumentum publicum, quod ſummi Numinis Clementia obtulit, ſaliit mihi mamilla, & pruriit iſta divinioris auræ particula, ut quieſcere nequiverim, etiamſi voluerim quam maximè. Nempe hæc amabilis inſania me iam vexat, hæc Corydonem tuum cepit dementia. ut omnino ſufflamine mihi opus ſit, ne dum feror fervidius, langueſcam tandem, aut ridendus ilia ducam. Non ſemel voto me obſtrinxi, uti in poſterum ſilerem, & aliis illam lampada traderem. ſed redii iterum atque iterum ad ingenium, ut quod de Amore pronunciavit Horatius, ego de hoc ſtudio verius dixerim,

Quæ ſaga, quis me ſolvere Theſſalis
Magus venenis, quis poterit Deus?
Vix illigatum me triformi
Pegaſus expediet Chimæræ.

Subiit etiam aliquando animum meum rerum terrenarum faſtidium, & poëticam vim experiri libuit in dicendis Servatoris

noſtri

noſtri I. Chriſti laudibus, ne, à quo ſolo hauſimus hanc ipſam facultatem, ingrati ſilentio præteriiſſe credamur. Præſertim cum & Gentilium poëtarū, Homeri, Callimachi, Theocriti, Heſiodi ea fuerit in deos ſuos pietas, ut relligionis ſuæ ἀκρωτήριον eſſe putaverint, ἐκ Διὸς ἄρχεσθαι. Atque hinc factum, ut aliis atq; aliis additamentis creverit poëmatum opus, uſque adeò, ut iam mole ſua laborare incipiat. Totum in tres partes diſtinxi, quarum prima Heroico carmine decurrit, ſecunda Elegias habet, tertia miſcellanei generis verſus. Pudor eſt, citharœdum circa eandem chordam oberrare. eſt & poëſi ſua harmonia & μελοποιΐα, quæ non minus, quam Muſica, & numerorum diverſitatem & modulos diſcrepantes amat, ut ex diſſonis vocibus ſymphoniam fabricet, & diſcordiam laudabili concordia componat. In veſtibus placet varietas, placet in ſuppellectile, in libris, in cibo & potu, & nullibi non. Placet eadem poëtæ, ne aut epici carminis perpetua gravitate ſeveritatem induat ſibi moleſtam, aut elegiarum facilitate ac ſuavitate diffluat: aut Iamborum brevitate, veluti cohibito ſpiritu, concidat. Tibi verò vir Nobiliſſime doctiſſimeque, hæc ocioſæ mentis commenta inſcribo, quia nulli convenientius poſſum. Cum enim animum illum tuum contemplor,

non aliis ſolummodo ſtudiis, ſed & huic, quod iam elegimus, impenſè deditum, non mihi viſus fui ulli congruentius hoc munus dedicaturus, quam N. T. Vt nihil de præclaris tuis in Rempublicam & Academiam hanc meritis dicam, quæ tuo patrocinio tuta in illud excrevit faſtigium, ut totius Europæ ſcholas literarũ honore, ſtudiorum famâ ac doctiſſimorum virorum celebritate poſt ſe relinquat. Quin & æquum putavi, ut quem totum iampridem poſſediſti, eius quoq; literarios fructus in ſolidum porrò poſſideres. Vale vir Magnifice clariſſimeq;, & poſthac non à Rheni, ſed Amſtelæ ripâ ſcaturigines poëticas expecta. Lugd. Batavor. prid. Cal. Maii cIↄ Iↄc xxxi.

Nobiliſsimo Viro

D. CORNELIO vander MYLE, Equiti, &c.

MAgne vir, & Batavi celebris tutela Lycei,
Quo duce Palladię floruit artis honos:
Qui genus & proavos claris virtutibus anteis,
Et laudem doctæ nobilitatis habes:
Accipe ſed facili Parnaſſia munera vultu,
Innocuumque tui protege vatis opus.
Si Venetûm ſpectaſſe patres regumque tiaras
Laus fuit, & magnos viſere Borbonios;
Iamque ſerenatâ Princeps tibi fronte Batavus
Annuit, & tantos pergis amare Deos:
Hoc precor: ut, voces inter Regumque Ducumque,
Cum Muſis etiam ſit tibi cura loqui.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Perioche

LIB. I. HEROICORVM.

HYmnus in Chriſtum. pag. 1
Britannia triumphans. 27
Manes Auriaci. 43
Panegyrica Gratulatio ad Illuſtriſsim. Principem Fredericum Henricum, &c. 55
De ejuſdem Præfectura Panegyris. 75
Carmen Euchariſticum ad Illuſtriſſ. Penbrociæ Comitem. 85
Manes Bavari. 90

LIB. II.

ARgo Batava. 97
Veſalia capta. 108
Panegyricus ad Principem. 113
De obſidione Sylvæ-Ducis. 126
Epiſtola Ameliæ, aliaque. 155
Olinda capta. 164

LIB. III.

VEnus Batava, ſive in Nuptias Nobiliſſ. Viri D.D. Ioannis à Matheneſſe, &c. 171
In Equum Nobil. viri Godefridi de Haeſtrecht. 179
Epicedium Iani Rutgerſii. 185
Epithalamium in Nuptias Conſtantini Hugenii. 194
Propempticon ad Barones Cigan. &c. 201
Ad Conſtantinum Hugenium febricitantem. 205
Ad Apollinem pro reſtituta eidem valetudine. 208
Laudatio Hortuli. 212
In præfecturam Academicam Petri Cunæi. 219
Panegyris Operum Gerardi Voßii. 223
Epicedium in obitum Snellii. 249
Ad Matthiam Overbequium. 233
In Nuptias Adriani Blyenburgii. 236

Venus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Venus ἀναδυομένη. 244
Ad Ill. Molinum querela. 250
Propempticon ad Foppium Aiſſema. 254
In Tragœdiam R. Honerdi. 257
Ad Mariam Schuurmans. 259
In honorem Iacobi Volmari philoſophi. 261
In libros Gerardi Thibautii de Gladii uſu. 267
Querela Lucretiæ. 269
Oratio Scævolæ ad Porſennam. 272
Oratio Veturiæ ad Coriolanum. 274
Oratio Catilinæ. 276
Epithalamium in nuptias Petri C. Hooft. 279
Propempticon ad Iohannem Schoterbos. 283
In honorem Winardi Rutgerſii philoſophi. 287
In obitum Mariæ de Ionge. 290

LIBRI ELEGIARVM
Sacrarum I.

Elegia de Creatione mundi. 294
Adamus peccans. 298
Oratio Caini occiſo fratre Abele. 301
Oratio Noachi ad mundum diluvio periturum. 303
Oratio Abrahami è Chaldæa abeuntis. 307
Oratio Abrahami filium Iſacum immolaturi. 309
Oratio Ioſephi ad Potipharis uxorem. 311
Oratio eiuſdem ad fratres. 314
Oratio Iephthæ filiam immolaturi. 315
Epiſtola Ammonis ad Thamaram ſororem. 317
Reſponſio Thamaræ. 320
Iobi querela. 322
Oratio Danielis in lacum leonum detruſi. 326
Iuditha è caſtris redux, interfecto Holoferne. 329
Oratio matris Iudaicæ. 331
Rachel plorans Infanticidium Herodis. 333
Elegia in Nativitatem Chriſti. 338
Scazon in Præſepe vagientis Chriſti, ad Buchelium. 342

Elegia

Elegia ad Chriſtum in cruce pendentem. 345
Oratio Iudæ Iſcariothæ, ſuſpendium ſibi parantis. 347
In adſcenſum Chriſti in cœlos, ad Buchelium. 351
Elegia de Iudicio extremo. 353

LIBRI ELEGIARVM II.

AD Godefridum de Haeſtrecht. 358
Ad Iacobum Dyckium Burchgravium. 361
Ad Georgium Plaſsium, medicum Harlemenſem. 363
Ad Iacobum vander Burch & Ioannem Broſterhuyſium. 366
Ad Iohannem de Ioncheer, Iuriſconſultum. 369
Ad Iacobum Petitium, Sponſum. 370
Ad Balduinum Hamæum Anglum, Medicum. 371
In obitum Thomæ Erpenii. 373
Proſopopœia mortis in P. Pauvvium, Anatomicũ. 375
In Anum nubere parantem. 377
Ad Conſtantinum Hugenium è caſtris reducem. 379
Ad Hugonem Boxelium, philoſophum. 380
Ad Matthiam Overbequium. 381
In nomen uxoris Barbaræ. 384
In nuptias Iohannis Bor, medici. 386
Ad Iacobum Petitium Iuriſconſultum. 390
Ad Quirinum Cankebeer I. V. Doctorem. 391
In Mauſoleum Guilielmi Auranſiorum Principis. 393
Ad Molinum. 394
Ad Bonifacium. 395
Ad eundem, 397
In Satyram. 399
In hiſtoriam Pontani. 400
In hiſtoriam Petri Bor. 401
In diſputationem Arnoldi Beaumontii. 402
Ad Thomam Honerdum. 403
In diſputationem de Hydrope. 404
In honorem Fr. Voſsii. 405

LIBRI

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Scazon ad Ill. Dudlæum Carleton. 408
Scazon ad Laurentium Reael. 411
Scazon in Poëmata Hugonis Grotii. 414
Scazon ad Conſtantinum Hugenium. 418
Scazon in obitum Everardi Vorſtii, profeſſoris. 420
Scazon in Diatribas Scholaſticas Theodori Schrevelii. 422
Scazon ad Iſacum Doreſlaum. 426
Scazon ad Leonardum Sypeſteyn. 427
In Senecam ad Petrum Scriverium, Iambi. 429
Ad Godefridum de Haeſtrecht, Iambi. 431
Ad Arnoldum Buchelium, Hendecaſyllabi. 435
In honorem Iohannis Bodæi à Stapel, Medici, Iambi. 438
Oda ad Ioſephum Vorſtium, I. V. Doctorem. 441
In Poëmata Conſtantini Hugenii, Iambi. 454
Epigrammata. 453
Encomia *urbium præcipuarum Hollandiæ.* 456
Elogia Poëtarum. 475
Ænigmata. 477

Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Ad Clariſs. Virum

CASPAREM BARLÆVM,

Poëmata ſua edentem.

Μηκέτι νῦν φιλόμουσε σοφὰν ῥυθμίξας ἀοιδὰν,
Ἔλπεο τὰς Μούσας ἐξ Ἑλικῶνος ἄγειν·
Μηκέτι Παρνασσὸν περιδέρκεο, μηκέτι Πίμπλαν,
Μηκέτι Κασταλίας ἔννεπε μοι λιβάδας.
Χηρεύει τάδε πάντα. λόγοι μόνον· οὐκ ἔτι δήεις
Πιερίδας, κρήνης ἀγχόθι Πηγασίδος.
Βαρλαίῳ δὲ τοι ἦλθε συνέστιος αὐτὸς Ἀπόλλων,
Καὶ Χάριτες, κοῦραι δ' ἔξοχα μναμοσύνας.
Ἦν δ' ἀπιθῇς, σελίδεσσι μέλη πνείοντα κιχήσεις
Φοίβου, καὶ Μουσέων καὶ τριάδος Χαρίτων.

Iuſtus Rijckevvaert.

Casparis Barlæi

POEMATVM

PARS PRIMA,

Continens tres libros Heroicorum.

Lib. I. Heroicorvm.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Invictiſſimo, Potentiſſimoque Regi

LODOVICO XIII. IVSTO,

Henrici Magni filio, Galliarum & Navarræ Regi Chriſtianiſſimo.

REgia Borbonii ſoboles, qua ſoſpite dudum
Belga ſibi facilem credidit eſſe Deum;
Sceptriferis illuſtris avis, illuſtrior armis,
Et rarum Aſtręa judice nomen habens;
Quam celebrat Bellona ducem, Pax laudat inermẽ,
Et cui tot terræ, tot famulantur aquæ:
Non tibi barbaricum potantia vellera ſuccum,
Aut mea Sidonias pagina donat opes. (mor,
Non, Indus quod mittit, ebur, quod Dalmata mar-
Quæque gravem placant maſcula thura Iovem.
Non bellatrices aquilas, captivaque bello
Oppida, non victo carbaſa rapta mari.
Nos Chriſtũ, *Lodovice*, damus, Regemq; Ducemq;,
Nomina nominibus non aliena tuis.
Maxima quin cupio dum mittere, maxime Regum,
Quo nequeo majus mittere, mitto Deum.

HYM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

HYMNUS IN CHRISTUM.

CHRISTE, patris magni ſoboles; quem nulla creavit
DextraDeum, potuitq; Deus genuiſſe, ſed æqua
Majeſtate parem; tunc, cum flammantia nondum
Lumina labentem veherent mortalibus annum,
Et Chaos, innumeros avidum confundere vultus,
Diſplicuit deforme ſibi, tenebriſque profundum
Horruit, & ſpiſſa latuit caligine Nereus:
Erige me, dum ſiderei ſpatia invia mundi,
Lucentemque globum Lunæ, ſuſpenſaque celſis
Atria fornicibus, nulli calcanda profanis
Templa ſupergradior pedibus. Tu prime ſalutis
Inventor, patriique Deus monſtrator Olympi,
Adſis, ô Rex magne, favens. ſequar optime ductor
Quò vatem tua fata trahent: ſive æthere in alto
Imperii conſors habitas; & grande Creator
Naturæ moderaris opus: ſeu juſſa Parentis
Exequeris veneranda tui, noſtraque Redemptor
Valle ſedes, miſeriſque paras vadimonia terris:
Seu totum Phlegethonta domas, ipſoſque furentis
Irruis in Ditis thalamos, & Tartara magno
Oſtentas captiva Patri: ſeu digna laborum
Præmia, & antiqui repetens faſtigia regni,
Aëreos ſupra tractus, & nubila, vaſtum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Conſiliis latè fulcis ſapientibus orbem.
Magne Deus, tu cuncta unus primordia rerum
Antevenis; tu ſecla, dies, ac tempora neſcis,
Seclorum venerande parens. non terminus ævi,
Principiumque tui eſt. tu magno à lumine lumen
Deſcendis, de patre Deus. nec honoribus illi,
Nec regni ſplendore minor. tibi nulla coruſcum
Obſcurat caligo decus; nec fracta fatiſcit
Fatorum natura minis. tibi fœta bonorum,
Parturit hæc eadẽ, bonitas: animumq; perennem
Vis immenſa ſubit. tibi rerum præſcia mentis
Illuſtrat mens ipſa jubar, diffuſa per omnes
Temporis articulos, & quæ longinqua trahentur
Ætatum ſpatia, & venientum facta nepotum.
Tu numen cœleſte,potens, venerabile, ſanctum,
Virtutis menſura tuæ, divortia mundo
Magna facis, cœlumque colis, dignoſque penates
Terrarum rectore tenes; ubi clara poteſtas
Emicat, & geminos princeps dimiſſus in axes
Tot paſſim delubra vides, ſacrataque ſanctis
Atria nominibus. tantis ſed ſedibus olim
Ipſe prior, vaſto fueras Deus unus inani,
Nondum operi diſcrete tuo. tibi ſola beato
Sufficiens tunc vita fuit, non indiga noſtri,
Non opis externæ cupiens. tu ſolus ubique,
Soli aderas, immenſe, tibi; Deus undique,& unus,
Sed nondum tunc rector, eras. Iam cuncta ſalutis
Volvebas momenta meæ, mundique labores:
Quò ruerem peccator homo, quo gratia ſtaret
Fixa gradu, quantis ruerent primæva periclis
Federa, quæ tantam repararent funera cladem,
Placaret quæ cura Deum. tunc victima terris,
Tunc vindex decretus eras, & debita fato
Progenies, culpæque meæ præcognitus obſes.
Iam tum ſupplicium ſceleri, ultoreſque parabat
Flagitiis mens iſta dies. jam cultor honeſti

Prævia

Prævia divini capit argumenta favoris,
Et placuit donanda Fides; crimenque piandum,
Et ventura ſalus à te ſuſpenditur uno.
Tunc poteras feciſſe aliquid, quod velle voluntas
Noluit, imperioque ſtetit frenata poteſtas,
Arbitriique modus; donec ſe fudit in actus
Libertas ſpatioſa Dei, grandemque per orbem
Explicuit varios rerum Sapientia vultus,
Lætaque præclaris Bonitas eluxit in auſis.
  Principiò terras, ſuſpenſaque mœnia mundi,
Æterno cum Patre, creas. tu conditor adſtas,
Et jam naſcenti das incunabula cœlo,
Immenſi conſors operis. ſublimia ſurgunt
Atria, cœlicolûmque lares, & regia primùm
Autorem capit iſta ſuum. diducta per omnes
Majeſtas auguſta locos venerabilis illa
Sede habitat, totumque ſuo fulgore coruſcat
Numen, & illuſtri dictat nova jura theatro.
Ipſe chorus Cherubinorum, Seraphinaque latè
Agmina, adorandi circùm ſubſellia Regis,
Expectant, quò juſſa vocent, dominoq; miniſtrans
Obſequio ſe quiſque probat. pars pſallere docta
Æterni Genitoris opus, rerumque celebrat
Grande rudimentũ: pars, quæ facienda ſuperſunt,
Arcano ſermone ferunt: pars cardine in iſto,
Pars alio mandata refert. ſtupet omnis, & horret
Turba Creatorem, pavidoſque à lumine vultus
Abdit prona ſuos. tantus tu teſtibus atras
Diffindis luci tenebras, caligine flammas
Eximis, & laxo ſuſpendis in aëre terram,
Impavidus quò vergat onus. Tibi fundit ab ortu,
Sed nondum Sol feſſus equos, medioque ſub axe
Inſuetus tantorum operum, curſuſque viæque
Occaſum præceps metuit. non viderat illum
Tarteſſus, Gadeſque ſuæ, non laverat undis
Oceanus, gremioque exceperat Amphitrite.

Cynthia nocturnos ducit per ſigna jugales,
At fratri debere dolet. ſua cornua nondum
Senſerat, innumeraſque vices. nec tramite certo
Phœbæos illi tellus inviderat ignes,
Aut umbris ceſſere faces. non lumine pleno
Æquorei tumuere ſinus, Thetiſque remiſſo
Detumuit, littuſque procul poſt terga reliquit.
Tunc quoq; diſtinctam ſtellis radiantibus æthram,
Erranteſque Deos, & tot tibi numina ſubdis,
Sed nondum tunc aſtra Deos. ſtant ſidera caſtris
Quæque ſuis, nuſquam gelido propiora Bootæ
Vlla meant, nec Spica humilem deflexit ad Auſtrũ.
Non regit Argolicas Helice conſpecta carinas,
Non Tyrias Cynoſura rates. non veſpere claro
Heſperus auratæ Veneris præſederat aulæ,
Aut thalamis genialis erat. mox pontus & æquor
Incubuit terræ gremio; dominumque tridentis,
Oceanumque patrem, tempeſtateſq; ſonoras
Pertimuiſſe aliquis poterat, ni rector aquarum
Objectis pelagi rabiem frenaſſet arenis,
Et ſibi præſcripto Triton adſueſceret alveo.
Antè oculos tunc phoca tuos immania ſtravit
Corpora, & in mediis vituli luſere marini
Fluctibus; & quaquaverſum ſua flecteret ora,
Audacem nuſquam piſtrix innoxia Tiphyn
Vidit, & intrepidam dentes defixit in Argo.
Tunc magni patuere ſinus. ubi Perſa ſuperbas
Vectat opes, ubi Erythræas ſcrutatur arenas
Dives Arabs, rapiduſque ingentia flumina Ganges
Evomit; aut multo ſitiens ſe proluit auro
Indus, & ardentes Carteia ſeparat Afros,
Et Calpen Abylæ divellit montibus unda.
Ionii latrant fluctus. adverſa Charybdi
Scylla fremit, tumidis Aquilonibus Adria ſurgens
Verberat Auſonii latus implacabile dorſi.
Concreſcit Scythicus glaciali ſidere pontus,

Caſpia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Caſpia ſtagna jacent, Ægæo murmure Thracum
Regna ſonant, Helle Euxinum ſeſe abdit in æquor,
Boſphorus in Tanain. vaſtas longinqua paludes
Mæotis bibit. hinc Boreales Balthica fines
Thetis habet, clauſumque alibi Scritofinnia potat
Oceanum, & longis damnatus Lappo tenebris.
Irrigat Aſſyrios Euphrates fertilis agros,
Armeniam Tigris, Cyproque adverſus Orontes
A Libano deducit aquas. Memphitica tellus
Accipit undanti turgentem gurgite Nilum,
Et ſeptemgeminis crocodilum faucibus edit,
Venturum populo numen. Tu fontibus Iſtrum
Excis, Chriſte, tuis, & per ſpacioſa vagantem
Pannonii rapis arva ſoli. nec juſſa morantur
Viſtula, Volga, Nicer, Rhenus, placiduſq; Viſurgis,
Sequana, piſcoſuſque Liger, rapiduſque Garumna,
Nec tunc Romulidûm Mavortia mœnia ſcindens
Albula, nec pontem tunc indignatus Araxes,
Auſonioſq; Duces, nec adhuc Phaëthonta miſertus
Eridanus, nec Pellæo tunc cognitus Indus.
Ipſa Arethuſa novas ſubterlabentia terras
Flumina Sicaniis aperit, propriiſque reflexus
Occurrit Mæander aquis. O quanta laboris
Cernere das monumenta tui, faſtigia cœlo
Æmula, nubiferas Alpes, & Pelion altum,
Riphæoſque apices, & qui ſuffulciat Atlas
Sidera, Pyreneſque jugum, & frondentis Olympi
Culmina, & aërii nemoroſa cacumina Pindi,
Et nondum Enceladi fumantem afflatibus Ætnã,
Fœdera cum Superis tellus facit. æthera Veſtæ
Conciliat robuſta manus. nova bella perenni
Corpora pace gerunt. coeunt æterna caducis,
Inque vices mors, vita fluunt. genuiſſe, periſſe eſt,
Et rurſus, periiſſe, ſalus. Quæ gratia primi
Veris erat, quali luces fulſere ſereno,
Cum primũ arboribus venit vigor, umbra cupreſſo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Decidit, occulti nemorum patuere receſſus,
Hercynii ſaltus, cum frondifer Apenninus
Extulit excelſum caput, & ſeſe abdidit aſtris.
Tu terræ lætas ſegetes, glandeſque caducas
Elicis, & tenera magnum das cernere in herba
Numen. odoratis Hyblam & fragrantis Hymetti
Iugera conſpergis violis. jam prata Sabæis,
Et Cilicum redolent meſſes, Panchæaque rura,
Taygetuſque virens. Tibi ſolo concita nutu
Donat equos, nullo tellus percuſſa tridente,
Donat apros, vaſtiſque pares elephantibus hydros,
Et Peluſiaco nondum quæ mugiit Iſim
Littore. te mandante ſui ſecurus aratri
Taurus adeſt, trepidæque futurus portitor Helles,
Primaque Marmaricis tigris ſtat mitior agris.
Nec minus inſolitis concentibus aëra complet
Aligerum genus, & variis garritibus almos
Perſonat Auroræ thalamos, dominumque ſalutant
Vocibus attonitæ volucres, quas ſtagna Paduſæ,
Quas Atheſis, quas Arnus alit, quas unda Cayſtri,
Eridanique fovent ripæ, vel Mincius amne
Excipit. at nuſquam viduatus compare turtur
Ingemit ad ſociæ tumulum, non Daulias ales
Plorat Itym, necdum Ledæos vatibus artus
Diſſimulans dictavit olor. per nubila vecti
Oſtentat ſe quiſque tibi, laudeſque creantis
Ingeminant, primoſque probant te judice cantus.
Tandem, ubi ſexta dies nitido proceſſit ab ortu,
Qui terras, pelaguſque regat, rerumque capeſſat
Imperia, & docto flectat moderamine mundum,
Aſpexit natura virum. dat gleba decorum
Majeſtate caput. totus cui militet æther,
Adſpectat ſua regna pater, lateque patentis
Frena ſoli, faſceſque capit. Tu, Chriſte, ſtupendum
Magne opifex moliris opus, tu numinis umbram
Humana ſub carne tegis, ſummique refulgens
Exemplar

Exemplar cupis eſſe Dei. ſtat clarus in orbe
Terrarum moderator, Homo. quem ſpiritus unus
Intus alit, cunctoſque potens diffuſa per artus
Mens agitat, varioque latens ſe munere pandit.
Non ſpectata oculis, fatorum erepta periclis,
Interituſque ignara mali; rationis, & æqui,
Virtutumque auguſta parens, venerabile cœli
Depoſitum, cui cœleſtes ſapientia curas,
Alternaſque vices rerum, verique recluſit
Arcanos doctrina ſinus. nondum ira rebellis
Spreverat imperium, nondum veſana libido
Traxerat averſam ſtudia in contraria mentem,
Aut ſuaſit prædulce nefas. non cauſa fefellit
Ingenium, non verba fidem; non luxus honeſtum
Diſpulit, aut faſtu ſtuduit calcare minorem
Ambitio. toto pietas proſcripſerat orbe
Infames ſcelerum vultus. non horruit inſons
Terra Deum, nondum pœnis celebrata Lycurgi
Laus erat, aut ſpretæ tenebroſo carcere leges
Damnavere reum. nondum perjuria Minos
Oderat, aut rigidi clamabant jura Solones.
Ipſa ſuis conſtans præerat Prudentia factis,
Et recti connatus amor. non regula vitæ,
Non probitas diſcenda fuit, non ulla pudoris
Arguerat ſontem facies, nocituraque mundo
Probra fuere palàm. tales ſperare nepotes
Nec difforme genus poterat, ſobolemque parenti
Degenerem. Tu præclaris nova federa pactis,
Magne creator, inis: hominemque affaris amicum,
Municipemque poli. tu vaſta palatia cœli,
Nec viſas promittis opes. tu mortis, & omne
Parcarum proſcribis opus, ſine finibus annos,
Perpetuoſque dies, æternaque ſecula donas.
At poſtquam Superorum odiis incanduit atrox
Dux Erebi, ſuaſitque ſcelus; librata voluntas
Faſque nefaſque inter, vetitos deflectit in actus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Et tanti, carpſiſſe, putat. corrumpitur orbis
Ad placitum ferale gulæ, ſubvertit honores
Luxurioſa fames, & tanta exorſa fatiſcunt
Conjugis imperio. ſpernit ſua fata ruentis
Fortunæ fabricator homo, probitaſque, fideſque
Exuitur, Stygiæque placent perjuria linguæ,
Et pomi maleſanus amor. ſua funera verſat
Inconſulta manus, manditque ſub arbore lethum,
Fatales ſub fructu epulas, ſub dente ſepulchrum.
Quò ruis? & de te naſcendum germen eadem
Involvis quoque ſorte, pater? cur noxia non eſt
Dextera ſola tibi? cur nobis quærit iniquos
Libertas nocitura cibos? & culpa parentum
Culpa mea eſt? cur me ſociato crimine raptas
In commune nefas? & rupto fœdere mundi
Arceſſis Phlegethonta tuis, mortiſque labores:
Et pacem & poſitas audax diſſolvere leges?
Non tibi jam ſolito ſubrident ſidera vultu,
Nec tibi felices audes promittere Soles.
Corrumpit ſacros veſana licentia mores,
Et mala confertim ſubeunt. metus inſtat eunti,
Creſcit amor, ſcelerumque labor. diſcordia, luctus,
Cura, fames, livorque ſui vexator & ultor
Ponè premunt miſerum. fauces laxantur Averni
Tartareæque domus, caligranteſque tenebræ
Exſpectant mortale caput. jamque invida terris
Aſtra nocent, terret flatu nimboſus Orion,
Littora tranſcendit pelagus, ſua munera tellus
Aſperat, & lolium ſterileſque extrudit avenas.
Ipſe inimica ſuo fundit de corpore ſerpens
Toxica, & immani noxas intendit hiatu.
Ante oculos ſtant fata tuos, & ſtamina rumpens
Atropos ingentes ſpumis furialibus iras
Colligit. æternæ ſpes indubitata ſalutis,
Cœleſtûmque favor juſto ceſſere furori.
Heu nimis ignavæ mentes, & prodiga tanti

Relligio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

elligio primæva boni, nec docta ſecundis
'emporibus ſervare modum. quàm neſcit eodem
tare diu fortuna loco. quàm quicquid in alto eſt
abitur, ingentemque trahit ſors magna ruinam,
Gaudiaque invitant celeres contempta dolores.
ic dum juſſa prior violas, & pacta reſolvis,
olvunt cuncta fidem: tibi nec debere putavit
e quicquam natura parens, quem negligit æther,
t faſtiditi refugit clementia cœli.
Hos inter caſus, primique incommoda ſecli
urſus, Chriſte, faves, & læto rupta Redemptor
'edera promiſso reparas, & grande malorum
'ulcis ſponſor onus; nec quam ſperare ſalutem
'as fuerat, ſperare jubes; cauſamque clientis
nduis ipſe tui, & pariter cum vindice, jam tunc
ncipis eſſe reus. cœli pacator & orbis
rigis exanimes, & magno languida luctu
Corda levas, lapſiſque cupis ſuccurrere rebus.
Tu ſoboles, tu ſemen eras, tu debita terris
Progenies, quam caſtra ciet pallentia contrà
Lurida Tiſiphone, quæ poſt ſua funera victrix
Surget, & exuvias ditis ſpoliabit Averni,
Vmbrarum, lethique potens. Te præſcia Chriſtum
Expectant tot vota Patrum, ſpectantque priorum
Natales cupida ora tuos. fit parvulus Iſac
Exemplum ferale tui. quæ ligna puellus
Bajulat, hæc tua ſunt, hæc ſunt morientis imago
Terrarum Domini. magno tua nota fuere
Sceptra ſeni, regemque ſibi deſpondet Iüdas.
Adſpicit effuſas, typici ſed ſanguinis, undas
Memphis, & innumeras inter ſolatia mortes
De te certa capit. toties quæ cædibus aræ,
Et centumgeminis fumant altaria tauris,
Supplicii ſunt ſcena tui. cur, magne ſacerdos,
Sacra facis? mediique ſubis penetralia templi?
Cur tibi ſecretos dirimit cortina receſſus?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Cur hac ſede latet Seraphim? cur balſama ſtillant
Veſtibus, & rutila gemmarum luce coruſcat
Pectus? & illimi toties adſpergeris unda?
Hîc vir, hic eſt, quem tota gravi ſub lege vetuſtas
Abdidit, & cœca involvit caligine Moſes.
Ille Palæſtinis oracula vatibus olim
Prodidit, arcanoque afflavit pectora motu:
Seque, ſuoſque obitus, & diræ præmia mortis,
Et genus, & patriam, & tanti miracula partus,
Immenſumque recluſit opus. ſtupet edita cœlo
Iſacidûm reſponſa domus. promittitur orbi
Oceani terræque pater, rabidumque Sibyllæ
Pectus & Euboicæ fundunt præſagia Cumæ.
Nec puduit cœli ſobolem, mundique parentem
Mortali mox carne tegi. fert pondera mater,
Autorem complexa ſuum. geſtatur in alvo
Materni faber ipſe ſinus. pars arctior orbis
Numen habet; capiturque loco, qui laxior omni,
Cuncta capit. Deus, ecce Deus, lux maxima mundi
Obſcura regione latet, ſcribitque penates
Mens immenſa ſibi, & ſpatioſo major Olympo
Iam fit matre minor. cunctis antiquior annis
Naſcitur, atque ſui primordia ſupputat ævi.
Immortale coit fragili, cœleſte caduco,
Et Deus in membris habitat, viſuſque creator
Ambulat, & vilis partem auguſtiſſima glebæ
Conſociat natura ſibi. ſpectatur in uno
Rerum ſumma viro: vaſtique extrema theatri,
Hinc cœli, hinc terræ dominũ complectitur infans.
Magne puer, tua cœleſti cunabula latè
Per populos præcone tument. te prævius anteit
Iſacidûm de gente nepos, cui ruſtica præbent
Mella cibos, & cruda parant alimenta locuſtæ,
Horridaque agreſtes circundant tergora pelles.
Talis mane diem & roſeos Hyperionis ignes
Aurea prægreditur roſeis Aurora capillis,
Venturumque

Venturumque Deum terris, plenaſque remiſſo
Teſtatur ſplendore faces. ſic regia juſſi
Numina præcedunt famuli, nec fulgida ſceptri
Majeſtas ſine teſte venit. præludia lecti
Sponſus amat, tædiſque præit gaviſa juventus.
Te naſcente ferunt ſupremi ante ora parentis
Angelicos luſiſſe choros, & carne latentem
Præſenſiſſe Deum; ſtellataque machina mundi
Proſcripſit ferale jubar. micuere ſecundo
Omine ſidereæ facies; dum pignora cœlum
Tanta ſibi promiſſa putat. ſua frigora fulgens
Ægoceros media voluit miteſcere bruma,
Et tepuit glacialis hyems. deceſſit Olympo
Arctophylax, fugit ſocia cum conjuge Cepheus,
Engonaſis, Perſeuſque ferox, & Pleias, & ipſe
Amphitryoniades; nec toto fabula cœlo
Vlla fuit, vatumque labor. ſub Principe tali
Non ultra ſtricto fulſit nimboſus Orion
Enſe ferox, paciſque Duci ſua ſubdidit arma.
Hoc naſcente, ſui jam tunc præſagus honoris
Intumuit Iordanis aquis. Galilæa futuros
Præcepit manſueta ſonos. Bethlemia riſit,
Heu luctus ignara ſui. melioribus undis
Aſphalti fluxere lacus, priſcique doloris
Immemores lætæ latices fudere paludes,
Et fœdos, puer alme, tibi preſſere vapores.
At Solymæ montes, & magno ſacra Tonanti
Templa, lareſque pii, & multo liventia tabo
Limina, Ieſſæa clarum penetrale tiarâ,
Adventu tremuere tuo. perculſa verendis
Aula puerperiis, & ſceptris æmula faſces
Extimuit veſana tuos. Tibi corniger Ammon
Conticuit, fallaxque ſuæ mendacia linguæ
Dedidicit. preſſere leves oracula Delphi,
Nec Lyciæ ſortes, inſanaque juſſa Deorum,
Non Carmenta ſagax, non Manto, & Pythia vates,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Deiphobe vivax, Dodoniadeſque columbæ
Invenere fidem. proſcriptis fraudibus orbis
Hoc veri doctore ſapit. Sed Tartara major
Terror habet, ſubiitque atros formido penates,
Et Phlegethontæus domino adventante tyrannus
Horruit, & timidis languens expalluit umbris.
Turbati manes Erebi, genteſque profundæ
Hoc altum ſiluere die, flagriſque remiſſis
Eumenides, magno compreſſæ pectora luctu,
Irarum ſtimulis formidatoque furori
Impoſuere modum. laxata licentia pœnæ eſt
Sontibus, & nullæ miſeros ſtrinxere catenæ.
Sancte Puer, non te facili lætata marito
Conjugii vis blanda dedit. te parturit æther;
Cœleſtûmque labor, totoque electa Sione
Virgo decens. tumuere ſinus, jam numine pleni,
Felicis Mariæ. ſic priſca labe carentem,
Nec jam ſervantem ſceleris veſtigia noſtri,
Fata dedere piis. toti pax reddita mundo
Adſpexit, qui grata ſuæ feret otia genti,
Æternæ pacis dominum. ſub Cæſare natus
Imperium regale capis, belliſque repreſſis
Bella paras; Stygioque moves nova prælia regi,
Dum Latio Bellona ſilet, dum Martius horror,
Iræque, inſidiæque, & vis ſcelerata nocendi
Ferratis frendent portis, & vincula mordent.
　Sed Vatem jam, Chriſte, vocas, qua pauperis aulæ
Hoſpitio contempte jaces. regnator Olympi,
Naturæ pater, & ſpatioſi gloria mundi
Sperneris, & tugurî congeſtum ceſpite culmen
Depoſitum tam grande fovet. penè exulat orbe
Orbis honos, tenueſque lares & limina ſervat
Majeſtas ſpecioſa poli. turgentia faſtu,
Et picturatis videas aulæa columnis
Surgere, quæ Pelopi Lydus, vel Perſia Xerxi,
Mauſolo regina ſtruit. regalia cingunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Pignora Sidoniæ chlamydes, & lucida gemmis
Surgunt ſceptriferis auguſta cubilia natis.
Sola pruinoſos ſoboles divina penates,
Paupertaſque colunt. Tyrio non murice pallæ,
Fulgentique croco redolent, nec vellera Serum
Involvunt teneros artus. ſua munera neſcit
Cunctarum donator opum. caret ætheris autor,
Quæ fecit, tribuitque, bonis: & juſſa parentis
Dum facit, obſequio regum poſtponit honores,
Diſſimulatque Deum. ſed enim cunabula longè
Chaldæi videre ſenes. Te ſenſit ab Ortu
Aſſyrius, Perſæque Magi. dant munera Reges,
Et præeunte ſagax Babylonius horruit aſtro.
Vberibus ſanctis Mariæ, charoque redemptor
Creſcis adoratus gremio. Te ſuſtulit ulnis
Mater, & haud vero porrexit ad oſcula patri.
Quin tua cœleſtes celebrant natalia turmæ,
Et votis adſunt Superi. ventura poteſtas
Claruit à pueris, & dum contemptior exis,
Imperii tot ſigna micant. ſit parvula Bethlem,
Sit deſpecta parens, vili involvaris amictu,
Crederis has inter ſordes auguſtior infans.
Ecce manus juvenum interea, pecorumq; magiſtri
Approperant, quibus inſolito ſplendore comarum
Innocuus collucet apex, & læta futurum
Promulgant oracla Ducem. Tot teſtibus heros
Naſceris, inque tuis coëunt præconia cunis.
Dictat vota ſenex: mediis tibi carmina templis
Anna fremit: poſitumque truci ſub lege ſacerdos
Vulnerat, & ſacris operans agnoſcit apellam.
Inclyta progenies, magnum Patris incrementum,
Quò patria tellure fugis? tibi deſtinat idem
Exilium, vitamque dies. num prævia ſorti
Præludunt hæc fata tuæ? cur ſceptra gerentem
Sceptra premunt? regumque furor vagitibus inſtat,
Armorumque minæ? per tot diſcrimina rerum
Pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Proveheris, magnique patris mandata capeſſis,
Nec ſine lege fugis. quantas Bethlemia clades
Spectaſti, miſerata tuæ tot funera gentis,
Inſonteſque animas, quæſitaque corpora letho,
Inſertoſque truces jugulis puerilibus enſes!
At tu, nate Deo, medios elapſe per hoſtes
Niliacos penetrare ſinus, atque intima tutus
Regna Phari poteras; longiſque erroribus actus,
Thariadæ veterumque premis veſtigia Patrum.
 Non mihi ſi latices Siloe, ſi porrigat Hebron
Pocula, ſi cunctis deſtillent collibus undæ,
Et vatem Dan ipſe riget, tua dicere facta
Suſtineam, caſuſque tuos. En pondere rerum
Obruor, immenſæque abſorbent carmina laudes.
Vix tibi biſſenis ætas defluxerat annis,
Argueret cum cura virum, ſubſellia myſtam,
Attonitaſque ſenum præcox facundia mentes
Duceret, & ſacris puerum Iudæa ſtuperet
Porticibus, moreſque tuo decerperet ævo.
Tunc poterat noviſſe Deum. nec vivida cœli
Vis ſufferre moras valuit. reſponſa daturus
Supplicibus divina venis, populumque labantem
Erigis, & lætis recreas affatibus urbes.
Tutaris ſermone reos: clementia verbis
Inſeritur manſueta tuis: non diſplicet hoſtis,
Diligiturque nocens: in nos peccantibus ultrò
Ignoviſſe doces. ſemper placabilis adſtas
Sontibus: inviſæ damnatur ſubdola linguæ
Gratia, & in ſegnes proclivia tempora luxus.
Vltoris rabies, & perſonata notatur
Relligio: plus illa placet, quam candor & inſons
Iuſtitiæ commendat amor: fecunda bonorum
Exigitur, non pigra fides. jam templa repurgas
Quæſtibus, & patulis inhiantem faucibus auro
Pellis avaritiam: perfuſa ſuperbia fuco,
Et levis ambitio, regnique inſana libido,
Imperiique

Imperiique furor ſancto proſcribitur ore.'
Ingenium, ſed mite, probas: ſolatia lugens
A te magna capit, nec tali judice cœlo
Paupertas inviſa fuit. felicibus inde
Auſpiciis duras conſtans patientia leges
Accipit, & precio gaudet contenta futuro.
Quicquid amat, poſcitque levis veſania mundi,
Officii ſpreviſſe tui eſt: ſi gaudeat ille,
Vis plorare pios: quod ſi ſuſpiria ducat
Triſtior, hos gaudere mones: quod credit honeſtũ,
Turpe putas; quod turpe, bonum. tibi charior eſſe
Qui cupiet, ſuus eſſe cavet: tunc vita paratur,
Cum præſens neglecta fuit: ſapientia, luctus,
Gaudia, divitiæ, regnum, pax, bella, triumphi
Iudicibus diſtant geminis. diſcrimina recti
Cum Superis natura facit. Te teſte beati,
Cum miſeris licet eſſe, ſumus; deſpectaque viles
Colla levant animæ, atq; inopes æterna coronant
Præmia, nec longo marceſcens laurea ſeclo.
Has cœli largiris opes, promiſſaque patris
Aſſeris intrepidus. paucis hæredibus æther
Scribitur: & quamvis duro certamine conſtent,
Vis gratis hæc dona dari. Furit inde ruitque
In ſacrum gens dira caput, dominumque ſalutis
Deſpicit inconſulta ſuæ. reſponſa docentis
Contemnunt cum plebe patres, contraq; Tonantẽ
Conjurant tot ſacræ acies. quæſita nocendi
Materies; gravibuſque odiis alimenta miniſtrat,
Quod vinci virtute pudet. Tu neſcia veri
Corda doces, charæque doles deliria gentis,
Oſtentaſque Deum terris. tua dividis ægris
Et miſeris benefacta palam, grandeſque per actus
Vis divina meat, numenque agnoſcitur illis.
Credite jam Solymæ, veterumque oracula vatum
Pandite Pontifices, promiſſaque tempora veſtri
Explorate Ducis. Syrias ſpectate per urbes,

Quæ

Quæ nova portendant Superi, quo robore leges
Dediſcat natura ſuas. Num reddita terris
Corpora? num manes ima tellure ſepultos
Cernitis exciri, & trepidum ſpirare cadaver?
Hic ſua per ſolitos circumfert lumina tractus,
Luminis orba diu. nectunt talaria plantis
Loripedes, & jam multum veracis Ieſu
A pedibus documenta petunt. hic auribus adſtat
Arrectis, diſcitque ſonos. hic vincula linguæ
Laxat, & inſuetas audire & reddere voces
Miratur ſe poſſe ſuis. nova juſſa coërcent
Infamis rectorem Erebi, Stygiæque phalanges
Hoc mandante pavent, afflictaque corpora juſſæ
Deſtituunt, mutantque alio ſua regna profundo.
Subſidunt maria, & turbata per æquora Cauri
Detumuere truces. nec enim rex Æolus undis
Imperat. hîc Deus eſt, tempeſtateſque coërcens
Ventorum, pelagique pater. Quid Roma ſtupeſcis
Sanguine mutatos latices? meliore Lyæo
Inſipidæ mutantur aquæ, menſiſque reſurgunt
Gaudia. quin fractis redeunt vitalia membris
Robora, diffugiunt morbi, luctuſque, dolorque,
Datque malis veniam bonitas, miſeriſque ſalutem
Officioſa Salus. plenis alimenta caniſtris
Expediunt inopina viri, & ſuccreſcere paſtis
Fercla ſtupent cuncti populis, totoque relictum
Plus ſupereſſe ſibi. ſenſit miracula cœlum,
Vnda, ſolũ, & magno famulatur machina Chriſto.
At jam majorum ſubeunt molimina rerum,
Immenſumq; aperitur opus. quid in arma furẽtem
Impulerit Solymam, ſacraſque accenderit iras;
Quid clarum pietate virum tot adire labores
Suaſerit, ipſe Deo quare ſuccenſuit æther,
Quæ miſeris ventura ſalus, qualique litandum
Supplicio, priſcumque nefas cervice piandum.
Diſtractos ſileat Muſarum pagina currus
Hippo-

Hippolyti, miſerique truces Ixionis orbes, (thei,
Et fixam ſcopulo Andromedam, pœnaſq; Prome-
Aut Tityi ferale jecur. Iam noſtra repoſcunt
Innocuum peccata caput, venerandaque fines
Evolvunt decreta ſuos. En proditur orbi
Progenies æterna Patris, preciumque nefandæ
Proditionis habet tanti conviva magiſtri.
Fit ſcelerum merx ipſe Deus. pars inclyta mundi
Venditur, & toto pignus venerabile cœlo,
Totque operum vileſcit honor. mercabile Numen
Proſtat, & hac audet ſervus de ſorte paciſci.
Ceſſit avaritiæ pietas, ſacroque furori
Relligio. nec jam blandi documenta favoris
Oſcula ſunt. etiam ſpeciem mentitur amantis
Vultus, & infidis candor complexibus hæret,
Simplicitaſque dolum patitur. quid ſtringis Idume
Inſontes à labe manus? quid corpora ductas
Sacrilega captiva manu? cur crimina teſtis
Congeris? atque emptæ fundis mendacia linguæ,
Et fingis peccaſſe Deum? ſummoque Tonanti
Accinis infames templis ſuadentibus auſus?
Heu, captivus abit, quo ſolum vindice terris
Libertas ac vita datur; tenebræque datorem
Æternæ jam lucis habent. latet abditus atro
Carcere, & ingrati queritur tot crimina mundi;
Dumque reos toto paſſim circumſpicit orbe,
Se cunctis cupit eſſe vadem, ſpondetq; redemptor.
Ille Palæſtini metuenda palatia regis,
Sacratoſque lares, & priſco diſſona ritu
Tecta ſubit, rigidique audit ſuffragia juris,
Et culpæ momenta ſuæ; pavidumque tribunal
Dum videt, & trepido damnari judice cauſam,
Ceu victus, ratione ſilet; lenique modeſtus
Quidlibet ingenio ſubigit, ſpernitque ferendo.
Nec ſatis eſt magnis aulæ rectoribus ipſum
Diſplicuiſſe Deum. ſalibus veſania ludit,
Laſcivitque

Laſcivitque jocis populus, mileſque profanus
Ludicra ſceptra parat, deſpectaq; purpura Regem
Arguit, & viles commendant regna coronæ.
Intereà indigno crudelis dextra flagello
In miſeros artus damnataque tergora ſævit.
Verberat improbitas, petulanſque ferocia nudum
Lancinat; & ne quid ſceleris reſtaret inauſum,
Aut ignominia, aut pœna pars ulla vacaret,
Ora manus violat, pulchroſque amentia vultus
Conſpuit, & ſecum ſcelerata inſania certat,
Et neſcit vis tanta modum, cumuloſque malorum
Congerit, atque ſuo applaudit Iudæa furori.
Scilicet illa ſui magnus Servator amoris
Communes vult eſſe notas, ut venditus ipſe
Nos redimat, vinctuſque exolvat corpora vinclis,
Abſolvatque reos inſons: ut proditus orbem
Fraudibus expediat: ludibria paſſus, honorum
Feneret ac famæ titulos, æternaque laudum
Nomina: captivoſque, etiam captivus, Olympo
Vindicet: ut noſtras regalis adorea frontes
Cingat ovans: regeſq; ſibi, dominoſq; triumphans
Aſſociet. donet pavidæ ſolatia menti
Sollicitus: lachrymaſque meis abſtergat ocellis,
Cui lachrymæ fluxere prius: gemituſque piorum,
Qua gemuit quoque voce, levet: flagriſq; repellat
Flagra ſuis: damnet maleſani opprobria mundi
Majeſtas expoſta jocis, tantique doloris
Scena per infandos decurrat lætior actus.
Cernite pendentem fatali ex arbore Chriſtum,
Iſacidæ. ſpectate trabem, qua nobile pendet
Hebræi columen generis, gentiſque vetuſtæ
Vnica ſpes. ſpectate virum, quem templa, ſacerdos,
Victimaque, & veteris referunt præludia ſecli.
En, quali moritur mundi conſorte Redemptor,
Latrones inter medius. ſublimior illis
Tollitur, ut poſſit credi ſceleratior illis.

Stat

Stat geminos inter pietas ſpectata Phorinos,
Iuſtitiæque pater ſociis immixtus inerrat
Criminibus; damnatque locus, pœnæq; theatrum,
Quem cœlum peccaſſe negat. perfoſſa trabali
Membra rigent clavo, diſtentaque brachia ſignum
Amplexantis habent. peccantem invitat Apellam
Dextera, ſed nondum recutitum blandius ad ſe
Læva vocat populum. facilis clementia cunctos
Allicit, & geſtit perituræ parcere turbæ.
Quàm capitis ſubſidit onus, cervixque remiſſa
Annuit; & prono nobis fert oſcula vultu,
Ceu propior laturus opem: quàm vulnera fœdant
Paciferos truculenta pedes: quàm vertice celſo
Serta verecundam circundant ſpinea frontem,
Ludibrium, Iudæe, tuum: quàm mortua numen
Lumina diſſimulant, humilique in imagine ſervi
Mens divina latet: quàm ſe ſinit eſſe miniſtrum,
Iamq; minor vult eſſe Deo, quem maximus æther,
Nec fulgens cum Patre parem faſtidiet aula!
His decuit fatis, per tot diſcrimina rerum,
Ad Superos aperire viam. Proh, quiſquis Olympi
Summa petis, ſectare Ducem, cui pallida mortis
Deturpat faciem facies, horretque cadaver
Supplicio, nudumque latus tranſverberat haſta.
Qui ſtillat per membra cruor, quo ſanguine triſtis
Ara rubet, primi facinus fatale parentis
Expiat, & pellit, quos intulit ille, dolores.
Hic precium, pro thure, datur, placataque reddit
Numina, & adverſæ ſolvit formidine mortis
Pallentes animas. hoc flumine defluit ægris
Æternùm manſura ſalus, Erebique fugatur
Horror, & æthereus ſignat nova federa rector.
Attica centenis fument altaria tauris,
Aut Agamemnoniæ ferrum crudele puellæ
Sæviat in jugulos; humano ſanguine gaudens
Taurica barbaricas depoſcat Cynthia cædes;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Abſint Tantalidæ fratres, & Iaſonis uxor,
Quæque ſibi finxit miſerorum fata vetuſtas:
Tu fidei Crux ſumma meæ es, tu ſola labantis
Præſidium, tu certa meis ſolatia fatis
Sufficis, una meæ requies placidiſsima mentis.
Tu, veteris medicina mali tot crimina ſoſpes
Abluis, & rigidæ damnas ſuffragia legis,
Et formidatas inferni principis iras,
Cocytumque, Erebumq; domas. O funus amicum,
O lethum vitale piis, ô grata dolorum
Commoda, ſperatæque neces, ô apta medelæ
Vulnera, quique ferent magni nova gaudia luctus,
Exhilaret qui corda dolor, miſeroſque relaxet
Pœna reos. in qua Superûm clementia victrix,
Iuſtitiæque rigor coit, & ſapientia ſummi
Regis adorandos aperit conſulta receſſus.
Atque ea diverſa Solymæ dum parte geruntur,
Autoremque Deum, regnatoremque profundi
Præſenſit Natura pati, perterrita vultus
Abdidit, & totum tenebris involvit Olympum,
Abſolvitque reum. media Sol luce coruſcans
Occidit, & ſubitis mœrens expalluit umbris,
Et Chriſto moriente ſuos abſcondit honores.
Ipſa etiam vaſtis tellus tremefacta cavernis
Horruit, & ſceleri ſe diſſentire nefando
Eſſe palam voluit. cernas delubra moveri
Supplicio perculſa Dei, ſuſpenſaque celſis
Fornicibus cortina novo diſceſſit hiatu.
Maxime fatorum domitor, ſemperque vigentis
Imperii, vitæque pater, magne arbiter ævi,
Chriſte, jaces; vitæque & grati luminis expers
Hæc quoque ſupremæ pateris diſpendia ſortis,
Informeſque plagas. jam te mortale ſepulchrum,
Et lethi funeſta domus, ſecretaque mundo
Antra tenent, gelidoque rigent tua corpora ſaxo.
Hîc miſero conceſſa quies, hac meta laborum

Parte ſtetit, pœnæq; modus. Tu, ſquallida quiſquis
Tecta times, tacitoſque lares, umbraſque ſilentum,
Hoc tumulo mirare Deum, tantique cadaver
Principis; & tali pudeat differre magiſtro.
  Exſtruite æratos obices, advolvite rupes
Improba gens, cingat captos cuſtodia manes,
Sollicituſque pavor. circum ſtet fulgidus ære
Miles, & armato jaceat cuſtode ſepultus.
Non patitur murum pietas. cui cuncta creandi
Vis primæva fuit, nec delaſſata poteſtas
Edomuit deforme Chaos, vultuſque latentes
Eruit, exuti pandit ſacraria Ditis,
Perque domos Erebi, per ineluctabile fatum,
Tartareoſque lacus, loca nocte ſilentia latè
Sternit iter. non humanæ molimina dextræ,
Non ſeræ tenuere Ducem. laxata pateſcunt
Atria, neglectiſque patet cuſtodibus æther.
Sic illum periiſſe juvat, ſic profuit orbi
Tot pœnas ſenſiſſe vadem. ſtetit obſide in iſto
Relligio, terriſque redux dum redditur, unus
Pallentes Stygiis animas emancipat umbris.
Nec jam vana fides redivivi vulnera Chriſti
Adſpicit, aut tali dubitat ſe credere vati:
Qui poſt tot caſus, poſt tot diſpendia, cædes,
Flagra, neces, diræque crucis crudele theatrum
Exolvit ſe morte ſua, rurſuſque reſurgens
Publica jam partæ dedit argumenta ſalutis.
Succubuit mors victa Deo, damnataque lethi
Cauſa fuit; ceſſit titulo Lex dura minaci,
Et didicit peccata pati; morituraque tandem
Corpora tam grandi ſperant ſub vindice vitam.
Quàm felix fuit illa dies, quàm lætior aſtris,
Et circumfuſa liber caligine latè
Emicuit populis Titan, dominoque potenti
Aſſurrexit ovans. decuit cum Sole renaſci
Iuſtitiæ jubar, & magno de lumine lumen
Fas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Fas fuit hos ipſos luci donaſſe triumphos.
Hæc regni lux prima fuit. nec proxima ſolùm
Adventu nituere Dei; ſed totus abactis
Nubibus exuitur Libanus, Iudæa renidet,
Inſolitoſque Sion radios Davidica vibrat.
Nec tumulos res tanta latet. turbata cientur
Tartara, & imperium non dedignata ſepultos
Terra dedit, priſcæque objecit corpora luci,
Et Solem deſueta pati rediere ſub auras.
Vos teſtes eſtote nurus, paribuſque ſorores
Vocibus, & quotquot portatum balſama matres
Veniſtis, myrrhamque piis aſpergere membris.
Vos fractos tetigiſſe obices, ſemotaque ſaxa,
Et vacuum ſtupuiſſe locum, ſine corpore ſedem,
Credimus, & tanti famam vexiſſe laboris.
Per vos exanimi rurſum data gaudia mundo,
Et ſolamen habent populi. Vos cœlica primæ
Nuncia, & æthereo reparatam vindice cladem
Diditis in terras. veſtri diſpendia ſexus
Senſimus, & peccans fatalia tempora mater
Prima tulit, tetricoſque dies. nunc munere veſtro
In melius gaudent iterum ſe vertere fata,
Feminaque ut mortis, ſic altera nuncia vitæ eſt.
Tranſmittunt ſeclis vatum commenta futuris
Femineæ virtutis opus, quod præſcia fati,
Suaſerit imperium Tanaquil, trajecerit undas
Clœlia, tot cupidos uxor caſtiſſima ſola
Traxerit arte procos, Latiis Cornelia portis
Vexerit illuſtres armis ſpoliiſque ſuperbos
Scipiadas: vobis debet præconibus ætas
Poſtera, vos ſacros inter facundia cœtus
Tollet, & æternis donabunt carmina faſtis.
At nunc humanos humili de pectore ſenſus
Excute mens, terræque ſatur, Chriſtique malorum,
Sidera, & æthereis habitatas mentibus arces
Concipe. quid ceſſas vili ſecedere mundo?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Te ſequor, aſſertæ gentis decus, & tua fixis
Ponè premo, quà ſumma patent, veſtigia plantis.
Faſtiditur humus, magniſque illuſtrior æther
Annuit auguriis, & dum tibi ſceptra parantur,
Chriſte, & adorandus toti decerneris orbi,
Eveheris, terraſque ſuper, ſublimior aſtris
Tolleris, & dudum promiſſum ordiris honorem.
Regna tibi, ſed priſca, patent; regiſque capeſſis,
Æterno ſed jure, decus. ſpectate triumphum
Chriſtigenæ, qualiſq; redux conſcendat Olympum
Victor, & exuti ſpoliis Acherontis onuſtus,
Occupet auguſtam titulis regalibus æthram.
Officii partes dirimunt telluſque poluſque.
Obſequii locus illa prior, ſed dignior ille
Imperii decoriſque fuit. quem ſpreverat illa,
Ille capit. nec jam lachrymis perfuſa madeſcunt
Lumina, non lachrymis gemit⁹, non luctus inerrat
Vocibus, aut noſtræ præſtat vadimonia culpæ.
At clarum novus ambit honos, & fulgida cœli
Gloria, & Angelicis ſpecioſum cœtibus agmen
Irradiat ſplendore virum. fremuere leones
Romulidis, ſociiſque Ducem traxere lupatis:
Hunc ſupplex natura vehit, nubeſque miniſtrat
Tot rerum officioſa parens. ſedet ille, ruitquę,
Qua ſurgit Tarpeia domus; ſed ſidera tranat
Alter, & inferius poſitos ſibi ſubjicit axes,
Et quicquid mortale fuit. captiva per urbem
Agmina barbarico videas infrendere vultu,
Totque catenatos lentè procedere Reges.
Hic Regé, dominũq; Erebi, & Phlegethontis avari,
Criminaque, & ſævo minitantia fata flagello,
Quæq; obitus Superûmq; truces Lex nunciat iras,
Poſt ſua terga trahit. cingunt victricia lauri
Tempora, vel querni ludunt in frontibus orbes,
Quæque triumphatis nectuntur gramina roſtris.
Huic orbis pro ſorte datur, ſunt præmia cœli,

Terrarumque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Terrarumque plagæ; tituli Regumq;, Ducumque,
Laus laudi cognata patris. dat munera rector
Auſonius, numeratque ſuis ſeſtertia caſtris.
At nos æternæ ſolantur munera vitæ,
Et merces datur ipſe Deus. pax, regna, voluptas,
Gloria, libertas domino donantur in illo.
Agnoſciſne tuos, Princeps venerande, penates?
Hi ſunt, quos toties odiis vexatus acerbis
Patre tuo monſtrante petis. penetralibus iſtis
Sors nobis promiſſa latet, tot vota tuorum
Excipis, & quamvis celſa regione locatus,
Afflictæ tamen uſque cupis miſereſcere gentis.
Hîc tua difficilem vitiis clementia patrem
Lenit, & ingentes orando mitigat iras.
Hîc Regem te, Chriſte, geris, præfracta tyrannis
Colla domas, ſceptroque potens ultore coërces.
Hîc ſapiens fluctus, tempeſtateſque futuras,
Et populi tot fata tui moderaris, & inter
Claſſica, bellorumque minas, regumque furores
Conficis electæ tranquilla ſilentia turbæ,
Alcyonumque dies. illinc perculſa tuorum
Pectora, & ingenti fractas formidine mentes
Afflaſti propiore Deo. nova reddita ab alto
Vis animis, ſacraque piis præcordia flamma
Incaluere viris. fundit facundia voces,
Muta prius, diſcitque loqui. timor exulat omnis,
Seque paludatis infert fiducia tectis,
Præſidii ſecura ſui. biſſena per orbem
Corpora ſub gemino latè dum Sole vagantur,
Innocuum virtutis iter, cælique recludunt
Delitias, tenebriſque inſuetam affundere lucem
Occipiunt, cunctiſque ferunt tua nomina templis.
Tot circum delubra ſilent, nec credulus error
Tercentum tonat ore Deos, Hecatenque, Iovemq;,
Stultaque tergeminæ veneratur ſaxa Dianæ.
Diſplicet improbitas, gaudet cæleſtibus auſis

Pro te quiſq; mori. pudor eſt plus pendere vitam,
Quam fidei decreta tuæ : laus unica ſperni eſt,
Nec placuiſſe ſibi : laus altera, ſpernere, quicquid
Deſipiens expoſcit amor, vel turgida faſtu
Ambitio, vel quod rimatur fraudibus aurum
Dira fames. ſic tota tuis natura renaſci
Imperiis ſtudiiſque poteſt, & numine plena
Imbibit æthereas mortali in corpore curas.
Salve ſiderei proles æquæva parentis,
Et tandem, rediture, redi. da cernere vultus
Poſſe tuos, nubeſque inter libratus & axes
Extremum hunc, Rex magne, tuis concede laborē.
Vltima decrepito dicta ſuffragia mundo,
Et ſcelerum formas, vitaſque, & crimina diſce.
Tot Iudex diſcerne reos. clementia partes
Et peragat mens juſta ſuas. ſapientia totum
Flectat opus. vaſti cieat ſpatia undique mundi
Dextra potens. reddat pelagus, quos abdidit undis;
Funereaſque domos & cæca habitacula pandat
Terra parens. coëant clari cum paupere faſces,
Cum fullone togæ. ſubſidant arma potentum,
Tot pateant fraudum portæ. tua vulnera ſpectent,
Qui fecere, rei. timeant oracula, quotquot
Hîc ſprevere prius. ſic tanti ſcena theatri
In partes abeat geminas, vitæque neciſque
Arbiter æternis claudas hos finibus actus.
Interea decreta tibi dum tempora differs,
Reſpice, quæ mediis tua jam jactatur in undis,
Chriſte, ratis. compeſce Notos, infeſtaque tranſtris
Æquora. tu nobis tanta caligine rerum
Pro Polluce mica, nobis pro Caſtore fulge;
Vt per noctivagos errans tua cymbula tractus,
Scyllæos inter ſcopulos, interque Charybdin,
Rectum ſervet iter. divulſa apluſtria puppis
Collige, diſtractoſque duces concordibus uni
Ingeniis. pacem dona rectoribus orbis,

Et quos non thalami, placent tua vulnera, Ieſu,
Et mortis ſors dura tuæ. ſociata perennent
Lilia mixta Roſis, æternaque federa jungant
Terrarumque mariſque Deos. Tu flectere Reges,
Tu ſolus lenire potes, tu mitibus iras
Conſiliis dictiſque domas. Hæc vota Redemptor,
Has audi, Deus alme, preces; magnique tiaris
BORBONII, Regiſque tuo de nomine dicti,
Proſpera compoſitis decurrant ſecula bellis.

Sereniſſ. Potentiſſ. Invictiſſ. Principi,

CAROLO I,

DEI GRATIA

Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ
Regi, Fidei Defenſori, &c.

QVem paci ſervant Superi, Mars commodat armis,
Et belli ſtudijs vult Soror eſſe pium:
Quem regni præcepta Parens, exempla Vetuſtas
Edocet, ac cœlo deſtinat alma Fides;
Accipe regales, Princeps Auguſte, *triumphos,*
Et facilis Muſas ſublevet aura meas.
Cum legis effuſos in publica vota Britannos,
Hæc eadem Belgas dicere crede tuos.
In Batavis pudor eſt Regē Dominumq; creari;
At fas in Batavis ſceptra Deoſque cani.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

BRITANNIA TRIUMPHANS,

Sive

In Inaugurationem Sereniſſ. ac Invictiſſimi Principis

CAROLI I,

Dei Gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regis, Fidei Defenſoris, &c.

ANGLIA, quæ triplici diſtinctum murice Regem, (Ierna
Nec ſimplex venereris ebur; cui mitis
Exuit agreſtes animos, & regia Nerei
Arctois famulatur aquis, medioque natantes
Orcades Oceano, & gelidi confinia mundi:
Si qua tuis unquam reſpondit purpura votis,
Aut meruit diadema coli, placataque terris
Expandit faciles Divûm clementia vultus,
Hunc ſacrum tibi crede diem, quem fundit ab Ortu
Lætior & lentis Pyrois producit habenis,
Nec cupiat merſiſſe mari, triſtique ſerenum
Tempeſtate tegi; quem cum ſubduceret aſtris,
Deſtinat auguſtis rerum Natura triumphis.
Non Regum jam buſta queror, Tameſiſq; dolores
Suggerit, aut nigros perculſa palatia peplos,
Mœſtaque ferales depoſcunt limina taxos.
Propitiæ fulſere faces, nec læva Britannis
Aſtra meant; damnat patrios Saturnius ignes,
Et ſoliis fatale jubar. Tibi pronus Erichtheus
Annuit, & ſociâ fulgens cum conjuge Cepheus,
Atque Ariadneæ radiant ad ſceptra coronæ.
Num chelæ poſuere minas? num ſævus Orion
Porrigit audacem cœptis ingentibus enſem,
Et munit regale latus? num Mænalis urſa
Antiquo cuſtode caret? Regique recenti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Militat Arctophylax, & tardi cura Bootæ?
In plauſus coïere poli: quaque adſpicit Auſtrum
Albion, aut Scythicos Thule timet ultima fluctus,
Horridaque arcanis ſe Scotia ſaltibus abdit,
Ingeminant ſua vota Dii. divulſaque cœlo
Sit licet, & medium Tellus diſterminet axem,
Cum ſuperis gaudere cupit: nec ſola Deorum
Gaudia tanta putat. potius ſibi debita credit,
Quæ CAROLI ſibi Numẽ habet; tantoq; triumphãs
Eſſe ſtudet potior, quanto eſt vicinior oſtro.
Quis mihi magnorum penetralia pandere vatũ
Audeat, & ſacrâ perculſum Mænade pectus
In furias Thymbræus aget? quis torrida dudum
Labra Caballinis dabit immerſiſſe fluentis,
Et ſolitas promittet aquas? dum perſonat aulas
Irrequieta chelys, fidibuſque aptata Latinis
Barbita trans vaſtos fundunt ſua murmura fluctꝰ;
Et concors ſociis arridens BELGICA terris
Præſumit me vate loqui, regemque creari
Virtutum ſine teſte vetat. Non abnuit amnes
Calliope, cum docta canunt commenta Serenam,
Et Peluſiacæ turgent Stilicone Camœnæ,
Et Latii cantatur apex, aut templa futuro
Aſſurgunt Tiberina Duci: ſeu Mallius annum
Conſul init, Geticiſque inſignis Honorius armis
Grandiloquo præcone tumet; vel lætior æther
Adſpicit Arcadium, vel magni fata Probini,
Et decantati trabeas miratur Olybri.
Iſthmia Thebanos meruerunt gaudia cantus,
Et palmæ laus tanta datur. dum claſſibus Aulis
Fervet, & imperium geminis concedit Atridis,
Mæonidem furor iſte rapit. Spectacla Poëtas,
Cæſareæque cient epulæ, ſtrepituſque theatri,
Et plauſus Caveæ, & liventes cæde ſaburræ.
At Tu, qui Borei flectis moderamina ponti,
Quem Dominum ſupplex Rutupinũ littus adorat,

Quem Scotus Pictuſque colunt, & mixta feroci
Saxone gens; cœpto adſpira Rex magne labori,
Et Muſis da vela meis. ſine numine Numen
Cantari cortina vetat, laudeſque Deorum
Incœptat favor ipſe Deûm. Tibi ſtemmate longo
Deſcendit regalis honos, atque ordine fati
Regna meant: ſemper dignus cum faſcibus hæres
Naſcitur, & ſimili laſſantur prole curules.
Tot Reges veneraris avos; nec ſola paternos
Condecorat fortuna lares. tibi ſexus uterque
Continuat tam grande decus, Tyrioque ſuperbit
Murice magna parens, Gothico quæ ſplēduit oſtro,
Et bellatori debet primordia Cimbro.
Inter ſceptra puer graderis, dominoſque Trionum
Adſpectas, quocunque vides: amplexibus hæres
Oceani terræque Ducum. tibi baſia fixit
Parrhaſii regina poli, te ſuſtulit ulnis
Regum prima ſoror, regum gratiſſima terris
Filia, & auguſti genitrix, nulli æmula, Regis.
At Pater æternæ ramis inſignis olivæ
Emicat, & triplici frontem ſuperinduit auro,
Et nato nova fata parat. glacialis Ierna
Additur imperiis; nec jam Solvæïus ultra
Terminus Albionis, fortique exſtructa Severo
Mœnia diviſi ſpectant rectoris habenas.
Illum pacis honos, & non violenta poteſtas,
Et populi ſecura quies, laudataque regni
Otia & innocui ſecernunt regibus anni.
Sic placuit defenſa ſalus; nec jura tueri
Armatæ voluere manus; tunc commoda juvit
Publica, cum ferrum ſiluit: dum claſſica neſcit,
Tranquilla ſe mente videt: cæleſtia luſtrat,
Cui tellus ſua viſa ſatis: diffundere verum,
Non faſces, pia cura fuit: venerabilis unâ
Evicit virtute metum: nil debuit hoſti,
Nec placuit poſt bella fides, tutuſque cruore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Libertatis amor; quæ duro milite poſſet
Extorquere ferox, potius tentavit inermis.
Tu faſces ordiris ovans, & poſthuma mundo
Sceptra probas, tantoq; carens jam Rege Britannus
Vix ſentit mutata ſuæ moderamina gentis.
Sic ubi librato feſſus ſubduxit Olympo
Brachia, & effœtis tremuit cervicibus Atlas,
Maximus Alcides humeris nutantia fulſit
Pondera, nec cœli ſecurius alta pependit
Machina, nec tremulos expavit Iuppiter axes.
Aut veluti patriis ales Titania buſtis
Naſcitur, & veteris fugientia ſecla ſenectæ,
Membraque vernanti reparat longæva juventâ;
Iam capitis plus fulget apex, jam lætior auri
Pingit colla color, ſelectaque thura Sabæis,
Et Cilicum redolet meſſes. ſtupet obvius omnis,
Et volucrem miratur Arabs. illa ocius Ortum
Reſpicit, ac Solis thalamos, rurſuſque renaſcens
Inchoat auſpiciis primos melioribus annos.
Talis in auguſti priſcos genitoris honores
Mitteris, & proavûm fœcunda morte favillis
Clarior exſurgis Princeps. exultat Eliſa,
Pulſaque majeſtas Nemetum, magnique propago
Borbonii ſociis adglutinat oſcula ſceptris.
Scilicet in regis pariter blandaſque mariti
Conſpirat fortuna vices, ut regibus orta
Augeat hos iterum ſoboles, æternaque creſcant
Imperia, & ſimili decurrat ſanguine ſanguis.
Illa Tibi patriis reges virtutibus auctos,
Henricoſque dabit, quos Martius excitet ardor,
Heſperiiſque ferox odiis accendet Enyo.
Hi gladios, Rex magne, tuos, atque obſita longo
Arma ſitu, reſideſque acuent in prælia gentes.
Hi ditis vexilla Tagi, Bœtimque ſuperbum,
Cæſareaſque aquilas, ſpoliiſque induta ſuorum
Agmina, Vangionum petulantem faſcibus Iſtrum,
Panno-

Pannonioſque ad bella cient. cognata rependet
Damna nepos, naſcenſque piis ex oſſibus ultor
Victa Palatinæ repetet Capitolia terræ.
 Poſt titulos, gentiſq; decus, ſtirpemque Deorum,
Ominibus favete Dii. tibi Parca futuros
Promiſit præſaga thoros, natamque Capeti
Deſpondit cunis Lacheſis. tunc fœdus Iberi,
Et regum ſimulatus Hymen, fictæque Tonanti
Diſplicuere faces. riſit connubia Clotho
Bætica, & Auſtriacos fatis expunxit amores.
Omnis in auguſto depinxit Gratia vultu
Regales veneranda notas, blandumque tueri
Iuſſit, & innocuo perfudit verba ſevero.
Adſtitit, & teneras ſocians Concordia dextras
Vnanimes vovit populos. excepit alumnum
Audaci Bellona ſinu, ſuſpenſaque patri
Arma ferens, ſtrictos placidis pro falcibus enſes
Oſtendit puero. Cattorum è littore miſſa
Libertas Batavûm, Heſperiis erepta triumphis,
Accendit Martis rabiem. pro pignore tanto
Explicuit cunctos belli Sapientia caſus,
Et lituis præcepta dedit. tunc ſanguine junctis
Promiſit faciles ventura in prælia dextras
Cimber, & in primis aeuit vagitibus iras.
Quam tunc læta tuis facies, quæ ſigna futuræ
Sortis, & inſpectis præſagia legit in extis
Augur, & excelſæ cecinit documenta juventæ!
Iam magni præcepta patris, jam juſſa modeſtus
Exequeris, dignumque putas rectoribus orbis
A pueris voluiſſe regi: mandata daturus,
Ipſe capis, quantumque aliis præcellis honore,
Præferri virtute cupis. cui munera vitæ
Et debet natura diem, ſubmittere ſeſe
Gaudet amor, morumq; libens concedit habenas.
Non molles fluxere dies, aut marcida luxu
Otia, vel lentos protraxit inertia Soles.

Non te degeneri Mænas ſtipata caterva
Accivit comitem, nec vectus lyncibus Evan
Vicit adorandũ populo caput. improba nunquam
Vbera porrexit Circe, nec fœda Calypſo
Poſſedit teneros vitiis regalibus annos.
Ipſe per umbroſos ſaltus & teſqua ferarum
Deduxit juvenem genitor, cum roſcida multum
Purpureis Aurora genis præverteret Ortum:
Aut celerem raperent inviſa crepuſcula Phœbum,
Feſſaque Hamadryadũ gelidis ſe conderet antris,
Faunorumque cohors. quoties tibi Delia dextram
Inſtruxit jaculis, frondoſaque Mænala linquens,
Et juga Taygeti, pharetram ſuſpendit & arcus
Ex humeris. quoties docto venabula niſu
Fixit in averſi fugientia tergora cervi.
Mox ſpumantis equi fodiens calcaribus armos
Antevolas per prata Notos: nunc ſiſtis euntem
Ocyus, & duris inflectis colla lupatis,
Aut gyro properare doces. generoſus habenis
Aſſurgit ſonipes, dominique ſuperbus honori
Infremit, atque animos regali à pondere ſumit.
Promittit tibi ſceptra labor, ſecuraque belli
Tempora venturi quondam præludia Martis,
Et pugnæ ſimulacra docent. ut torqueat haſtam
Conſilio librata manus, qua lege machæram
Stringat, & auratum ſubnectat pendulus enſem
Balteus, aut clauſos defendat ahenea vultus
Caſſis, & invictis majeſtas militet armis.
Sic prope Barbaricæ Rhodopeïa flumina Thraces
Odryſius deſudat ovans, & prima capeſſit
Bella puer, formatque ſuum præceptor Achillem
Theſſalus, & peltis naſcens adſueſcit Amazon,
Spartaque primæ vos gladiis exaſperat annos.
Nec minus Aoniæ tanta ſe condere gaudent
Mente Deæ, tacitoſque aperit doctrina receſſus,
Et ſoliis ſua fata legit: quam blanda vacillet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Excelſo fortuna loco: quibus occidat auſis
Imperii ſurgatque decus: quæ tempora paci
Cōmoda, quæ poſcant lituos: quos negligat hoſtes,
Quos metuat mens cauta Ducū; quę fœdera ſolvat,
Quæ credat temeraſſe nefas; quæ cauſa rebelles
Armet, & audaces frangat Prudentia motus.
Tota per antiquos ſolers induſtria faſtos
Ambulat, & claris judex præconia factis
Commodat, at vitium regali vindicat irâ.
Suſpicitur mentita virum regina, furorque
Imperii, & magnæ metuenda Semiramis urbi.
Diligitur Cyri probitas, gravibuſque decorum
Moribus ingenium. terret ſors ultima Lydi
Infauſtis arſura rogis, & fœmina nato
Inferias irata parans, utreſque cruenti,
Tergoraque injuſtas circum liventia ſellas.
Perſicus ut Danaum ductor ſubverterit urbes,
Et fugiens ſua fata gemat, miraris, & acres (thi,
Thermopylas, Grajûmq; duces. non emptor Olyn-
Non Pellæ placuit ſtomachus, ſpretorque Deorum
Laomedon. damnas Priami reſponſa potentis,
Æneamque probas, ſuppoſtaque corpora patri,
Et lætæ pietatis onus. Tibi rapta Sabinus
Pignora conqueritur, violataque jura theatris
Perſuadet promiſſa fides. quam vilia regnis
Semina monſtravit Tanaquil; quæ robora ſceptris
Conferat, ac Divûm firmet reverentia faſces,
Egeriæ ſecreta docent. civilia mœrens
Bella legis, patrioque undantem ſanguine Syllam
Deſpicis, & læſos parvi Rubiconis ad amnem
Romulidum Latiique Deos. plus cauſa Catonis
Arriſit, bellanſque gener; Pharſalia quamvis
Vexerit immeritis ſoceri vexilla triumphis.
Iam Gracchos, Marioſque, & faſtidire Cethegos
Incipis, & querula ſubnixos plebe tribunos:
Sed præclara tenent animos exempla, Camilli,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Scipiadæ, Deciique duo, totque inclyta bello
Nomina, cunctantes Fabii, punitus Iarbas,
Æmilii, Paulique, duces: patienſque laborum
Hannibal, & veteris ſplendor Germanicus ævi.
Inde per annales, atque ultima ſecula raptus,
Per gentis monumenta tuæ, proavûmque labores,
Romanas aquilas, & formidata Britannis
Arma ſtupes, magno domitas ſub Cæſare gentes,
Et totum ſignis ſtratum victricibus æquor.
Adſpicis iratam Morinûm de littore Thetyn
Auſonios transferre Deos, Tiberinaque longe
Roſtra triumphatis Latium confundere terris.
Adſpicis, ut Tuſcos peregrino gramine paſcat
Cornipedes Italûm ductor, tua ſcindat aratro
Arva Ligur; victorque tuis det jura Quirinus
Damnoniis: pandat Siculis navalia portus
Iccius, & Latias doleat Sabrina ſecures:
Quid procul externo bellantem exciverit Albi
Saxona; quæ quondam vicinis gentibus iræ;
Quid Scotus Pictique fremant; cur improbus enſis
Tinxerit hoſtiles civili ſanguine dextras,
Indigenaſque tuos fallax exegerit hoſpes:
Vt patriæ vires magni fregere penates:
Vt ſero coïere Roſæ, fatalia belli
Symbola & indomitum placarint oſcula Martem.
Priſca Caledonios aperit tibi fama receſſus,
Et bellatores populos, inimica Garumnæ
Flumina, vicinis erepta palatia Gallis;
Normannique trucis furias, & ſubruta Cambris
Imperia, & veterum repetentes jura Siluras.
Iam fera Maſſagetûm ſoboles, & Concanus atrox
Devictos tibi dictat agros, nec bella furentis
Deſmonii facinuſque probat. tibi reddit Ibernos
Arthurius, dominoſque Senus faſtidit Iberos.
Hos ubi per populos æternaque nomina factis
Ire libet, ſtimulos illinc tibi ſubdit Ierne

Belli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Bellipotens; illinc pugnæ monumenta miniſtrat
Albion; hinc rigidum Boreæ porrectus in axem
Grampius, audaci quæ ſit fiducia Scoto,
Edocet. Omne tuis aliquid virtutibus addit
Exemplum, formatque Ducem prælecta vetuſtas.
Quod ſi priſca ſuos neſciret pagina reges,
Tu regnis præcepta dares; tu prima regendis
Norma fores populis: tu digni Principis artes
Expedias, firmeſque novis ſubſellia juſſis.
Deſpicit æquales regum tua purpura voces,
At cœlo parere cupit; queis flectis habenis
Imperium, ſubdis Superis, unoque Tonante
Dum minor es, uni titulos ſubmittis Olympo.
Huic regnas, quẽ regna timent: cui cruda tyrannis
Concedit, pavidique abſcondunt ora Nerones.
Nec parere Deo pudor eſt, cum terra poluſque
Parendi ſine lege ruant, & tuta perennet
Regia, quam fulcit pietas, & conſcius horror
Numinis, ac ſacro ſupplex reverentia cultu.
Sic cœlo terræque places: & ſidera Princeps
Blanda refers, precibuſq; tuis ſe accõmodat æther,
Et faciles in vota Dii. Tua moribus ætas
Mentitur ſenium, & pleno ſpectata theatro
Vita fluit, vulgique legit ſuffragia virtus.
Præcipit ancipites rerum Prudentia caſus,
Fortunam ratione domans, & provida ſorti
Nil debere cupit. dictat conſulta magiſter
Vſus, & antiqui repetens moderamina ſecli
Conſiliis ordiris opus. Clariſſima lux eſt
Virtutum ſub rege novo; nec publica recti
Cura latet. multum teneris ſibi ſpondet ab annis
Vox populi, & primo præſagia ſumit ab oſtro.
Nec tibi juſſa placent, mandataq; dura regentum,
Quæ reges feciſſe piget. dum legibus orbis
Exigis obſequium, factis conſtantibus anteis,
Quoque vocas, rex ipſe præis: nec cuncta licere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Quæ poſſent libuiſſe, putas: veniamque nefando
Prætexis ſceleri, aut peccans impune tribunal.
Ius populi commune tibi eſt: devincit honeſtas
Vna Ducem civeſque tuos: diſcrimina ſolum
Majeſtas ſceptrumque facit. ſic juſſa capeſſunt,
Quos gaudes feciſſe bonos; dominumq; verentur,
Sed recti ſibi lege parem. Qua regibus itur,
Ire times: faſque eſſe putas, ea poſſe potentes,
Quæ voluiſſe nefas. ſocium te deſtinat aſtris
Diva Themis; cunctaſque ferens velata per urbes
Lumina, ſævi expers odii, blandique favoris,
Vltores ſcelerum diſtrictos porrigit enſes,
Libranteſque manus. metuit regale vacillans
Cauſſa forum; preciumque refert, & mitia preſſus
Sentit roſtra cliens. Tuque ô manſueta Deorum
Progenies, rigidæ damnans ſuffragia legis,
Quæ deforme chaos, permixtaque fœdera prudens
Diſtinxti, & placido donaſti ſidera vultu,
Alternaſque neces & mutua prælia rerum
Digeris, ô vaſti rectrix clariſſima mundi,
Æternique Iovis ſoboles, Clementia, juſto
Quæ diſtare cupis, violentaque jura moraris,
Hoc miſeris ſub Rege faves, tranquillaque mœſtis
Acceleras reſponſa reis. non ille rigori
Aſſentit Torquate tuo; lumenque ſevero
Expoſcat periiſſe patri. ſat longa furori
Dat ſpatia, ingenteſque moras, ne regna miniſtret
Impetus, aut calidis vileſcat regia juſſis.
Non avidum pœnæ, aut diri vindicta cruoris
Accendit præceps animum; non vilibus acer
Succenſet vitiis; aut magnis frena relaxat
Gratia criminibus. formidat Principis iram,
Quiſquis amat, materq; metus reverẽtia ſceptri eſt,
Nec ſimulatus amor. debellat dextra ſuperbos,
Subjectis facilis. Sic cum ſua murmura produnt,
Et pavidas terrent irata tonitrua gentes,
Obſtan-

Obſtantes feriunt ſcopulos, Cyclopeâ nutant
Saxa, ruunt duræ celſis de montibus orni,
Parcitur arbuſtis, pronoque papavera collo
Tuta latent, magnique exorant arma Tonantis.
Stat jurata fides, ſua nec promiſſa refringit,
Nec differre cupit: totâ dolus exulat aulâ,
Fictaque ſimplicitas, & quæ ſcelerata futuris
Imperiis inhiat rabies, nec jura moratur,
Dum regnũ ſibi fraude paret. quæ ſpretor Olympi
Dux Libyæ, ſacras toties perjurus ad aras,
Suppeditat conſulta, fugit. nec ſigna triumphans
Inferat in patrios tecum Romane penates,
Intentetque truces jugulis civilibus enſes
Perfidus, auguſtoque Deos poſtponat honori.
Non animo diſpar vultus, non diſſona fronti
Pectora: blanda gravi reſidet ſermone venuſtas:
Nec perſonatis inſervit mobile ſcenis
Ingenium. graditur greſſu veneranda modeſto
Celſa poteſtatis ſpecies, & ſplendida fulget
Stipantes inter Proceres. velut æthere in alto
Nocturnos rutilans præcedit Lucifer ignes,
Aſtrorumque choros; hunc circumfuſa ſequuntur
Sidera, & à tanto lumen ſibi lumine ſpondent.
Auget cura vigil cenſus, at maſcula fœdam
Caſtrat avaritiam: non mentem effæminat aurum,
Quæ dat jura viris. O quantum judice tali
Doctrinæ ſuccreſcet honos; ô quanta Camænis
Otia, quæ ſteriles iterum revireſcere lauros,
Parnaſſo plaudente, dabunt. En clauſa ſororum
Antra patent, lentumq; invitant pręmia Phœbum,
Et pigra ſe tollit humo mens enthea vatum.
Non fera præclaris paupertas incubat ultra
Ingeniis, fœdoque jacet ſub pondere virtus
Obruta. Tu Batavum Princeps auguſte poëtam
In laudes facis ire tuas, ſtimulumque furori
Subdis, & externo indulges tua nomina Belgæ.

Nec:

Nec regni ſpatia ampla tui, nec ſemina belli
Prima canam. cœpti decurrat carminis ordo
Imperii momenta tui, librataque magnis
Conſiliis præcepta ducum. Nam maxima quamvis
Expendas arcana prior, tamen æqua monenti
Auſcultas, fidique probas conſulta Senatus.
Ille gravis ſenio, & ſceptrorum fata revolvens,
Regni librat onus, regiſque negotia ſecum
Dividit: ille leves cœcæ Rhamnuſidis iras
Negligit, ingentes ſuperat: jam claſſica paci,
Iam pacem præfert lituis. Sic flectis habenas,
Sic fati modus in ſceptro eſt. Si numina ſpernat
Impietas, & ſacra Deûm, tu vindice pœnâ
Exigis officium: ſi credulus occupet error
Incautum, meliora doces; non ſuccubat armis
Aut rigidis mens recta minis, ſed vera monenti
Submittit ſua ſenſa fides. Ignobile ſi te
Vulgus amet, creſcis modice popularibus auris;
Si queritur, ſpreviſſe tuum eſt. Si bella coactus
Aggrederis, magis illa times; tutiſſima res eſt
Bellorum metuiſſe vices: ſi debita miles
Æra petat, leni recreas æraria cenſu,
Nec ſordes erectus amas. non pagina fiſci
Injuſtas ſibi ſcribit opes, aut ſanguine gaudet
Suppliciiſque frui, miſeri vel funeris optat
Exuvias ſervare ſibi: generoſa putantur,
Quæ dat lucra favor, nec rex vectigal amabis
Quod plebs mœſta dabit. tecũ communia Princeps
Gaudia, communes gemitus & commoda ſentit.
Quæ capitis fortuna, ſua eſt; ſurgitque caditque
Cum rectore ſuo, atque unâ ſe ſorte tuetur.
Nulla tibi iratæ rabiem Lucretia dextræ
Imputat, aut caſtæ diſſolvit vincula zonæ
Virgo dolens; nunquam ſceleri vis præbuit anſam,
Acriſiuſque tuo Danäen ſemovit ab auro,
Regaleſque preces timuit: te vindice ſervat

Iura thorus, thalamuſq; fidem. nonaria nunquam
Inclyta fallaci ſubiit palatia greſſu,
Aut ſolium ſinus abſcondit: non purpura fuco,
Non Veneri innuptæ faſces, non mitra puellis,
Aut emptis grandes trabeæ ceſſere capillis.
Salve magna Patris ſoboles, venerabile ſceptris
Exemplar, Tyrio numen ſub murice fulgens,
Illuſtris pietatis apex, cui pectore in uno
Omnia naſcentis regalia dona tiaræ,
Virtutumque choros cœleſtûm cura recondit.
Scande triumphales, Rex auguſtiſſime, currus,
Purpureamque apta chlamydem, præreptaq; fratri
Fato ſceptra cape, & ſacrâ ſublime coronâ
Cinge caput; celſam gemmis abſcondat Hydaſpes
Cæſariem, rutilent virides in fronte ſmaragdi,
Et ditis ſpolia Oceani, baccæque nitentes
Intextum radiis vincant fulgentibus aurum.
Vndique concurrunt populi, fervenſque viator
Ad Tameſin molitur iter, fremituque ſecundo
Colligit ipſa ſuas animoſa Britannia voces,
Iamque timet privata loqui. conſperſa videres
Strata viris, pulchras alto de culmine paſſim
Deſpectare nurus, intentaque matribus ora,
Membraque Erythræos inter ſpecioſa lapillos.
Colligit æquævos aliquis ſibi Principis annos,
Et confert juvenile decus, pudibundaque virgo,
Quem veneratur, amat; ſpernunt exacta loquaces
Secla ſenes, facileſque colos & penſa ſororum
Hunc gaudent neviſſe diem, quo priſca Stuarti
Progenies magno decernit frena nepoti,
Tergeminamq; uno claudit ſub numine gentem.
Exeat hic mundi populis illuſtrior annus,
Quem regum celebrant thalami, ſacræque tiaræ
Et regni commendat honos. Vix lilia claris
Miſcuerat Cytherea roſis, flammiſque Tuædæ,
Et peregre Paphiis exarſit Sequana tædis:
Succe-

Succedunt Veneri trabeæ, diſcuſſaque faſces
Flammea nobilitant, dominaſque auguſta ſecures
Arripit, & patrio majeſtas commodat orbi.
Plauſibus accedunt Superi, radianſque coruſco
Lumine, Phœbæo jam cum ſplendore nitorem
Confundit diadema ſuum. lux clarior aſtris
Emicat, & totum nebulis abſolvit Olympum
Hoc ſaltem Natura die: dum ſceptra parantur,
Cuncta nitent, mæſtiſque carens jam nubibus aër
Adverſos monſtrat Rutupino è littore Flandros.
Æolii ponunt fremitus & murmura fratres,
Nec Boreas pro more furit: pacata quieſcunt
Æquora, nec parvas Aquilonia flabra flagellant
Hebridas, aut timidæ latus implacabile Thules.
At Thetys toto paſſim circumflua regno
Cæruleum Tritona vocat; vocat ille natantes
Naiadas, & mediis grandævum Nerea poſcens
Orcadibus, tremulis mulcet vada cærula caudis,
Rectori gratata ſuo. Plus ſidera ſpondent,
Et cunctis, Auguſte, tibi jam menſibus æther
Annuet, & quamvis obliquo tramite currat,
Dextra tamen facilis promittit Signifer aſtra.
Inchoat æthereos Aries fulgentior ignes,
Imperii fax prima tui, Phryxæaque purgans
Vellera, dum paribus motum diſcriminat horis,
Vult omnes parere tibi. cum ſurgit ab Ortu,
Te Tauri frons læta videt, dorſoque micantes
Pleiades arentes humectant nubibus agros,
Et mœſtis dant pocla ſatis. Cum Caſtore Pollux
Augurio meliore favent, & gaudia juncti
Adgeminant ventura tibi. ferventia Cancer
Brachia Phœbæa expandens cum lampade, regni
Expandit decora ampla tui; Solemque moratus,
Succeſſus urgere tuos velocius ardet.
Leniet ipſe ſuas Nemeæ Leo torridus iras,
At bellis fomenta dabit, nec ſævus anhelo
Eludet

Eludet Cererem latrator Sirius æſtu.
Mitius ingenium Themidi eſt, quæ ſedula cuſtos
Iuſtitiæ validis firmabit legibus urbes,
Et credet fraudaſſe nefas. hæc lancibus æquis
Librabit cum jure diem, noctemque diebus
Exæquans, ſolo vitium diſtinguet honeſto.
Scorpius innocuæ littus vitabit Iernæ,
Nullus vipereâ nocuit cui ſibilus aurâ;
Non homines diris lædunt afflatibus hydri;
Lætaque tardigradus perreptat gramina bufo:
Aut mala ſublimi ſuſpendit aranea tecto
Dædaleum ſubtilis opus. Tibi ſpicula Chiron
Ett pharetras arcuſq; parat, quibus occidat Aſtur,
Victaque Cantabricę ſubmittant arma phalanges,
Et domitus manſueſcat Iber. quæ ſtella Decembres
Aſperat, & reduci minitatur ſidere, tali
Miteſcet ſub rege Caper; nec Aquarius undas,
Aut in te gelidos armabunt frigora Piſces.
Sic parent Convexa tibi, Superumque favori
Conſociat ſe terra parens. ſubmittit habenas
Scotus ovans, gens clara armis; duramque ſubactâ
Pauperiem virtute domans, tua milite duro
Et nunquam timidis munit tentoria caſtris
Bellatrix. geminas alto de vertice gentes,
Quas Boreæ pars una truces, pars altera mites
Adſpicit, ad tantæ poſcit ſpectacula pompæ
Grampius, & patrii gaudens primordia regni
Commendat, priſcumq; decus. quiq; innatat undis
Æbudum populus, totum tibi mancipat æquor,
Pugnaceſque manus; & quamvis ſæva Trionum
Littora perpetuis damnet natura pruinis,
Diſſolvunt tibi triſte gelu, laxatque receſſus
Veſta ſuos. veteres Pictus tibi devovet urbes,
Et famulas fert Tina rates, nec Cimbrica rurſum
Sceptra petat. ſparſos generoſa Britannia faſces
Colligit, atque uni geſtit ſubmittere regi.

Hic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Hic tibi lanigeras videas mutare bidentes
Vellera, & excelſas protendere brachia fagos.
Hîc ſtannum tibi vena vomit, pallenſq; metallum
Eruit, & terræ ſcrutatur viſcera foſſor.
Nec fallit, te rege, labor. Tibi Cambria meſſes
Fœcunda tellure dabit, nec Saxonis auſa
Ore loqui, damnat peregrinæ verba loquelæ,
Inque tuos priſco plaudit ſermone triumphos.
Turgida ſed Tameſis vicinis oſtrea ripis
Exſpuit, & magnæ velox allabitur urbi.
Scilicet hi pariter te CONSTANTINE penates,
Et CAROLVM genuere, Deos: hæc regia mundo
Intulit Auguſtos, æquataque nomina cœlo.
Vos quoq; queis Scythicę præbent cunabula gẽtes,
Maſſagetæque truces, animos victuſque ferarum
Exuitis, Dominique favens adſueſcis Ierna
Mitibus imperiis. illi donaria cervos
Mittis, & aërii cœleſtia munera mellis,
Inſontis documenta cibi; tu reptile virus
Exuis, & toto proſcribis toxica regno,
Ne nocuiſſe queas. Admittit frena tuorum
Occaſus, feſſuſque tuis, Rex magne, ſub undis
Occultat Sol pronus equos, qua Virginis ora
Excipit indigenas ſub te rectore Britannos.
Te ſupplex Aurora colit, diteſque Moluccæ,
Quo claſſes abiere tuæ. ſic clara per orbem
Fama volat, geminoque occurrit gloria Phœbo.
Gallia regali conjungens ſceptra cubili
In tua concordes aptat præconia voces.
Conſentit Tameſi Ligeris, Sabrina Garumnæ,
Invitatque Ararim, Picto gaudente, Tuæda.
Accedit Rhodanus, Dominæque ſuperbus honore
Lætitiæ dat ſigna ſuæ, nec Sequana ripis
Contentus rapidis Londinum advolvitur undis.
Te conſanguineo venerantur Baltica nexu
Æquora, magnanimuſq; Getes. tibi Cimbrica Thetys
Vota

Vota facit, repetenſque tuæ connubia matris,
Cognataſque faces, tecum communia tentat
Prælia, & ad placidum diſponit caſtra Viſurgim,
Cæſareaſque accîdit opes. Iam Rhenus & Albis
Exiliunt: nondum victi plauſere Batavi,
Naſſoviique duces, infractaque pectora, Belgæ.
At genitor, tali qui ſucceſſore, Deorum
Alloquio, & ſuperûm fruitur felicior aulâ,
Quam lætus ſua regna videt, quam Celtica gaudet
Fœdera firmari thalamis, ſpretoſque hymenæos
Diſplicuiſſe Iovi! Fortunatiſſime Regum,
Terrarum ſublime caput, ſublimior illis,
Immenſi pater Oceani, Tithonia vive
Secula; nulla tuas violet fortuna tiaras,
Sera thorum Lacheſis: ſuccreſcant regia mundo
Pignora; ſceptriferos fundant palatia natos;
Borbonioſque duces, bellatoreſque Stuartos
Parturiat Regina tibi: ſolatia Belgis
Suffice: magnanimæ reddas erepta ſorori
Imperia: Auſtriacis finem decerne triumphis:
Atque iterum extremas feriant tua fulmina Gades.

MANES AVRIACI,

Sive in funus Illuſtr. ac Invictiſſ. Principis

D. MAVRICII, Principis ac Dom. Aurantiæ, Comitis Naſſaviæ, Cattimeliboci, Viandæ, Dietſiæ, Meurſiæ, Buræ, &c.

Epicedium.

SIDERA Belgarum ſociis contraria regnis
Neptuni terrent populos, & fœdere lævo
Errabunda truci concurrũt lumina vultu.
Nec victi Superûm placarunt numina Boii,
Et cæſæ ingentes animæ: non pulſus avitis

Sedi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Sedibus, & patrio Nemetum de limine Princeps:
Fataleſque vices Batavûm: non funera magni
Regis, & attoniti rapto rectore Britanni:
Et quæ plura ferox nuper portenta cometes
Prodidit, & diris præcîdit ſtamina fatis.
Omnis in Auriaco creſcit dolor; & ſua damnans
Gaudia venturos præſentit Belga labores;
Dum tanti Ducis arma jacent; nec ahenea caſſis
Cingit honoratam media inter prœlia frontem,
Aut Marti dat jura ſuo, nec fœta triumphis
Gloria devictum prorſus ſibi ſpondet Iberum.
Ex æquo ſors illa nocet: nec ſimplicis umbram
Funeris urna capit. morimur cum Principe cuncti,
Et patriæ ruit alma ſalus. deceſſimus omnes,
Et buſtum commune ſumus; nec publica tantum
Nomina luctus habet; potius privata dolemus
Auguſtos pia turba rogos, & proxima letho
Agmina ferali trahimus ſuſpiria planctu.
Occidit Heſperiæ terror, ſpretique Philippi
Opprobrium, & manes dudum ſatis ulta paternos
Dextera; cui niveis toties invecta quadrigis
Inclyta devictas patefecit gloria portas.
Nec laudem morientis habet, bellove cadentis
Cantaber; aut tantos potuit ſperare triumphos
Dux Italus. ſoli excellens proſternere fortes
Dii valuere caput; nec victis debita terris
Vna triumphanti ceſſit Victoria cœlo.
Succubuit Mars ipſe viro, quem cedere ferro
Sæpius, & preſſis aciem diffundere caſtris
Vidimus audaces Batavi; nec rectius enſem
Bellonæ ſtrinxere manus. cœleſtibus armis
Pugnaces ceſſere minæ, tantumque ſupremo
Conceſſum ſuperare Iovi. Regnator aquarum,
Et magnus Belgî domitor, tot nomina laudum
Victriceſque aquilas uni ſubmiſit Olympo,
Armorum bellique ſatur. ſeu fata vocarunt
Eme-

meritum , terraque omnes explevit honores;
Heu gravis ira Deûm eſt. poteras non clarior ultr
Magne Heros vixiſſe tuis , nec dignius unquam,
Non victâ virtute , mori ; dum perſonat orbis
Militiæ documenta tuæ , geminoque ſub axe
Attonitas feriunt felicia claſſica gentes.
Jam ſpatium meritis aliud , jam ſidera deerant
Altera, quo victor proprios deducere Cattos,
Aut immanſuetos poſſis transferre Cheruſcos;
Aut ſocium Tameſi Scotum ; vel fervida Celtæ
Pectora , & infracto braccatas corpore turmas.
Nec voluit ſupereſſe manus , quæ feſſa laborum
Quadruplici tumidas meruiſſet cardine lauros,
Et famæ compleſſet opus. Spectaverat Auſter
Pacatum , noſtris captivum claſſibus , æquor
Ferre jugum , & Batavis Chilen ardere favillis.
Malbarici patuere ſinus , Phœbique cubile
Illius auſpiciis miſſus compreſſerat hoſpes,
Et thalamos Aurora tuos , & torrida flammis
Littora : qua rapidâ ſtipatus Mænade Liber
Invida prædixit noſtræ commercia terræ,
Quaſque mari portamus opes , venturaque ſero
Carbaſa. terruerant gelidũ quoq; tranſtra Booten,
Extra anni Soliſque vias : ubi verba fretumque
Naſſavii æterno ſervat ſub frigore Thetys.
Scilicet hac hoſti brevior tentata nocendi
Semita , & Eoi quæſita potentia regni,
Qua glacies & dura aditus natura negavit;
Nec ſequitur Cancri damnatus finibus Æthon.
Hoc totum potuere rates : nec vincere terrâ
Sat fuit , Oceanum medioque natantia ponto
Regna capit Nerei ſoboles ; ſubjectaque nobis
Alterius convexa poli. Ductore ſub illo
Conveniunt gemini ſceptris communibus Indi;
Iunximus Europam Numidis, Aſiæque potenti
Battaviam : Gangi frenatum littore Rhenum;

Ipſam

Ipſam Helicen cum Solis equis; commercia Nigris
Invehit in Vahalim; & toto volitantia mundo
Æmula Romanos tranſcendunt carbaſa fines.
Nec tamen ante Duci naſcentem ſubdere Solem
Cura fuit, quam tuta domi fortuna ſtetiſſet,
Limitibuſque exiſſet Iber; quam priſtina rurſus
Reddita libertas patriæ, depulſaque Bætis
Imperia, & ſacro quæſitus nomine lictor.
Iam puero Martis rabies, hoſtemque premendi
Ardor erat, galeæque micans in vertice fulgor,
Et procul adverſo nutantes flamine criſtæ,
Et fremitus ſpumantis equi, ſtrepituſque virorum,
Tympanaque in mediis ſpirabant prælia campis.
Armabat balliſta manum, gladiumque peritus
Stringere, & edoctam Threcũ præcepta machærã,
Ibat in hoſtiles cuneos, lituique tubæque
Pugnandi fomenta dabant. hæc ſola voluptas,
Inter pugnaces greſſum librare maniplos,
Et mixtos linguis populos. Iam juſſa phalanges,
Et leges acies capiunt; jam nominis horror,
Ipſaque majeſtas animos, atque effera duri
Militis ora tenet. poterat regnare ſilendo,
Et nutu Dictator erat. nec gloria belli
Expectare virum voluit. Prætexta triumphos
Adſpicit, & rudibus Mavors ſe oſtentat in annis,
Præſagus tantorum operum laudiſque futuræ.
Altera Troia dolis capitur, primique laboris
Præmia ceſpes habet. voluit ſe vincere demens
Hoſtis, & invictis infert fatalia muris
Pondera lævus Iber. ſtupuit fortuna, ſuumque,
Cum vicit, laudavit opus; ne Græcia felix
Sola foret, fraudiſque ſuæ præconia ferret.
Nec tantum placuere doli, fallaxque juventæ
Commentum, noſtroque Sinon ſub ſidere natus:
Plus acies, plus dextra valent, pariterq; Philippum
Et virtus domat, & ratio, fortuna laborque,

Viſque

Viſque favens Superûm : nec Belgis ſufficit uno
Victores audire modo. Tu conſcia rerum
Dic mihi Calliope, (neq; enim ſine numine Divûm
Vicimus, aut tantos fas eſt memorare labores)
Dic acies, actaſque animis in prælia gentes,
Oppida victa manu, captivas claſſibus undas,
Victores Aſiæ populos, & ſubdita Cattis
Littora, & hoſtili manantes ſanguine terras.
Poſt ſcelus Heſperium, patriæque infanda parentis
Fata, Britannorum ratibus contexerat æquor
Cantaber, & magnam debellaturus Eliſam,
Pleumoſios Morinoſque inter ſpe vicerat hoſtem.
Cui veniens paucis Batavũ manus obvia tranſtris,
Fluctivagas acies, totique minantia ponto
Caſtra Caledoniis Thuleſque illiſit arenis,
Pinus ubi, laceræque notarunt æquore puppes.
Poſt etiam accenſas Arctoo milite Gades,
Et flammas Tarteſſe tuas, ſpoliataque ditis
Regna Tagi, & vacuas Eois mercibus alnos
Vidimus, & victam claro certamine Calpen:
Tunc cum belligeras illi ſubiiſſe carinas
Cerneret Oceani quondam regnator Iberus;
Nec poſſet ſuperare domi : cum proxima regi
Littora Bæticolæ magnis Heemskerckius auſis
Vreret, & fractas audaci Marte carinas,
Disjectaſque trabes adverſus cerneret Atlas.
Hæc pacem tum bella dabant. ſenſitque ſuperbus
Velleris aurati fatalia tempora cuſtos,
Et timuit bellare diu. Nos claſſibus ultra
Ivimus, &, medium qua Sol diſterminat orbem,
Vicimus, ut ſpatiis axes contingeret æquis
Auriacæ virtutis honos. Nos arva priorum,
Et Fortunatas illo ſub Principe terras
Preſſimus, & puppes cantatis fiximus oris.
Sed pelago me terra vocat. Sat maxime ductor
Tempora roſtratâ fulgent tibi vincta coronâ.

Altera

Altera Naſſavios quæ cingat laurea crines
Texitur, & fuſos toties teſtabitur hoſtes.
Dic clades Brabante tuas, dic nobile lethum
Varaxi, cæſoſque duces, diſperſaque campis
Funera, ſtillantes fumanti ſanguine criſtas,
Membraq; trunca virũ, & ſqualentia corpora tabo.
Flandria, cui ſero ſemper memorabitur ævo
Altera lux Iulî, quantas in littore ſtrages
Spectaſti, minus æqua tuis; cum compede vinctam
Heſperiam, & totas traheret poſt terga phalanges
Victor Arauſiades; patriæ cum tota perire
Debebat, vel ſtare ſalus; & Belgica concors
Hoſtili concluſa ſolo pendebat ab armis.
Hinc fluctus, hinc ſævus Iber, vel laudis amorem
Suadebant, vel fœda trucis ludibria ponti.
Cauſa Diis placuit. favit pugnantibus æther,
Nec Titan infeſtus equis. Iam vincere Flandros,
Iam noſtros fortuna videt. jam cedit Iberus,
Iam Batavus. nutat Mavors ferrum inter & enſes,
Nunc alius, nunc rursũ alius. ſpes neutra triumphi
Ancipitiſque diu cœlum diſcrimina belli (eſt;
Dividit; ingentes donec dux Belgicus iras
Colligit, & ſparſas capto rectore cohortes
Occupat, & cæſos Alberto Cæſare manes
Vlturus, magno inferias mactavit Adolpho.
Quid mihi Pellæum juvenem grandæva vetuſtas
Objicis? & victas diſcuſſis mœnibus arces,
Sidona, magnanimamq; Tyrũ? quid Perſica jactas
Agmina, quid vaſto metuendum corpore Porum
Illius cecidiſſe manu? licet impiger Hellen
Spreverit, & rapido terrentem flumine Tigrin,
Mauritio minor ille fuit: neque tantus in arma
Ivit ovans Macetes. Aſiam vicere ſariſſæ.
Imbelles vis docta viros. nos miles Iberus
Exercet, fertque arma armis non diſſona Veſper.
Ceſſerit Euphrates illi, nos vicimus æquor;

Ille

Ille Scythas, molleſque Arabas, deſuetaque bello
Nomina Bactrorum, & diffuſos finibus Indos;
Nos, qua terra patet, Solem Batavoſque ſub uno
Clauſimus imperio. nos duri cornua Rheni
Fregimus,& Moſam pariter Vahalimque Sicambris
Vinximus , atque iſtos longè ſuperavimus amnes.
Auxit Naſſavias ſuperata Daventria laudes,
Acceſſitque prior titulis Zutphania noſtris.
Das faſces Neomage duci: das præmia belli
Hulſta potens: tantiſq; etiam Stenovice triumphis
Adderis, & celſam vinci potuiſſe Covordam,
Obſeſſamq;iterum vinci haud potuiſſe Covordam,
Vidiſti, Friſiæ columen. Nec montibus hæſit
Tutior, aut Dominum Gertrudisberga Philippum
Paſſa diu, precio venales reddidit arces.
Mox quoq; non victæ per ſecula multa Groningæ
Mœnia celſa ruunt, aquilaſque & iura Leoni
Cæſareus ſubmittit apex. Iam fœdera poſcit
Meurſia, iam domitas adportat Berka ſecures,
Et veteres parent Salij. Brefordia pacem
Mutato rectore capit : nec iungere dextras
Grolla timet, regique cupit validiſſima vallo
Linga nihil debere ſuo. Quàm Gravia vellet
Se vinci potuiſſe prius, metuendaque Sluſa
Toxandris; tunc cum celeres in bella triremes
Mitteret, & Boreum terreret Spinola pontum!
Tu quoque, victa licet, noſtris accede trophæis
O victrix Oſtenda diu ; quam tertia meſſis
Cantabricos vidit ſpernentem impunè furores;
Nec totam potuiſſe capi. das fruſta Philippo,
Dumq; peris jam facta minor,nova mœnia condis,
Totque urbes ex urbe trahis. Spectate nepotes
Ilion in Morinis. Hæc nobis altera ſurgunt
Pergama, nec ſolis illudit Troja Pelaſgis.
Vrbs iacet ad Vahalim, priſcis celebrata ſalinis,
Bommela,Mendozæ opprobrium,& fugiẽtis Iberi.

Vindicat obſeſſam Auriacus, claruſque triumphis
Inclyta laurigeris attexit gramina ſertis.
Victorem conſpexit hyems, & frigore duro
VVachtendoncha ducem patitur. divenditur ære,
Et cinctum gemino mercamur flumine caſtrum.
Iuliacum vis iſta domat, geminiſque petitum
Principibus litem Batavo tutore diremit.
Vltima Naſſavios explevit Berga labores;
Nec timuit ſecura minas, & ſubruta furtim
Mœnia fallaci Liguri. concedimus hoſti
Nil præter pugnæ ſpatium. quo prima locarant
Caſtra loco belli Proceres, hac parte ſteterunt,
Et tumulum poſuere ſibi. concurritur armis
Cominus, & ſolo libertas ſanguine tuta eſt.
His titulis bellator ovat, nec nomine ab uno
Emeruit famæ precium. Non clarius unquam
Alta triumphali ſcandit Capitolia curru
Cimbrorum domitor; vel qui Pellæa Quirino
Sceptra dedit. nunquã dominas comitata curules
Iuſtius Auſonijs fremuerunt agmina portis.
  Intereà, dum tanta Heros præconia laudum
Congerit,& domito placatur Veſpere Mavors,
Non ſemper fera bella placent, ſed redditus aſtris
Æthereas arces , ſuperûmque ingentia tecta,
Et circumfuſo pendentia fornice templa
Mente capit, quas Tycho ſagax ediſſerit artes,
Quas Belus, quas priſca Pharus, vel cælifer Atlas,
Brachmanumq; ſcholæ, vel doctæ Cecropis arces,
Quaſque Syracuſius formas inſcripſit arenis.
Vt nova & antiquis oracula diſſona ſeclis
Edat, & ardentem ſiſtat Copernicus æthram;
Terrarumq; globum, magnæque habitacula Veſtæ
Audaci ratione rotet, totumque profundum
Verſet, & hæc celſo ſuſpendat pondera cœlo.
Nunc Pallas, nunc arma juvant, nunc ſidera fulgent
Explorata Duci ; nunc terras milite ſubdit,

Quaſque domat, metitur aquas. ſtant ocia cœlo,
Bella ſolo, placiduſque ſuas in cortice pugnas,
Nec nocitura videt tenerâ certamina chartâ
Mars pater, & doctos miratur ſurgere vallos,
Et ſcriptas foliis acies: ſeu cornua campis
Stare volet, ſeu ſigna ciet contraria Mavors,
Aut peditem circumdat eques, cuneoſque reducit,
Aut laxat Bellona ſuos. Sic tempora quondam,
Et malè currentes Romanis reddidit annos
Cæſar, & Auſonios ſcripſit poſt prælia faſtos.
Sic Macedo poſitis clypeo pauliſper, & haſta,
Troiugenûm Dolopumq; manus, & Dorica luſtrat
Agmina, pugnandique capit de carmine leges,
Bellandique modos. O quam ventura ſtupebis
Poſteritas, cum naſcentes in ſecula libros,
Naſſavioque duci ſcriptos miraberis orbes!
Ille ducum domitor, victus cui paruit armis
Heſperus, atque oriens juravit fœdera Titan;
Qui Tarteſſiacas flammis ultricibus oras
Terruit, atque alio poſuit victricia mundo
Signa, nec Auſtriacos timuit damnare furores,
Inter bella docet. validas qui verterat arces
Miles, & Hiſpanis aſperſit cædibus æquor,
Scrìpſit, & imbelles etiam ſeceſſit in artes.
O rerum fatique vices, atque invida terris
Iuſſà Deûm! nimium ſuperis tu Belgica tellus
Viſa potens. moritur patriæ ſpes omnis, & omnis
Gloria Cattigenûm: docuit qui cedere Rheno
Bætin, & ad Phœbi ſuſpendit limina lauros.
Libertas perculſa ſtupet, ſequimurque feretrum
Exanimes Batavi, compreſſaque pectora luctu
Solamur lachrymis. intonſo crine Sicamber
Ambulat, & querulo Valachri ſua murmura ponto
Ingeminant. Friſiis gemitus in vultibus hærent,
Nec Flevus ſua damna tacet. Germania ſorti
Hoc dolet acceſſiſſè ſuæ, cuniſque ſuperba

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Principis, in tanto deponit funere faſtum.
Iam Rhodanus, noſtriſque olim defenſus ab armis
Sequana, per vaſtos trudunt ſua flumina fluctus,
Et ſolos nos flere vetant. Iam triſtis Ierne eſt,
Quæque Caledoniis frigent in ſaltibus urbes.
Communiſque memor generoſa Britannia belli.
At vos, Adriaco jurantes ſceptra profundo,
Ad Belgas properate Patres; pars fœderis hæc ſit,
Condoluiſſe malis. Tuque inviĉtiſſime Regum,
Terror Hyperboreæ gentis, gelidoſque triones
Et Moſchum, Guſtave, domans, dum prœlia victor
Conficis, & pulſo neſcis concedere regi,
Tantiſper te redde tibi; dum luxeris orbum
Mauritio Batavum & ſociæ diſpendia gentis.
Heu quis ad Indorum populos, ad littora Gangis,
Memnoniamque domum tam claræ nuncia mortis
Deferet? ereptum te nobis, maxime rector,
Audiet Euphrates, & conſcia nominis Helle,
Ingentiſque Aſiæ domitor, veteriſque Iugurthæ
Imperia, & faciles nobis Carthaginis arces.
Te quoque, ſis licet hoſtis, Iber, miſereſcere tantis
Poſſe reor damnis. Docuit te prælia princeps,
Et multum hac virtute ſapis. dum plurima perdis
Oppida, quod reliquum belli inclementia fecit,
Iam diſcis ſervare tibi. quo Marte periſſes,
Iam perſtas, Martemque pari Mavorte fatigas.
Hoc ceſſent, precor, arma die, lituique priores
Diſſimulent in morte iras, ne barbara manes
Claſſica ſollicitent: dum verſis ambulat armis
Miles, & ingenti tumulus decernitur umbræ.
Magne Ligur, non jam clades hæc dextra minatur
Bellatrix, nec caſtra locat contraria caſtris.
Securo ſpectare licet. ſi diſplicet hoſtis,
Qualis ad obſeſſum riſit tua fulmina Zomam:
Tu ducis officium, tu docti militis artes,
Atque hoſtem diſcerne tuum. laudabis in illo
Invi-

Invitus, quod amare nefas. hoc Belgica dices,
Emicuit ductore diu, regiſque peroſa
Iuſſa ſui, veteres armis victricibus iras
Vlta fuit, tantoque ſui ſtetit obſide fati.
At tu Naſſaviæ gentis magnique parentis
Gloria, bellatrix anima, & jam debita cœlo
Progenies, priſco dux exæquande Camillo,
Æmule Scipiadum, jam libertate reductâ,
Et debellati ſpoliis Orientis onuſtus,
Totque ducum exuviis, infer cœleſtibus aſtris
Emeritum bello caput, & qua deſpicit orbem
Maximus Alcides, & nomina nata triumphis,
Addere ſideribus ſidus. tibi ſævus Orion
Cedit, & Arctoas cuſtos Erymanthidos urſæ
Pandit ſponte fores; ſua carbaſa porrigit Argo,
Certe alium vectura ducem. tibi fervida cœli
Regna Cleonei deſpondet ſtella leonis,
Et retro vult ferre gradum; nec triſte minatus
Pronior Auſtrales vergit Capricornus ad oras,
Indigetemque invitat ovans. quacunque micabis
Parte poli, domitas iſto ſub ſidere terras
Adſpicies. ſi ſervet Eos, fumantia ſub te
Æquora, & infeſtæ flagrantia tranſtra Malaccæ.
Diſcutient fulgore diem. ſi diſplicet ortus,
Occiduique placent auguſta palatia cœli,
Hic tibi magnanimo tellus inventa Columbo
Heſperias monſtrabit opes, & dedita nobis
Mœnia, Sacratoſque ſinus. ſi vergis ad Auſtrum,
Amſtelio cernes nuper freta pervia Tiphy,
Scriptaque Mauritii longinquis nomina terris.
Si legis Arctoi glacialia ſidera mundi,
Hic quoque conſtructas Batavûm mirabere villas,
Et populi monumenta tui, duroque peruſtam
Frigore Neptuni ſobolem. Sed mitia ſi te
Aſtra vocant, placidoſque inter cenſeberis ignes,
Qua tenet incluſos habitabilis orbita Belgas,

Et dextrum ferit umbra latus, devicta videbis
Oppida, disjectas acies, belloque cadentes
Egregias heroum animas, nec inulta parentis
Buſta tui, fœtam ſpoliis pendentibus Hagam,
Placatum Vahali Rhenum, deſuetaque regum
Imperia, & patriis firmatum legibus orbem.
Nos cives, pia turba, tui, jam publica luctus
Argumenta damus, votiſque repoſcimus umbram,
Præcipiteſque colos querimur. Te Fama perennis
Per terras pelaguſque vehit, ſuppoſtaque noſtris
Littora littoribus, quaque explicat aureus æther
Templa Deûm, vaſtoſque expandit Iuppiter axes,
Clangenti canet arma tubâ; nec tanta ſilebunt
Bella prius memores Belgæ, quam flumine verſo
Irriget Hollandos Atheſis, Sabrina Sicambros,
Parrhaſiiſque jugis Tanais delapſus, & Indus,
Mutato Batavas pulſabunt littore terras.

In Manes Auriacos

CASPARIS BARLÆI

Epigramma

CONSTANTINI HVGENII

EQVITIS.

Riſimus has inter lachrimas; ignoſcite Cives,
Gaudia nec vobis invidioſa loquor.
Riſimus. hos nobis lugendi docta voluptas
Exprimis, hos plauſus ingenioſe dolor.
Quæ mihi Barlæïo præeat ſuſpiria planctu
Præfica, quæ grandes effleat ore modos,
Vt veter arridere, pius de Cive poeta
Factus, & in grandes mollis utrimque modos?

Non decet alba bonum facies in funere civem,
Lectorem facies non decet atra tuum.
Hinc dolor, hinc lauti luctus, & gratia flendi
Afficit, ancipitem quo feriare magis.
Pace tuâ, Barlæe, ſubit gaudere gementi,
Vt ſubit à gemitu gratior urna tuo.
Qui me flere velis, fletu minus ora venuſto
Infice, tam compte qui jubet, ille vetat.
Vos tamen ut, magni Manes, fleviſſe libenter
Arguar, in fletus invoco porro meos,
Sed Batavos fletus, patrii lamenta doloris
Conſcia, de tali languida verba ſinu.
Qui male plorantes ſequitur pudor, eſto Batavûm,
Vix rubor humentes afficit iſte genas:
At bene lugendi ſequitur quæ gloria vatem,
Hanc Barlæe tibi cedimus, una tua eſt.

Ad Illuſtriſſimum Principem

FREDERICVM HENRICVM

Principem Auriacum, Comitem Naſſaviæ, &c. Gubernatorem Gelriæ, Hollandiæ, VVeſt-Friſiæ, &c.

Gratulatio panegyrica.

Illuſtriſſime Princeps:

Facit contemplatio, ſenſuſque publicæ felicitatis, ut quos honores divinis pariter & humanis conſiliis ſummos adeptus es, Tibi gratulari audeam, eâ oratione, quæ nulli noſtratium invidioſa, exterorum nullis, præterquam hoſtibus, ingrata eſſe poteſt. Vti enim ad hoc maximæ

dignitatis & imperii faſtigium, non ambitio Te, aut luxuriantis fortunæ cœcus favor, ſed perſpecta Belgarum populo virtus, animique fortitudo, & gentis Auriacæ ingentia merita evexerunt; ita nulli grave eſſe poteſt tanti nominis tui incrementum, niſi cui expedit ſine rectore eſſe avitæ libertatis vindicem Rempublicam. Etenim poſt noctem, quam pene ſupremam habuimus, defuncto fratre Principe, novum ſidus illuxiſti, cuius ortus, quaſi novi Solis, lucem caliganti patriæ reddidit, & publici mœroris inviſam tempeſtatem ſubita ſerenitate diſcuſſit. Vt dubium ſit, utrum maior fuerit conceptus ex morte Invictiſſimi Herois dolor, an ex hiſce imperii tui auſpiciis commune gaudium. Certe paria ſint oportet Nec diſpar eſſe poteſt occidentis & naſcentis virtutis æſtimatio. Et ita nobiſcum comparatum eſt, ut quorum bonorum iactura dolemus quam maxime, eorum acceſſione, quum ſumma illa ſunt, gaudeamus non minus. Quantum enim in Fratre amiſiſſe nos fatemur, tantum in Te recuperaſſe certa animi fiducia credimus. Vt ſi ſub illo floruit inclytum Fœderati Belgii imperium, ſub Te, quam adeptum eſt ſecuritatem, & gloriam, porro inviolatam conſervabit. Non poterant profecto Potentiſſimi Fœderati Bel-

gii Ordines ſapientius tantarum rerum momenta moderari, niſi ut in eadem domo familiaque Imperii vires remanerent, cuius nomen colere venerarique aſſuevimus, & in qua ſalutis ac præſidii noſtri firmamẽtum ac robur omne fato quodam repoſitum fuiſſe videtur. Fuit illa Naſſaviorum domus, cœlitus delapſa progenies ad Imperia Belgarum; quæ primum Belgio univerſo Præfectum dedit Engelbertum Naſſavium propatruum tuum, cuius ductu quum res maximas in Gallia Flandriaque geſſiſſet Cæſar laudatiſſimus Maximilianus, florentiſſimis eum Belgii nationibus præfecit. Quem ſecutus Henricus Naſſavius, Engelberti è fratre nepos, non ſolum potentiſſimo exercitui Caroli Quinti Cæſaris in Galliis dux præfuit, verum etiam Brabantiæ univerſæ, aliarumque Provinciarum, eiuſdem Imperatoris nomine, gubernacula tenuit. Nec minor laus fuit propatruelis tui Renati Cabilionenſis, Arauſionenſium Principis, Hollandiæ, Zelandiæ, Friſiæque gubernatoris, qui poſtquam Gelriæ ducatum Caroli Cæſaris imperio adieciſſet, feliciſſimos blandientis fortunæ ſucceſſus præmaturâ morte finivit. Mox ad patrem tuum Gulielmum devolutus Auranſiæ Principatus, & Hollandiæ, Friſiæ, ac Vltraiecti, Præfectura; in qua ita ſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

geſſit Princeps conſideratiſſimus, ut quum ſe & Patriæ & Regi ſuo ſacra fide obſtrictum ſciret, non prius à Rege defecerit, quam poſtquam ille rex eſſe deſiiſſet, nec patriæ cuſtodiam depoſuerit etiam tunc, quum empti latronis metu ea defendenda eſſet, & magna mercede parricidis veniam feciſſet regius furor. Et quanquam nulla calamitas par eius morti ab irato Numine excogitari potuit, tamen magnitudinem rerum, quas difficillimis temporibus egit, intuentibus, credere licet, tantum Principem Deum accommodaſſe turbatis Patriæ rebus, ut non niſi extincta tyrannide, partaque libertate, eum origini ſuæ, hoc eſt, cœlo repeteret. Poſt hunc, graviſſimis Hiſpanorum odiis ac periculis circumſeptam Rempublicam, Gubernatoris titulo, aſſecutus eſt Mauritius frater, qui bellum ſub Patre inchoatum tanta in rebus agendis promptitudine, celeritate ac felicitate geſſit, ut hoſtem, qui laceſſiverat prior, fractis iam ultrà Herculis Liberique terminos viribus, induciarum leges accipere coëgerit. Et ſanè, ſi cauſam potuiſſet, non alium ipſe belli ſui Imperatorem electurus fuiſſe videbatur. Itaque nomen eius & fama rerum per totum orbem diffuſa, gentibus etiam exteris admirationi ac terrori fuit, & non modo eorum hominum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

num, qui nunc ſunt, gloriam, ſed etiam antiquitatis memoriam ſuperavit. Huic Principi quum ſucceſſor quæreretur, non poterat præter Te eligi alius, qui ad hanc ſpem genitus & educatus, non maiores ſolum, ſed & iam nuper Patrem Fratremque tantorum muniorum conſortes habuiſti. ut quoties hos mente circunferres, toties in altero ſingularis prudentiæ, in altero fortitudinis militaris cum fortuna coniunctæ imaginem recognoſceres, & per veſtigia utriuſque decurrens, ſicuti generi, ita & magnitudini amborum ſuccederes. Vtique iſtis Ducibus ordinata primum diſciplina militaris, viresque civitatum, non minus bellandi arte, quam virtute firmatæ; ut quibus ſtudiis imperii noſtri fundamenta iecit Pater, opes publicæ ac privatæ, bellique laudes ſub Fratre creverunt, iiſdem totius operis gloriam conſummares. Nec ſolum profectò maximorum Principum cognatione, velut honeſto quodam ſanguinis præiudicio, Reipub. gubernaculis admotus es, verum propriis virtutibus id fieri meruiſti, quod citrà ullius invidiam, omnium applauſu, veluti cœleſti oraculo, factus es. Non militari impetu ac inclinatione, quod Romanis Imperatoribus familiare, ſed conſilio & ratione electus es; ſi modò eligi potuiſti, qui ſolus tantæ moli

moli ſuſtinendæ idoneus ſuperfuiſti, nec tam auguſtæ gloriæ vicinum magis paremve alium habuiſti. Opus erat Milite, cuius Tu partes omnes expleviſti, tum mortis, cuius metus cæteros exanimat, perpetua contemptione, tum gloriæ laudiſque inſatiabili cupidine. Opus erat militiæ Duce, quem ita hactenus expreſſiſti, ut non niſi ſero factus videaris, nec doctrina uſuque ſolum, ſed naturæ beneficio Imperator eſſe credaris. Opus erat rerum, quæ domi ſunt, gubernatore, quem excelſæ indolis moderatione, rara humanitate, erga cives benevolentia, & prudenti conſilio, omnibus numeris abſolvis. E ludo & pueritiæ diſciplina in militiæ diſciplinam profectus es, & tyrocinii rudimenta ſub fratris militia depoſuiſti. Expugnatâ iam tum ab eodem Gertrudisbergâ, validiſſimæ urbis Dominio ſimul ac Præfecturâ auctior, patriæ hæreditatis ſortem inclyti ſanguinis ac nominis fama illuſtraſti. Adoleſcens ordines & ſigna duxiſti, & maiore, quam ferebat ætas, animo hoſtem petiiſti, non ante potens tui, quam maximi parentis manibus Hiſpanorum ſanguine parentaſſes. Omnia facilius, quam moram ferre poteras. Cunctatio ſervilis, ſtatim exequi militare ac regium adoleſcenti videbatur. In acie animus & armis erat, & victo-

victoriam iam animo præconcipiebas, ſi tantum ante ſigna & phalanges tuas ſtare potuiſſes. Quin etiam, quæ leviora haberi ſolent in re militari, charum te ac venerandum efficiebant, exercitatio armorum quotidiana, inter ipſos milites gregarios converſatio, vigorque militaris. Fratri perpetuus comes adhærebas, qui tot urbium victor, tot præliis ſuperior, tot claſſium domitor, nunquam ſine Te victor fuit, ſed uti conſilii periculique, ita laudis quoque & gloriæ conſortem eſſe voluit Ibas in hoſtes, ipſis cuneis immixtus, nec honeſtum eſſe ducebas de illo triumphare, quem non læſiſſes ipſe. Leve credebas nominis tui auſpiciis pugnari, niſi bellorum diſcrimini te offerres ipſe, mucrones in ora hoſtium dirigeres, collato pede pugnares, ordines turbares, nec niſi proſtrato hoſte gradum promoveres. Ita non Ducis ſolum, ſed & militis munia executus es; nec diſciplina ſolum ac iuſſis, ſed exemplo etiam & factis præiviſti. Vidimus vultum ducentis in prælium milites, obſidentis urbes, fugantis obſidentes, obſeſſos liberantis, & equites ad bellum excitantis; iam patriæ libertatem, iam hoſtium ſpolia, iam inveteratæ virtutis documenta, & immortalis gloriæ præmia pro concione commemorantis. Ne vero maior eſſet armorum quam prudentiæ tuæ

laus,

laus, ineunte adoleſcentia in Concilium Status (quod vocant) adſcitus, bellicas res conſiliis quoque tuis moderatus fuiſti, & eas ſententias dixiſti, quæ ſummam prudentiam cum ſumma animi excelſitate coniunctam indicarent. Peditum agmina poſtquam feliciter duxiſſes, tandem totius Belgici equitatus imperator fuiſti, & maximum belli noſtri robur ac ſeptum cura tua fulciviſti. Nec poterat arctis patriæ limitibus concludi ſublimis animi tui vigor. In Britanniam legatus mitteris, & initum olim cum Elizabetha fœdus reſtaurans, à Iacobo Rege veteris ſocietatis ſubſidia facile impetras. Reverſus, urbibus, propugnaculiſque omnibus, quotquot in Flandrica ora Potentiſſimis Ordinibus parent, gubernator præficeris, & futuræ dignitatis præludia auſpiciaque capis. Etenim, quum in belli Duce hæc ineſſe oporteat; ſcientiam rei militaris, animi fortitudinem, & authoritatem; quis Te ſcientior eſſe poteſt? qui militiæ præcepta non ſolum à Fratre accepiſti, ſed & dediſti ipſe; nec quæ dediſti, ex alienis ſemper iudiciis, ſed ex propriis quoque bellis ac victoriis hauſiſti. Puer, vir, domi, foris, armis, conſiliis, pace, bello, arte, robore, eques, pedes, terra, mari, miles, dux, vel geſſiſti bella, vel quæ

gere-

gereres, cogitaſti. Quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus urgendo trahendove bello modus, expedire, propriæ tuæ laudes ſunt. Vt pedeſtres, ut equeſtres ducendæ turmæ, ne locum deſerant, ne ordines turbent; ut munire caſtra, ut ducere foſſas, ut committere exercitus, ut eoſdem revocare oporteat: denique quæcunque evenire in acie ac præliis poſſunt, omnia campeſtri meditatione prænoviſti. Fluminum tractus, Moſæ, Vahalis, Rheni, Iſalæ, Scaldis vada, profunditates & flexus, urbium, propugnaculorum, portuum ſitus, ac robora, aperta tibi ſunt. Et, quod in Annibale laudat Livius, non minus hoſtium, quam tua loca explorata habes. Fortitudinem vero animi in iis perſpicere licet, quæ vel cum aliis, vel ſine aliis magna præclaraque egiſti. Tu comite Briaulteo, aliiſque Gallicæ nobilitatis Ducibus, è caſtris digreſſus, & Mendozæ inſidiis circumventus, inſigni fortitudine Te tuoſque expediviſti, & periculi magnitudinem laudi ac commodo deputaſti. Nec enim temere adverſa caſuum æſtimat, quem fortuna ſubinde decepit. Tu ad Roram amnem, circumfuſis undique hoſtibus, captus pene, capi tamen non potuiſti, & cum victus videreris, verſo in deſperationem conſilio, non ſine numine

victo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

victoriam repertaſti. Pugnabant utique pro te celebrati nominis fama, & illa ipſa, quam dixi, deſperatio, ingens ad contemnenda pericula incitamentum. Tu obſeſſam à potenti Rege Brunſuicenſium metropolim ſummis obſidionis periculis liberaſti, tantaque id negocium confeciſti celeritate, ut citius viciſſe, quam veniſſe cognoſcereris, eiuſdemque liberationis author idem & nuncius fueris. Tu, cum ancipiti diu certamine in Flandria de ſumma pene rerum dimicaretur, ingens quoque tuis incitamentum fuiſti, tum ad ſe tuendum, tum ad hoſtes fortiter inceſſendum. Tu Limburgenſi agro, rigente bruma, ignes & arma intuliſti, & non magna militum manu, in ipſo hoſtilis terræ meditullio, Erkelium oppidum expugnaſti, diripuiſti, incendiſti. Trepidavit nuper ſubito cohortium tuarum adventu Brabantia, & illic militem Batavum ſtare obſtupuit, ubi ſecuritatis ſuæ & imperii ſedem poſuit ſumma Hiſpaniarum maieſtas. Et facile Nemetum terris iam pridem triſtem ſervitutem avertiſſes, niſi læva fuiſſet iis Ducibus mens, qui blandis fœderibus circumventi, inglorii & ſinguli perire, quam glorioſiſſimi belli fortunam experiri maluerunt. Ita contemtrix illa mortis pro patria virtus latius ſe diffudit, quam ubi

nata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

ata eſt; & heroicos auſus illic explicare onata fuit, ubi ſtirpis ſuæ originem ac cu- abulæ veneratur. Adeſt quoque Tibi, quæ multum in bellis adminiſtrandis atque im- erio militari valet, Auctoritas. Et, qualis audatus ille Germanicus, viſu & auditu uxta venerabilis, cum magnitudinem & ravitatem ſummæ fortunæ retines, invi- diam & arrogantiam effugiſti. De Felicitate nihil dicam, quæ quia in poteſtate noſtra non eſt, nec virtutibus accenſeri meretur. Eam tibi Deus ſummam præſtet, & deſti- nata ſalubriter potentius numen exequa- tur. Formam imperante dignam ſortitus, non animis ſolum, ſed etiam oculis civium ſervis. Imperium quoties cogitas, omnem Maieſtatem in lubrico poſitam prudenter cogitas, & inter maximam & ultimam fortunam nihil intereſſe edoctus, illam reve- renter habes. Feſtinationem, temeritatem- que prudentia ac conſiliorum freno modera- ris. In omnem occaſionem intentus, nec tuæ dees, nec hoſti ſuam ſubminiſtras. Sed in- ter has præclaras & eximias virtutes tuas, maxime tamen ſe oſtendit Comitas illa tua, &, quam à Batava gente habes, Humani- tas; quæ ita in te elucet, ut ad hanc unam virtutem genuiſſe te videatur natura, ſtu- dium exercuiſſe, felicitas ſervaſſe. Ita faciles

aditus

aditus ad Te privatorum, ita liberas eſſe querimonias ſinis, ut is, qui dignitate principibus excellis, facilitate par infimis videaris. Moderationem, modeſtiamque, in omni fortuna eminentia bona, propria habes, &, quod de Tito olim dictum, neminem à ſermone tuo triſtiorem dimittis. Tua quoque hæc vox eſt, quæ olim fuit Traiani laudatiſſimi Principis: Talem præſtabo me Imperatorem meis, qualem optarem ipſe privatus. *Quæ quum ita ſint, minime fuiſſe difficilis deliberatio credenda eſt, quiſnam potiſſimum tantis rebus, hoc tanto bello præficiendus eſſet. Mihi vero memoria vetera repetenti, & mentis oculos per antiqua avorum tuorum decora circumferenti, hæc ſedet ſententia, nulla te virtute maioribus tuis minorem futurum, qui nulli dignitate, opibus, animique celſitudine es inferior. Quid? quod rerum à te geſtarum præſtantia, velut quibuſdam alis, ſublati, cogitatione & ſpe multo iam ulterius provolamus. Nec ſentit vovetque aliud Patria univerſa, quæ vota iam ſua colligit, fauſtiſque acclamationibus Gubernatorem ſuum gratulabunda excipit. Gaudent Illuſtriſſimi Potentiſſimique Fœderati Belgii Ordines, &, quam ſummam habent poteſtatem, Te imperante ac vindicante illuſtriorem habent. Gaudet Batavia,* ſingu-

ſingulari iure tua, & ei ſe vitam dediſſe gloriatur, à quo vitam iam ſibi ſecuritatemque promittit. Gaudet Geldria, & illum ſe Ducem nactam lætatur, cuius induſtria propagatos imperii ſui fines, Rhenum, Vahalim, Moſamque ab hoſtium incurſionibus non ſemel defenſos adſpexit. Gaudent Toxandri, & cum omnium te ducem agnoſcant, ſuum privato nomine compellant. Gaudent Traiectini, & inter Batavos ac Sicambros medii utrorumque applauſus ſuis applauſibus excipiunt. Gaudet Naſſaviorum familia omnis, & gloriæ ſuæ incrementa ex tua ſperat. Gaudet civium quiſque, quorum alii corpus, non virtutem, alii ſolum nomen patris immutatum eſſe dicunt. Omnes certatim te velut beneficum & ſalutare quoddam numen adſpiciunt, alternis iudiciis ambigentes, Dominum ſalutent, an Patrem. Iam militum totiuſque exercitus applauſus quantum tui vel admirationi deditiſint, vel charitate flagrent, teſtes ſunt. Fremitus concurſuſque omnium, neminem ſolum gratulari ſinit. Ac cæteri quidem viciniores Principes ac populi, quanta omnes animorum alacritate recentem Præfecturæ tuæ nũcium acceperint, ex eorum Legatis cognoſcere potuiſti. Academia noſtra, Reip. huius non ornamentum ſolum, ſed & fulcrum,

pari-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

pariter Te Patriæ ac litterarum, Martis Palladiſque tutorem veneratur. Quare capeſſe gubernacula florentiſſimarum provinciarum Princeps Illme, quas fama rerum geſtarum, opum affluentia, virium gloria terribiles fecit. Agitur in iis Naſſaviorum gloria, quæ tibi à maioribus cum magna in rebus aliis, tum maxima in re militari tradita eſt: agitur ſalus tot ſociorum atq; amicorum, regum, principumque, qui ſuam felicitatem perniciemque à noſtra ſeiungi non poſſe ſapienter vident: agitur fortuna tot optimorum civium, quibus non ſalvis & pacis ornamenta & ſubſidia belli fruſtra requires. Exempla Tibi adſunt fortiter & feliciter capiendi imperii à maioribus illis tuis, quos immenſa ſerie Cæſaribus annectis. Eminent inter illos Adolphus, Gulielmus, Mauritius, primi ultimique conditores magnitudinis & claritudinis Naſſavicæ. Adolphus vir bello maximus, plus virtuti ſuæ, quam fortunæ debuit, & quum omnia ſua ſaluti publicæ devoviſſet, ſe quoque tandem devovit; docuitque poſteros, difficulter poſſideri imperia, quæ cum potentiorum invidia poſſidentur. Gulielmus pater, ut cæteras eius virtutes ſileam, Lenitatem, Conſtantiamque, & in ſævis undis tranquillum animum tibi tranſcribit. Vt gubernator in

magna

magna navi flectit ac regit omnia parvo motu, ipſe immotus; talis ille tuus genitor, periculorum ſecurus, fluctuantem bellorum tempeſtatibus Belgicæ navem. Quid Mauritius frater? vixit carus ſuis, metuendus hoſtibus, utriſque venerandus, & ſatur gloriæ, ſatur vitæ, Te non imperii modo ſui, ſed & virtutum ſuarum hæredem reliquit. Fuit in illo vis animi incredibilis, laborum patientia propemodum nimia, fortitudo inter Europæos Principes excellens, conſilium par animi fortitudini, ſcientia rerum Mathematicarum eximia, pietas denique erga parentem inſignis; quam, Philippum paternæ cædis authorem non ſemel iuſtiſſimo bello ultus, orbi teſtatam fecit. Et, quæ ſumma numinis benignitas fuit, exſpectavere eum fata, dum Oriente domito, aditoque nuper Occidente, quicquid mortalitas capiebat, nominis fama impleret. Quod ſi maternum genus ſpectare libeat, quod ex Galliæ ſummis Principibus deducis, hîc avum intuere Caſparem Colinium, Galliæ Admiralium, magnæ authoritatis, famæ, ac fidei virum, qui cum ſe totum puriori religioni conſecraviſſet, vitam ſibi crudeliter eripi, quam illam, maluit. Tu ſuccedis, & iiſdem virtutibus illos reddis, quorum ſanguinem præfers. Non poteſt non rapi ad ſimilitudi-

nem

nem eorum, à quibus fluxit, excellens indoles, & ſimulacrum refert cœleſtis animi decerpta ab iis aura. Obſequeris vocanti Te ad magna Fortunæ, ſed ita, ut virtuti illam ipſam debeas. Sine hac Princeps famam magnam habere potes, non potes bonam. Non convenire cuiquam imperium aiebat Cyrus, qui non melior eſſet iis, quibus imperaret. Nec firmum imperium eſſe poteſt, ubi illa exulat. Vti navigantium oculi in Helicen, ita in Principes ſuos verſæ pleræque civium mentes & oculi, non tam imperio, quam exemplo moventur. Arduum tuum munus eſt, & magnum, mole, cura, periculo. Bello præficeris graviſſimo, ſive hoſtem ſpectes, cujus potentia maxima eſt, ſive rempublicam, quam defendi noſtra aliorumque intereſt. Et cum alibi bella fuiſſe, & tranſiſſe compertum ſit, hic ſediſſe & habitaſſe creduntur. Scilicet, fecit locorum oportunitas, & eorum conſpiratio, qui magnitudini noſtræ ſunt offenſi, ut conſilia & arma undique Auſtriacorum verterentur in has partes, & noſtro hoc ſolo certamen certaretur, penè dicam, de Europa. Veniſti in medium belli diſcrimen, ex quo non difficulter Te expedies, ſi, quod facis, Deum adhibueris in conſilio, & nihil magni ſine illo Numine te poſſe credideris. Habuit olim libertas noſtra hoſtes poten-

tiſſimos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

ſſimos Romanos, & iam Hiſpanos habet, entem, uti Annæus Florus teſtatur, bellaricem, viris armiſque nobilem, Annialis eruditricem. Vtriſque, cum in bella ruderetur, oppoſuit cauſæ æquitatem, artem militarem, & invictum animi robur. Sed er graviſſimas tempeſtates, & bellorum proellas, in hanc temporum felicitatem enaviavit, auctaque inter arma & enſes imperii oteſtas, fama, & opes. Tu iiſdem præſidiis fretus, fortitudini animi, quæ in te ſumma eſt, conſilium iungis; quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem afferre ſolet. Vides magnos duces plura conſilio quam vi perfeciſſe: nec temere Diomedi ſocium Ithacum aſſignare ſapientiæ patrem. Bellum Hiſpanienſe, graviſſimis cauſis, magno animo, felici ſucceſſu ſuſceptum, continuas, & parentis tui infandam cædem porro expiare pergis. Vtique Belgis imperas, quibus pro aris & focis fortiter mori ſuavius ſemper fuit, quam ante eos. Imperas iis, qui bellis circumſepti, nondum tamen bello laſſati ſunt, nec pacem ſe habere poſſe, præterquam in bello, arbitrantur. Imperas, ſed magnis rerum noſtrarum adiutoribus, Gallo & Britanno, quibus opitulandi neceſſitatem non ſociorum ſolum amor, ſed & propriæ ſecuritatis ſolicitudo quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

quam maximã imponit. Et eſt profectò is hoſtis, cum quo non de gloria aut propagandis imperii finibus pugnamus, ſed de vita, & quod vita antiquius, avita libertate. Fatum quoque hoc eſt tuæ ſtirpis & domus, ut gloriæ ſuæ magnitudinem à miſerorum tutela habeat. Dictum olim de Scipionum gẽte, natam eam ad Carthaginem vincẽdam. Ego de tua dixerim, natam eam ad ſublevandos tyrannide & fœdo ſervitutis iugo Belgarum populos. Pacem ab hoſte nec petis, ne victi videamur; nec oblatam reſpuas, ne ſuperbi victores habeamur. Nihil enim magis decorum Principi, quam ut ſciant omnes, & ſuſcipere illum iuſte bella, & finire poſſe. Sed nullam admittes, niſi honeſtam & tutam. Secus non pax ea foret, ſed ſervitutis pactio. Procerum populique hæc vox, hæc ſententia eſt: Potius cum dignitate cadendum eſſe, quam cum ignominia ſerviendum. E militia & bello ſubductum Reſpublica vocat, ſed (ignoſce Patria ſic loquenti) non omni ex parte beata. Tu beare eam porro non deſinis, dum Religionem & Iuſtitiam, certiſſima ſecuritatis publicæ pignora, fortiter propugnas. Vtique hæ illæ virtutes ſunt, quibus Principes Deos fieri Auguſtus perhibebat. Illa, cum Dei Opt. Max. munus ſit, in animos imperium habet, nec à

nobis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

nobis divelli poteſt. Et cum Deo hominem, homines hominibus, hos ipſos Principi ſuo alliget, vincula illa diſſolvi non patitur. Vnam ſententia fruſtra exſpectabis, quia ſuam quiſque impenſius amat; unam animis optare licet, quia plures Chriſtiani ſumus; quos utcunque opinio & doctorum placita dividant, cœleſtium bonorum ſenſus communioque arctius iunxiſſe debebat. Occurrit ſupplex Iuſtitia, & ad pedes tuos provoluta, ſe quoque laciniam veſti tuæ attexi poſtulat. Dum ſe commendat, cives ſuos ſuoſque commendat, ſummi, medii, infimique ordinis. Tu Curiæ ac iuris ſummus præſes unicuique ſuum das, ne inferiores vim patiantur, nec ſuperiores contumeliam accipiant. Non minus enim te civibus datum arbitraris, quam tibi cives. Et ſicuti ſidera ſplendorem non habent, niſi ut uſibus mortalium inſerviant: ita nec Tu dignitatem hanc, niſi cum officio coniunctam, habes. Iuſtitiæ clementiam & lenitatem admiſces, & in hoc faſtigio non magnus magis, quam bonus audire deſideras. Amari ſiquidem à popularibus, metui ab hoſtibus, digni principis eſt. Famam, iam præſertim in theatro ius poſitus, ſerio curas; & cum reliqui mortalium ea, quæ conducunt, maxime ſectentur, Tu præcipua rerum tuarum ad illam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

dirigis. Quare temporibus tuis dicendis non deerunt decora ingenia, & grata poſteritas proſperam tui memoriam circumferet. Nec minus lætus hic Inaugurationis tuæ orietur dies, & ſalutaris Belgis tuis, nec Belgis tantum, ſed & vicinis, nec vicinis tantum, ſed & longe diſſitis; etiam iis, qui adverſa nobis veſtigia prementes, alia ſidera, aliud cœlum vident. Plura dicerem, niſi apud Deos Principeſque pauco ſermone utendum ſcirem.

Faxit Deus immortalis, ſtator vindexque hujus imperii, ut quam libertatem avitam inſignis Naſſoviorum prudentia, Procerum, civium, militumque egregia virtus, & ante omnia cœleſte ipſius numen hactenus defenſavit, tutam porro inviolatamque conſerves; & Parenti fato diſpar, Fratri felicitate par, utrique animi magnitudine ſimillimus, Te officiaque tua omnia *Patriæque Patrique* æternum conſecres.

DE

DE

FREDERICI HENRICI
Auranſiorum Principis
Præfecturâ

PANEGYRIS.

Belgica, quam magno circumfluus æquore Nereus
Tundit, & inviſo tutam ſecludit Ibero;
Quæ ſocias ſacro junxiſti fœdere terras;
Nec rigidi fers juſſa Tagi, calcataque Regi
Heſperio paribus propugnas jura periclis:
Sit mihi fas tibi fauſta loqui, lætumque precari
Augurium facileſque Deos; dum proſpera diros
Diſcuſſit Fortuna dies; & falciger iras
Leniit, ac facili procurrunt ſidera motu.
Explicat ipſa ſuos oriens Aurora jugales
Lætior, & mœſtos defuncto Principe vultus
Expandit meliore coma; nec gaudia Titan
Diſſimulans, Batavo fulget magis aureus orbi.
Tu Superis, *Henrice*, places, & numina nobis
Blanda facis; tibi pacatus deſæviit æther,
Et veteres ſeclis trudit melioribus annos.
Auſpiciis Paphos alma favet, thalamoſque coronat
Conjuge mollis Hymen. deerat ſpes altera gentis
Auriacæ, tantoque novum de Principe germen
Debebat cœlum Batavis, & læta futuros
Exſpectans natura Duces. nunc publica curas
Sceptra vocant; faſceſque tibi deſignat, & enſes
Belga favens, totumq; audet tibi ſubdere Martem.
Maxima Battaviœ crevit reverentia terræ,
Et gaudent delubra Deûm, trabeataque paſſim
Limina; jam ſacro circumvallata Senatu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Curia neglectas alio ſub Præſide cauſas
Vindicat, & preſſo accelerat reſponſa clienti.
It Themidi Bellona comes, freniſque ſub iiſdem
Concordes ſociant animos, nec patria tantos
Pluribus imperiis prudens divellit honores,
Iuraque caſtrenſi dirimit civilia lauro.
Scilicet una decus belli fortuna tuetur,
Et momenta togæ; ne vel vileſcat inermis
Curia, vel ſolo damnentur crimina ferro.
Non pudet armatas Aſtræam ferre ſecures,
Et gladium vibrare manu; nec priſtina legum
Gradivus conſulta fugit. Spectatur in aula
Miles Arauſiades, & qui modò voverat arma
Cattigenis, patriiſque fidem juraverat oris,
Iam ſua clamoſis deſpondet nomina roſtris.
Inclyta progenies, & priſcis cognita ſeclis,
Imperium tituloſque capit; cui ſplendidus olim
Implicuit ſacros Mœnus diademate crines,
Et pronæ fulſere aquilæ. Sic nempe futuros
Oceani terræque Deos, & divitis Indi,
Auguſto voluit numen de ſanguine naſci.
Illic magnanimos ſeries aſpectat Othones;
Illic Pannonio celebres Mavorte Robertos,
Victores Latii, & captæ (proh tempora) Romæ.
Tũc cum purpureus gemeret nova vincula præſul,
Cæſareumque nefas, ereptaque jura cathedræ,
Indoluit, mediiſque pater Tiberinus ab undis
Dura triumphati ſpectavit fata Quirini.
VValravos fert illa duces, felicia Gallis
Nomina, cum ſocium exoraret Sequana Rhenum,
Et premeret populos virtus Germana rebelles.
Hic quoque Gerlacos, quos ſanctior infula texit,
Et Iani fulgent Proceres. quique acer in hoſtem
Ivit, & exutum docuit parere Garumnam,
Engelbertus ovans. Non hunc magis horrid⁹ enſis,
Quam pacis decoravit amor, Batavâque ſuperbum
Maje-

[M]ajeſtate caput; querulas cui Flandria voces
[E]t tumidos poſuit dictis placata furores.
[H]is genitor defluxit avis; nec degener illo
[S]anguine crudelis furias contemſit Iberi,
[A]lbanique minas: vomeret cum prælia Bætis,
[M]iſſaque in Advaticis ſævirent agmina portis,
[E]t lentos ſecura Fides conſcenderet ignes.
[I]le Pater, magno Belgas turbante tumultu,
[A]ſſeruit ferro patriam, tot reſtitit armis
[U]nus, &, iratis Princeps tranquillus in undis,
[A]ra focis, ariſque Deum, terráſque colonis
[R]eddidit, & profugis deſertas civibus urbes.
[N]ec te magna parens, duris exercita fatis
[F]emina, cui triplici maduerunt cæde penates,
[B]iſque empto latrone thorus, jam ſera ſilebunt
[C]armina. Tu tantæ dicas primordia gentis
[G]allia, & ingentem faſtis inſcribe Loyſam,
[C]olinioſque Duces. Tumulos venerare; ſed unum
[T]ot ſeclis expunge diem, quo perfida Cypris
[C]ædibus infames Francorum aſperſit amores,
[I]mpiaque aſpexit redivivus fercla Thyeſtes.
[M]auritius virtute præit, tituliſque decorum
[I]lluſtrat belloque genus. non una trophæis
[S]at fuit, aut forti ſuffecit Belgica dextræ,
[P]arva nimis. vaſti clauduntur cardine cœli
[P]rælia, & immenſum circumfert vela per orbem
[B]ellatrix victrixque manus. Sic plurima ſceptris
[A]ccedunt, *Frederice*, tuis, longoque triumphas
[O]rdine, & innumeris turgeſcit linea lauris.
[N]ec tibi pacatis Germania ſedibus olim
[V]itæ jura dedit, nec prima luce coronas
[S]uſpendit foribus Cattus, ſtirpique tuorum
[S]axo placens. Gaudet claris natalibus æquor,
[N]ereidumque domus, Batavi. Tu fluctibus ortus
[O]ceanoque patri debes. Tu Martius inter
[T]ympanaque, fremituſque virûm, bellique labores

 Naſceris,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Naſceris, & patrio tepefactis ſanguine cunis
Indormis, ſcelerum ignarus. niſi fortè tenellis
Emicuere aliquæ jam tum vagitibus iræ,
Et cæſi vindicta Patris. Velut obvia quando
Occurrens Libyco tigris furibunda leoni,
Cui proles it parva comes, diſcerpta feroces
Deponit moritura minas : ſtat proxima matri
Trux ſoboles, ſentitque malum; ſed viribus impar,
Præſentem condit, mox hunc ultura, dolorem.
Iactat Creta Iovem, Delos Latonia Phœbum,
Partus Delpha tuos. Fratrem dedit extera tellus,
Sed genitrix urbs noſtra tibi eſt. quid mœnia civis
Gibboſo fundata Duci, laticeſque recoctos
Eſſe putas laudis precium ? tibi gloria major
Surgit, & Auriacus latè famam explicat infans.
Ille ubi prima levi fixit veſtigia greſſu,
Militis emicuit ſpecies, genituſque videri
Bellator poterat. ſunt arma crepundia, luſus
Devicti Mavortis opes, raptæque ſubactis
Hoſtibus exuviæ. clypei, galeæque tubæque,
Et coni radiantis apex, felicia belli
Orſa, placent, mediiſque audax adoleſcit in armis.
Sæpè dedit teneris haſtam geſtare lacertis
Mater, & intrepidos velavit caſſide vultus;
Vel latus accinxit gladio, duroque futurum
Armavit thorace Ducem. capit illa doloris
Lenimenta ſui, natique in imagine gaudet,
Vltorem mirata ſuum, feſtináque voti,
Hic vindex tuus, inquit, erit, Gulielme, nec umbrâ
Naſſavios inter proceres errabis inultâ.
Excepit prætexta togam, bullataque veſtis
Expandit juvenile decus; cum ludicra belli
Auſpicia, & fictæ ſprevit præludia pugnæ
Mens celſo cognata polo. vileſcere Pallas
Incipit, & Batavas jam dedignatus Athenas,
Gradivi præcepta capit. lorica Lycæum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Deſpicit, arma ſcholam, chartaſque repellit inertes
Pugnatura manus. Fraterna negotia ſpectans,
Hæc vellet permiſſa ſibi, doluitque trophæis
Præcidi tot bella ſuis: parere Sicambrum,
Et fortes animis Friſios, poſtremáque quondam
Nomina terrarum Morinos: tot caſtra teneri
Legibus, & famulis Moſam palleſcere ripis,
Et fratri totam Superos impendere Daphnen.
Poſſedit Bellona virum, & florentibus annis
Inſpirat Martis rabiem. mora nulla, ferocem
Occupat Heſperiam, &, quæ vulnera fecerat enſis,
Lambit, & hoſtilem rabido bibit ore cruorem,
Acer & indomitus; quo vel ſpes certa triumphi,
Vel patris memor ira vocat. pedes urget Iberum,
Vrget eques. fuſos premit imperterritus hoſtes,
Nec veniam dant arma fugæ. Non horrida mortis
Creditur aut lethi facies. non frigida Phœbe
Importuna Duci eſt; vel qui ſublimior axem
Phœbus habet. vidit ſpoliis Aurora ſuperbum,
Et lucis pars nulla vacat. pars temporis omnis,
Pugnanti favet omne ſolum. Iam claſſibus undas
Claudit hyems, equitumq; globos glacialia vectant
Flumina; nunc eadem Zephyris ſpirantibus æther
Laxat, & æquoreis exercitus innatat undis.
Quis tibi tunc Alberte dolor? cum claſſica noſtri
Principis Erkelias premerent victricia portas,
Et circum flagraret ager; cum rapta ſupellex,
Nec cuſtoditum victori cederet aurum,
Captivæque nurus. Qua tunc formidine preſſi
Pallebant Grudii; Batavas cum Dela phalanges
Cerneret, & docti muris vicina Lovanî
Lætior Auriacas cantaret buccina laudes.
Cum tu clare Ligur, cum Princeps fœmina regni
Fumantes fruſtrà lachrymis exſtingueret ignes,
Ingemeretque ſuis triſtis Brabantia buſtis,
Tutelæ ſecura ſuæ; cum territus hoſtem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Fugit, & ingenti ſe condidit æquore Scaldis.
Non Pandioniæ ſic contremuiſtis Athenæ;
Cum ferus immenſos vaſtaret milite campos
Medus, & in ſolis habitaret Græcia tranſtris.
Non ſic obſtupuit Latium, cum frangeret Alpes
Hannibal, & victis tremerent Capitolia Cannis.
Dic mihi Fama memor, quales Alemannia vultus
Sumſerit, adventu Batavi ductoris, ut omnis
Caſtra Getes, paviduſq; averterit agmina Cimber,
Codanique ſinus populi; cum libera ab armis
Vrbs auguſta novis juraret fœdera pactis.
O quoties duri circum fera cornua Rheni
Vectus equo,& triplici cataphractus pectora ferro,
Heſperias acies & formidata colonis
Caſtra ſtitit:quoties Vahalim Moſamque minacem
Cædibus Auſoniis vel ſanguine tinxit Ibero,
Et victos galeis hauſit victricibus amnes?
Flandria fatales Morinis reminiſcere faſtos,
Quæ cladis tum cauſa tuæ, quibus impiger auſis
Auriacus fraterque ruant: nunc littore caſtra
Prima locent; nunc arenti Gradivus arena
Æſtuet, & geminum ſpectet de collibus agmen,
Diviſa virtute ferox: ut lurida Thetys
Scuta virûm,galeáſque, & Bætica corpora fluctu
Abluat, & victo redeant ſua caſtra Philippo,
Vecta mari magno. Sed tu mihi Rora furentem
Siſte Ducem. viden' ut medios dilapſus in hoſtes,
Longius ipſe ſuas linquat poſt terga phalanges,
Et captum circumſtet Iber? Vos credite Belgæ.
Liber abit, pugnámque novo Mavorte laceſſens,
Qui modo captus erat, capienti elabitur hoſti,
Raptaque proſtrati ſuſpendit ſigna Trivulti.
Ecce Palatinæ libertas ſaucia terræ
Poſcit opem, victas Italus dum poſſidet urbes,
Arvaque Cæſareis Nemetum ſubmittit habenis.
Naſſavius molitur iter. nec ſegnior armat
Corni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Cornipedes, patriámque alium deducit in orbem.
Belga bibit Mœnum, timidum gens noſtra Moſellã,
Accola Neptuni Nicrum. miſcentur in unum
Vangionum Batavûmq; manus, non Trevir eunte
Siſtit, & oppoſitis populoſa Moguntia caſtris.
Stant acies. verum ſi mens non læva fuiſſet,
Lentaque criſtatus traxiſſet prælia Teuto,
Non jam Cantabricæ turbarent præla cohortes,
Victorique Nicer faſces ſubmitteret Iſtro.
Inter bella animum pugnæ inflammabat amore
Magnus Otho, quem Biſtoniis Germania peltis
Ire gravem, atque aquilis perjuras cedere Lunas
Lætior adſpexit. nunc victrix dextra Roberti;
Nunc bellatoris virtus generoſa Renati
Subdebat ſtimulos, tantoque alimenta furori.
Quò feſſum Dux ſumme rapis trans ęquora vatẽ,
Et vaſtos pelagi fluctus? regemque ſalutas,
Crinibus auguſtum triplex qui intexuit aurum.
Non mea regales tecum pudibunda ſubibit
Muſa lares, nec tanta rudi fiducia Phœbo eſt.
Tu patriæ voces & noſtri juſſa Senatus
Perficis, & magnæ juratum fœdus Eliſæ,
Publicaque egregiis confirmas commoda curis.
Nec ſolum Auriacas Mavortia nomina lauros
Condecorant; ſed Marte gravis, bellique trophæis,
Conſiliis augetur honos. Reſpublica felix
Te Duce, te ſuaſore manet; conſultaque gaudens
Suſpicit, & calidos Prudentia dirigit enſes.
Virtutum tibi templa patent, exemplaque factis
Prælucent antiqua tuis. dum libera quæris
Imperia, audacis ſuccurrit gloria Bruti.
Dum mortem populo impendis, te Conſulis umbrâ
Solaris Decii. urgentes ſi ſiſtat Iberos
Dextera, magnanimus mõſtrat tibi flumina Cocles.
Bella trahis, ſuaſit Fabius. victoribus inſtas.
Iam repetita redux attollit ſigna Camillus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Et raptum tibi Roma decus, Latiique reſarcit
Opprobrium. Cum dura pati fortuna coëgit,
Plurima ab intonſo ſumis documenta Catone.
Commendat faciles Trajani gratia vultus;
Nec patitur Titus eſſe ferum. Si lurida vexet
Caſtra fames, non jam Curios, contentaque parvo
Pectora Fabricii ſolus mirabitur Auſon.
Et Belgæ rudis herba placet, calidoque recoctæ
Sole dapes, & quæ mediis obſonia campis
Lixa parat. Si ſancta fides promiſſa repoſcat,
Regulus exemplo eſt. Faſtus contemnitur effrons
Tarquinii, Manlîque rigor, ſævique Neronis
Funera, & immanes quos olim Roma tyrannos
Indignata fuit. menti conſtantia ſedit
Adverſis infracta malis, & crimina ſolum
Haud credit licuiſſe ſibi, nec jura favori
Donat avaritiæ rabies, aut neſcia recti
Ira gravat. cunctos clementia temperat actus,
Et metui ſervile putat. plus roboris addit
Imperiis ſecurus amor, blandoque poteſtas
Nixa ſupercilio; nec ſe terrore tuetur
Majeſtatis honos. querulæ vaga murmura plebis
Rectorum ſcis eſſe vices, regnique labores.
Ipſe probas, quæ facta cupis; nec ſubdolus aures
Tundit adulator, ſævoque ferocius hoſte
Lingua nocens. totâ livor proſcribitur aulâ,
Dum ſolus damnetur Iber. Te patria primum;
Tu patriam, ſed primus, amas. vocat illa parentem,
Tu ſobolem; dubii patriſque & Principis inter
Nomina pergratis cives erroribus hærent.
Felix illa dies, mediis quâ Belgica caſtris
Elegit gaviſa Ducem, fraternaque fratri
Sceptra dedit. felix eadem, quâ ſplendida tecum
Aſtrææ venerandus adit delubra Senatus,
Æternumque tuo capiti meditatur honorem:
Faviſtis ſuperi Batavis; dum Principe ab uno

Iura

Iura Themis, Mars arma capit. non horridus ultrà
Terret, & ultrices Divûm pater explicat iras,
Aut cœlo portenta trahit. poſt funera Princeps
Naſceris, & nigros feralia pondera peplos
Exuit alba dies; & quæ modo præfica cantu
Luxerat Auriacum, triſtes te Præſide leſſus
Neſcit, & excuſſo reparat ſua gaudia luctu.
Applaudit tibi Belga favens, primuſque Sicamber
Accinit auguriis, tibi propugnacula Moſæ,
Et totum pandit Vahalim, diviſaque Rheni
Flumina, & invictas ferratis mœnibus arces.
Nec minus alma tuis genitrix Hollandia cunis
Læta novo fulgore micat, natoque ſuperbit
Principe, & auguſtas ſubmittit faſcibus urbes.
Omnia præſenti poſtponit ſecula duris
Emergens Toxander aquis, & Flandrica donans
Imperia, Auriaco littus cuſtode tuetur.
Te Flevus, Druſique labor, donataque mitrâ
Oppida, te dominum diviſis caſtra ſalutant
Gentibus; ipſa ſuo vel quas fœcunda virorum
Albion excivit gremio, vel proxima Rheni
Fontibus ora dedit, vel quas Germania pugnax
Caſſide, & æratis armavit Gallia gæſis.
Eoi tecum reſtaurant fœdera reges.
Rectorem Tidora colit; diteſque Moluccæ,
Iavaque odoratis onerant tibi mercibus alnos,
Victriceſque rates: fulvum Guinæa metallum
Spondet: Hydaſpeis ornantur pilea gemmis,
Atque alibi jam lucet Eos, Arctoaque cingit
Tempora. tranſmittit longinquis munera terris
Taprobane; fundunt reduces tibi thura Sabæi,
Et Syriæ molles populi, ac vicina Damaſco
Mœnia. Cuncta tuas venerantur littora laudes,
Totaque Naſſaviis vel paret machina juſſis,
Vel parere timet. vaſtis circumfluus undis
Neptunus tibi vota fremit, ſævumque tridentem,

Nerei-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Nereidumque domos, & magni jura profundi
Mancipat, & totum ſubmittit claſſibus æquor.
Sume paludatas, Princeps venerande, ſecures,
Et caſtris dic jura tuis. Sat multa triumphis
Littora ſervat Iber. Phœbo ſubtraximus Indum;
Occiduus reſtat, nec notus finibus Auſter,
Nec paſſim faciles Afri. Victricia cernat
Signa Tagus, noſtriſque minans Carteia carinis
Occidat, &, quondam mundi pars ultima, Gades.
Prædatrix Oſtenda ruat, tandemque trophæis
Accedat Dunkerka tuis. hoſtilia ſubde
Oppida, ſecurus decurrat puppibus æquor
Navita, nec captus ploret ſua fata viator.
Saltem aliquà Batavis Bredanum averte pudorem.
Multa tibi Ætnæis jam fumant æra caminis;
Invictaſque Duci galeas, & neſcia ferro
Cedere ſcuta ſuis Brontes fornacibus aptat,
Vulcanus gladios, Steropes thoraca, Pyracmon
Ferratas ſubigit frameas, claviſque nitentes
Loricas rutilo gaudens ſuperinduit auro.
Ipſa tibi magno tellus percuſſa tridenti
Fundit equos, cui Naſſavius calcaribus armos
Attentumque latus fodiat, qui flumina velox
Et rapidum tranet Vahalim; nunc culmina doctus
Tranſvolet, & nulli Cererem ſubducat ariſtæ.
Iam video nova regna rapi, Morinoſque coactos
Degeneris meminiſſe fugæ; jam ſubdere colla
Advaticos: domitis Scaldim miteſcere caſtris;
Latius impexum fines diffundere Geldrum,
Semotoque magis Friſios prædone vagari.
Tu Patriæ dignos ex te concede nepotes,
Auriacumque expande genus, ſtirpique futuræ
Imperii promitte decus. tibi templa, penates,
Curia concordes æterno fœdere mentes
Deſpondere velint: nec te Fratrique Patrique
Diſſimilem belli videant virtute Batavi.

Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Ad illuſtriſſimum Heroem, & Dominum,

D. WILHELMVM HERBERTVM,

COMITEM PENBROCHIAE, Supremum Sereniſſimi Magnæ Britanniæ Regis Dapiferum,

Carmen Euchariſticum.

QVæ nova Romulidûm maneant præconia currus,
Quantus honos ſurgat Ducibus, cum (vincta catenis
Gallia, cum domito luxit Germania Rheno,
Et vinci potuit Marcello Conſule Pænus
Hannibal, & centum decreta eſt laurea bellis,
Oſtendit terris Latium. vexere ſuperbæ
Pompeium Mariumque rotæ, fremituque ſecundo
Excepere ſuos olim Capitolia Paulos,
Scipiadaſque duos. illis poſt claſſica Mavors
Tempora murali fertur vinxiſſe coronâ;
Serta triumphantes aliis, plaudente Senatu,
Cinxerunt roſtrata rates: huic quercus honores,
Illi vile tulit gramen, fragranſque capillis
Myrtus, & in levibus fulſit victoria ramis.
Nec palmæ fuit amplus honos, quæſitaque Græcis
Gloria, cum rapidis tremeret ſub curribus Elis,
Argolicoſque duces tenui veſtiret olivâ.
At, quæ Palladiam maneant inſignia gentem:
Quos ſtudiis fortuna deos, quæ ſceptra Camœnis
Conciliet, quali radiet Barlæus in auro,
Exemplum tibi Belga ſumus. docuere Britanni,
Quo vates ſcribant precio, donumque tiaræ.
Per mea fulgentes ludunt jam colla catenæ.
Ecce renaſcentes regum clementia Muſas
Erigit, & multo rector ſublimis in oſtro
Ad ſua ſigna jubet ſpretas vireſcere lauros,
Cláraque Pegaſeis donat ſuffragia curis.

Nam

Nam velut adverſos animoſior exit in hoſtes
Miles, & excuſſo Martem terrore laceſſit,
Cum vexilla levant, mediiſque volantia campis
Tollunt ſigna duces, &, celſa ſede, laborum
Præmia pugnantum Princeps antè ora locavit:
Haud aliter Clariæ ſublimis ſignifer aulæ
Auget ſpes vatum *Carolus*; quin vindice tanto
Manant Caſtaliæ rivis majoribus undæ,
Antraque Pieridum, Parnaſſeique receſſus
Largius audaci fundunt modulamina cantu,
Et Cirrham novus horror agit, potioraque terris
Thymbræus reſponſa parat; felicius omen
Concipiunt, bifidæque ſonant oracula rupes.
Non alium certè ſibi docta cacumina poſcant
Eſſe Deum, nulloque magis ſe principe Phœbus
Æſtimat, aut ſummæ ſtringit faſtigia laudis.
Et jam Traianos iterum, jam vivere credo
Auguſtos: ataviſque etiam mihi regibus ortus
Mœcenas decus eſſe cupit, tenerique poetæ
Præſidium diadema favet. dant munera reges,
Et veneranda meos ſolatur purpura cantus.
Vos, quibus immenſo turgent æraria cenſu,
Diſcite terrarum domini, quo rectius uſu
Majeſtas ſplendeſcat opum, coctumque ſub ipſis
Montibus emineat vatum ſub frontibus aurum.
Tu, quæ Pyramidum celebras miracula Memphis,
Ecquid opus regale putas, ſuppoſta tueri
Marmora ſideribus? ſummoque è vertice latè
Splendentem de nocte Pharon? quod perdita luxu
Inchoet infames meretrix Ægyptia cænas?
Solaque Romanum potuit viciſſe maritum
Ambitio ſcelerata gulæ? cur ſplendida Cares
Buſta parant? cinereſque etiam ſe faſtus in ipſos
Explicat? aut centum ſurgunt Cadmeïa portis
Mœnia? cur totis donantur fercula caſtris?
Inſanas vorat Iſthmus opes? aut Thaide in una
Fran-

rangit Cecropios obſcena pecunia mores?
ignior ingeniis merces exſurgit, & omne
ræſtringit laus iſta decus, quæ debita Phæbo
onias recreat titulis illuſtribus artes,
t clauſos aperit fontes, atque obice rupto
ellerephontæos diffundit latius amnes.
ent ſua Luculli, doctis dent ſplendida grandes
ona Titi, Tullîque levet diſpendia dives
tticus, antiquas redimant ſeſtertia ſcenas,
ontiguo recubet Calabrûm cum vate ſepulchro
ngentis domitor Pœni: placuiſſe Nepoti
Carmina laſcivo poſſint cantata Catullo.
Me Tameſi placuiſſe juvat; me clarius oſtrum
Ditat, & auguſto *Carolus* circumdedit auro,
Terrarumque illuſtrat apex. Quæ gloria major,
Quam regalis erit? non me privata bearunt
Limina, plebeique lares, ſed rector Iernæ,
Albionis pater, & bellacis terror Iberi,
Qui Scoto dat frena truci, juſſiſque coercet
Orcades, & fronti lauros prætendit avitas.
  Quid memorare tuis generoſa Britannia terris
Eximium vox noſtra queat? lavat India feſſos
Solis equos; at feſſa tuis reſpirat in undis
Calliope, triſtemque fovent tua numina Phœbum.
Hîc regnat, quem Cirrha colit, qui ſceptra Camœnis
Porrigit, & magno vatum permiſcet amorem
Imperio, partemque ſui putat eſſe laboris,
Tot coluiſſe Deas, gentiſque attexit honori
Pegaſei decora ampla chori. dat Cantaber enſes,
Purpureaſque Tyrus lanas, & ſerica texit
Stamina Sidonius, fecunda meſſe ſuperbit
Gallia, candenti captat de marmore laudem
Dalmata: ſed ſolus vectigal grande poëtæ
Solvit, & hac noſter clareſcet laude Britannus.
Hoc donante ferunt Phocæa per arva fluentes
Caſtalios tumuiſſe lacus; Helicona per ipſum

Arriſit

Arriſit mihi docta cohors, & proſpera cœpit
Fortunæ ſperare meæ. mox murmure grato
Cum Tenedo Claros, & magno circumflua ponto
Perſonuit latè Delos, Pataræque faventes
Senſerunt delubra deos, & Cynthus, & ipſa
Soractis veneranda domus; quin conſcia rerum
Candida Grynæâ fluxerunt gaudia ſylvâ.
Non jam deſertas labiis arentibus artes
Invoco, non laceris ultrà ſapientia pannis
Spernitur, aut ſolus mercator fœnus in undis
Colligit, aut victor repetit poſt prœlia miles
Prœmia. Nos rutilæ, regalia ſerta, coronæ
Irradiant, ditique graves præcingimur Indo.
Rumpe omnes, mea Muſa, moras, tortiſq; decora
Torquibus, eximiam Tameſis te confer ad urbem,
Et ſceptris mea verba refer; Clariſſime regum,
Progenies auguſta Deûm, pro munere tanto
Vota tibi, vatemque damus. qui pignus honoris
Tranſmittis regale tui, cape pignus amoris,
Non illud regale, mei. quem ſcribere verſus
Augurio meliore doces, ſe nuncupat ipſum
Obſequio, Rex magne, Tibi; totumque poëtam
Mancipat, & Pimplam pariter Cirrhæaque ſceptris
Subdit ſceptra tuis. quod ſi Semeleius Evan
Vivit adhuc expers obitus: ſi flamma Promethei
Sufficit ad famæ precium: ſi vilis olivæ
Inventrix fluxi neſcit diſpendia ſecli,
Quique Pelethronii gyros & frena dedere,
Et qui lina dedit Pharius; donavit ariſtam
Triptolemus, fulgetque ipſis rex pauper in aſtris,
Et te perpetuis inſcribent carmina faſtis,
Iſtaque Gnoſiacam juxtà tua dona coronam;
Et *Caroli* ſplendeſcet honos. nec dignius ullum
Sidus erit. Phryxæa tuis concedere cogam
Vellera muneribus. tum quà ſe lacteus orbis
Explicat, hic circo torquis radiabit in albo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

At tu Pieridum decus, & jam proxima Regis
ura tui, veterum titulis illuſtris avorum,
rande poëtarum columen: *Penbrochia* cujus
nperiis placidiſque libens adſueſcit habenis:
ccipe, ſed facilis, Batavi reſponſa poëtæ,
grates, quas Belga fero. palatia per te
greſſus Tameſina fui; conſcendimus aulam,
triplicis regni Dominum, terræque, mariſque,
oce ſalutavi, ac primos gratata triumphos
alliope pudibunda fuit; mea carmina per te
egali ſunt tacta manu, chartiſque benignum
luxit diadema meis. O candide rerum
rbiter, externæ tollent tua nomina gentes,
nglia nec totum capiet. Te dividis illi,
attaviæque meæ, pariterque excellis in illa;
lîc prodeſſe cupis. Sic ſummis æmula divis
ita tua eſt, moreſque ſuos tranſcribit Olympus.
agne Heros, non aurato tibi victima cornu
æditur, aut humiles adolent tibi thura penates.
arra damus, pauperque tuis donaria libo
ntemerata focis. delectant caſta Tonantem,
Parva licet; vilique etiam placantur in hædo
Numina. Threiciũ nõ me propeStrymona pugnas
Mars docuit, mammaſq; truces admovit Amazon.
Nec mihi, quos geminis nectit Cyllenius hydris,
Mercantum patuere doli. nec conſcia fraudum
Sordida degenerem laſſat ſolertia mentem.
Inſons vita mihi eſt, ſunt ſoli dedita Phæbo
Pectora. quaſque ſuis Tameſis permiſceat undis,
Caſtalias haurimus aquas. dare munera poſſum,
Sed rude carmen erunt. Tu noſtris annue cœptis,
Et timidæ da vela rati. Tu calcar eunti
Subde, Camœnarum genitor, reſideſque ſorores
Erige, tu cani præbe virtutibus ævi
Materiam. dicant ſeri poſt fata nepotes,
Inclyta Barlæas fovit Penbrochia Muſas.

MANES

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

MANES BAVARI,

Sive

EPICEDIUM

In Obitum

Sereniſſimæ Principis ac Dominæ,

Magdalenæ, *natæ Comitis Palatini, Rheni, utriuſque* Bavariæ *Ducis*, *Vxoris Sereniſſimi Principis* VVolfgangi VVilhelmi, *Comitis Palatini, Rheni, Bavariæ, Cliviæ, &c.*

ILluſtres obitus, & magni nominis umbram, (beatæ
Et vacuum conſorte thorum, cinereſque
Cõjugis,& clara viduos genitrice penates
In Batavis, Dux magne,queror. Tibi triſtia mœror
Verba negat,tantique ſtupent ad buſta dolores,
Officiumque ſuum venerandis manibus alti
Exolvunt gemitus, mutique in funere luctus.
Non loqueris,quẽ damna premunt. non murmure
Sollicitas,qui fata probas. qui pectore volvis (Divos
Quæ Superis placuere, taces; & Principe dignum
Hoc credis, ceſſiſſe Deo. quem flere potentem
Majeſtas trabeæque vetant, contendere cœlo
Plus pietas ſubmiſſa vetat. quin ipſa dolendi
Præſcribit tibi cauſa modum, ſuetuſque virorum
Imperiis tacitis frangis ſuſpiria juſſis.
Nos potius memorare tui diſpendia lecti
Conveniet, tumuloque procul ſemotus & aula
Ingentem cantabo animam. Tu præfica triſtem
Dicta Melpomene ferali carmine leſſum,
Teque paludatis infer mœſtiſſima portis,
Et ſparſis miſeranda comis, vittiſque ſolutis
Horrida, & atratâ gradiens per compita pallâ

Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Ad BAVARAE conſiſte rogos. En nigra cupreſſos
Atria, funereaſque adolent palatia taxos,
Fractaque jamdudum longis Germania bellis
Nunc iterum,quod ploret,habet;pergitq;malorum
Congeriem cumulare ſibi, ac laudabile cæli
Depoſitum iratis queritur ſuccumbere Parcis.
Adſpice, feminea laſſatum mole feretrum,
Et Dominæ ſuffulcit onus, titubatque fatiſcens
Iulia, nec tantum Mavortia damna moratur,
Quam patrii lamenta ſoli, fatiſque petitum
Terrarum prælustre caput, quam *Clivia* vultum
Verberat, & grandi tundit præcordia planctu;
Nec dubitat, qua ſorte cadat, quo pignore rapto
Imperii lux priſca ſui, lumenque ſerenum
Occidat. ipſa ſuum præſenti in funere funus,
Ipſa ſuos languens cineres, populique cadaver
Bajulat, & charos inclamat pallida manes.
Largius afflictis deſtillant *Montibus* undæ,
Roranteſque natant udis in vallibus imbres,
Dum regni ſubſidit honos, & debita cœlo
Progenies, gentiſque ſuæ delecta voluptas,
Et communis amor moritur, quam lentior exit
Rhenus, & abſtruſo ſua flumina colligit alveo,
Vt poſſit plorare magis. non accola Moſæ,
Quemque rigat medias diffindens Nurſia terras,
Temperet à lachrymis. extinctam longius Albis
MAGDALIN ingeminat, funeſtaque fama Viſurgim
Perſonat, & mœſtos cognato ſanguine Bojos.
Ipſa Palatinas conturbant nuncia ſedes,
Inſertaſque plagas titulis. illuſtrior Iſter,
Auſtriaco victore, dolet, miſcetque triumphis
Hos luctus gemituſque ſuis. quocunque vagata eſt
Principis egregiæ virtus, percelluit urbes,
Teutonicoſque Duces, bellataque nomina ſeptem,
Semideoſque patres tanti fortuna ſepulchri.
Secula magnanimas celebrant antiqua maritas,
Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Et vario laudis precium præcone meretur
Femineæ probitatis opus. ſic caſta perennat
Emeritæ repetens mulier veſtigia telæ,
Ignavos exoſa procos. Priamëia Phœbas
Vivit adhuc, miſeræque canens præſagia Trojæ,
Andino ſub vate tumet. Lavinia conjux,
Hectoris Andromache, Latiis movet ora Camœnis,
Et tragicos implet Superûm donata furori
Iphigenia modos. nec tu, ſine teſte, ſuperſtes
Clælia victrices tranas audacior undas.
Porcia magnanimo potuit placuiſſe Catoni,
Iulia Pompeio. magno Stilicone Serena
Tollitur, & Phario ſurgit laudata poëtæ.
At tu, quã canimus, tantis quoq; matribus adde
Poſteritas. VVolfgange, ſuis fulgentior omne
Anteit honoratis conjux tua moribus ævum.
Priſca velim leviora putes, vel ficta vel aucta
Vatibus. illa ſuum tranſcendit ſplendida ſexum
Stemmate, ſtemma animis, animos virtutibus, illas
Antevenit pietatis honos. ô maxima rerum
Gloria, ſic privata domi, ſic claruit orbi.
Nobilitas cui prima fuit, cui ſtirpis origo
A Bavaris defluxit avis, contemnere faſtum
Nataleſque ſuos potuit, voluitque moneri,
Nil titulis, niſi fluxa, dari; proavoſque genuſque
Ad laudem non eſſe ſatis. cui nobile corpus
Texerunt Tyrio ſaturatæ murice veſtes,
Credidit exuvias, perituraque tegmina ferri,
In mortis documenta ſuæ. quæ limina preſſit,
Auguſtaſque domos, Pariiſque exſtructa columnis
Tecta Ducum, æterno felices numine ſedes
Prædidicit, votiſque ipſum prævenit Olympum.
Quas fluxas poſſedit opes, commune putavit
Cum populo miſeriſq; bonum: quas contulit ęther
Divitias, nullo veſana ſuperbia luxu
Perdidit. has ipsâ cum majeſtate tremiſcens
Pau-

'aupertas partita fuit. dum jura miniſtrat
:ivibus , his obedit : mandataque fortius urget,
)um cunctis probitate præit. non triſte loquenti
loquium, ſed mite fuit, majorque poteſtas
)fficio vult eſſe minor. reverentia verbis
Aixta fuit , comiſque lepor; prudentia, qualem
/el poſſent ſperaſſe viri ; clementia qualis
Equat ſceptra Deis : non gratia ficta, ſed uſque
Vativo ſplendore nitens.damnaverat atram
nvidiam probitas , leniſque modeſtia faſtum.
Truſit avaritiam ſcelerataque nomina fervens
Relligionis amor. laſcivos Cypridis ignes
Edomuit cœli ſtudium. ſic aula duceſque
Exemplo potuere regi, mulierque mariti
Perfecit mandata prior. Nec ſola regentem
Evexit ratio , & generoſi cultus honeſti:
pſa favens thalamis fecit Lucina parentem,
Indulſitque Ducem populo. qui faſcibus hæres
Succedat, trabeaſque puer, terraſque capeſſat,
Naſcitur, & tenero fulta eſt ſpes tota Philippo.
Hîc anceps natura ſtetit , matrémve patrémve
Redderet ingenio ſoboles; litemque diremit
Cœleſtûm favor, atque uno genitoris imago
Pectore & excelſæ viguit præſtantia matris.
Illa vireſcentis moderatrix docta juventæ
Conjunxit patriis maternas vocibus artes.
Nec molles tranſire dies , aut tempora luxu
Paſſa fuit. quanto fatis ſublimior ibat,
Acrius inſtabat monitis. quàm lubrica regnis
Sceptra, ſagax docuit: quali diſcrimine ſurgant,
Quàm facili mox ſorte ruant:quam præſtet amari,
Quam pravos terrere metu : quam parcere victis
Eximium : quàm ſit diris ſecurior armis
Aurea pax, quàm ſit turpis rectoribus orbis
Vilis adulator : proſint admiſſa bonorum
Conſilia,& Procerum voces,& verba monentûm.
Iam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Iam proavûm laudes puero, & celebrata parentis
Imperia inſtillans generoſos ſuſcitat ignes
Provida. prudentes miſcet ſermone Sibyllas,
Guilielmoſque duces, & regum fœdera narrat,
Auſtriacæque domus thalamos. hæc omnia mater,
Hæc dixit veneranda parens. ſic navita nato
Oceani fluctus, tumidique pericula ponti
Monſtrat, & ut fragilem poſſit ſubducere puppim
Syrtibus, aut Helicen, fixamq; intendat in Arcton
Nocturnos ſapiens oculos. Nec conjugis illa
Obſequio vel laude minor. pars digna cubilis
Imperio nunquam, ſemper certavit amando.
Sit ſua Penelope priſcis; dilexerit uxor
Alceſtis moritura virum; teſtetur amores
Laodameia ſuos: Bavaris amplexibus hæſit
Illibata fides, & caſti plena pudoris
Femina diſſolvit ſolo cum funere pactum.
Num Superos & fata querar? tantumq; repoſcã
In vivis ſupereſſe caput? proh, irrita fundit
Verba miſer, quiſquis fatales increpat horas
Neſcius, & precibus credat Plutona moveri.
Non moritur, quam vita probat, quã clarus in orbe
Virtutum commendat amor, cui nobile nomen,
Et longæva dabit vivacem gloria famam.
Hanc memores celebrare nurus, hanc dicere pergẽt
Poſt obitum egregiæ matres, grandeſque maritæ.
Hæ dominã, hæ matrem flebunt, & dulce ſuorum
Delicium. flebunt pueri, innuptæque puellæ.
Cunctorum dolor unus erit. Cum Luna laborat,
Oppoſitumque ſibi fatali tramite Solem
Adſpicit, & pulchri pereunt caligine vultus,
Horret tanta ſui tellus diſpendia mundi,
Ereptamque facem. defuncta Principe Phœben
Non ultra gens mœſta ſuam, non grata tuetur
Lumina, magnificumque jubar, licet altera Phœbi
Reſtet adhuc mundo facies, civeſque ſerenus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

VVolfangi colluſtret apex. Iam rura colonus
Negligit, & pigro lachrymas adſpergit aratro,
Autumnumq; gravem queritur. delubra, ſacerdos,
Curia, & afflicti trepidant formidine cives.
Hærent verba ſeni, ſentit ſua damna juventus,
Nobilitas, Equiteſque, & duri militis ora
Manſueſcunt, propiore rogo. Tu maxime Rector
IVLIACI, qui ſtemma tuum regalibus unis
Cōjugiis, Bavarumq;, & clarum ſtirpe Sicambrum,
Cæſareumque genus thalamis adjungis avitis,
Funereos inter gemitus, preſſoſque dolores,
Accipe Battavici, Princeps, ſolatia vatis,
Quaſque prior docto volviſti in pectore voces,
Et noſti, repetentem audi: qui regna tueris;
Humanis majora malis & turbine fati
Corda geris: qui jura tuis legeſque miniſtras,
Cœlicolûm decreta paves: qui gaudia verſas
Conſorti ſperata tuæ, ſuſpiria damnas;
Totque ferens populi rector mandata, viciſſim
Accipis à Superis. cum chari viva PHILIPPI
Ora vides, dignumque iſto moderamine pignus:
Hunc, tanta pro matre, vides: partemque parentis,
Hæredem virtutis habes. Tuque, optime Fili,
Deſine dilectos votis arceſſere manes,
Et cineres plorare pios. miſereſcere fatis,
Et lugere, tuum eſt: verum frenare dolorem,
Officium ſcis eſſe Ducis. qui ſceptra capeſſis,
Hæc etiam peritura capis. mors æqua tabernas
Regaleſque quatit turres. Tu magna tuorum
Factaque fortunaſque, & grandia nomina diſce.
Conſiliiſque virum, teneros virtutibus annos,
Et cura præverte ſenes. hæc audiat abſens
MAGDALIS, & noſtris ſubſcribant numina votis.

Finis libri primi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

CASPARIS BARLÆI

HEROICORUM

LIB. II.

Quo Illuſtres Fœderati populi Victoriæ, iam nuper partæ, celebrantur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

ARGO BATAVA.

Sive Epinicium in captam claſſem Mexicanam.

ARgolicas claſſes, ſpoliumq; illuſtre Pelaſgæ
Pubis, & aurifera raptū de Colchide vellus
In Batavis jam, Belga, vides. En Tiphyn, & Argo,
electoſque duces patriæ, reduceſque carinas,
Et Tarteſſiaco malè cuſtodita draconi
Munera, & Occidui penetralia diruta Phœbi.
Quas verſas, Fortuna, vices? quo crimine damnas
Heſperios irata Deos? dominumque potentem
Vis nutu trepidare tuo? nec regna perenni
Sorte beas? ſummoſque tuo ſub numine reges,
Sceptrorum quæ fata, doces? trabeaſque, duceſque,
Et formidatas gemino ſub Sole tiaras
Tot damnis facis eſſe reas? Num præſcia veri
Grajugenûm noſtris præluſit fabula terris?
Et Colchis tum ficta fuit, tum fictus Iaſon,
Et ficti Minyæ, & cantatæ pellicis artes?
Inveniunt nunc cuncta fidem. plus Colchide ſervat
India; Phryxæis pallens mutavimus aurum
Exuviis; noſtroque ſatus ſub ſidere ductor
Æſonides nunc alter adeſt. Argiva juventus
Toxandri Batavique ſumus. non Pelias Argo
Diſſcidit Euxinum trabibus ſpumantibus æquor,
Aut labor in veteri tantus jam luditur orbe:
Non qui rura ſecat gelidus ditiſſima Phaſis
Abreptas deplorat opes. ſtant littore puppes
Auriacæ, queriturque ſuæ diſpendia gentis
Infelix Veſper, nec quondam cognitus orbis
Vincitur, & ſolum vellet miteſcere Belgam.
Preſſerat Vnanimes Hiſpana potentia terras,
Imperiumque ſibi latè firmaverat auro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Dives Iber; poteratque uni mercabilis eſſe
Terrarum fortuna Tago. jam ceſſerat Ortus,
Frenaque Caſtellæ pallens admiſerat Indus,
Quà Pyrois ſe mergit aquis. ſubmiſerat Afer
Littora, & Auſtriacis toties Europa favillis
Arſerat, & dites poterat metuiſſe Philippos.
Sæpius iratum Vahalim Moſamque catenis
Strinxerat, & victas Rheno ſubtraxerat urbes:
Certatumque diu fuerat: num Rege ſub illo
Subdere ipſa ſuos concors quoque Belgica faſces,
An dominis contenta ſuis pars parvula mundi
Staret jure ſuo, lætumque oſtenderet orbi
Libertas ſpecioſa caput: num ſperneret audax
Regnatorem Aſiæ, an poſitis agnoſceret armis:
Cum Batavûm ſic ductor ait: Tantúmne licebit
Heſperiæ? populoſque meos impune laceſſet
Cantaber? & ſocios ultra populabitur agros?
Cur ſervat Bellona modum? cur ſegnior æther
Temperat armorum furias? & neutra potentum
Cauſa labat? cur quas nobis extorſerat arces
Eripit Auſtriaco? vel quas extorſerat illi
Donat Arauſiadæ? & mutato Principe mutat
Oppida, & adverſis pereunt mihi mœnia caſtris?
Luditur hoc terræ gremio, diviſaque belli
Gloria victorum geminis alternat honores
Partibus, & lenti partitur commoda Martis.
Promotum tellure parum eſt. vicina Sicamber
Bella dolet: Friſiis prædatrix finibus inſtat
Linga ferox: timet armatum Zelandia Scaldim:
Cunctaque circumſtant hoſtiles rura phalanges.
Tentanda eſt fortuna foris, meliorque triumphi
Materies rimanda procul. quocunque recedam,
Occurret quod perdat Iber. Iam paruit Eos,
Ferventeſque mihi faſces miſere Moluccæ,
Taprobaneque ferox, & divitis oſtia Gangis,
Et Tidor, & noſtris Ambona potentior armis.

Huc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Huc aquilas, huc ſigna tuli, ſubductaque Bæti
Terrarum pars magna fuit. Gangetica fumant
Littora, & Auriacis Malabar perculſa carinis
Horret adhuc, Batavûmque pavent incendia Iavæ.
Oppoſitum mundi reſtat latus. aurifer Indus,
Vltimaque Arctois Thetys, ſpolianda trophæis
Linquitur, & pulchro tellus donata metallo.
Illic pallidulas volvit Pactolus arenas,
Et ditis ſunt tecta Midæ, Pelopumque penates,
Attalicique lares. illic in viſcera terræ
Itur, & abſtruſæ turbat penetralia Veſtæ
Foſſor, & ipſe ſuo ſcrutator concolor auro.
Quid Cuſcum, Quitumq; potens, precioſaq; Chiles
Oppida, quid placidis Limam quæ præſidet undis,
Commemorem, claramq; Peru? capit inde malorũ
Argumenta furor, ſocioque ſuperbia luxu
Ingenii fomenta ſui, cauſaſque nocendi
Invenit. hic dirum peregrina pecunia Martem,
Peſtiferaſque faces, bellique accendit Erinnyn,
Inque neces noſtras totius armavit Iberum.
Hæc clypeos tot vena vomit, tot fabricat enſes,
Invertit fas atque fidem, regumque ruinas
Ex alto ſcelerata trahit, tot ſubruit urbes,
Tot populos, fatale lutum. timuere Britanni
Heſperii rectoris opes, ſenſitque ferocem
Gallia, terribilem Venetus, Germania fortem,
Belga gravem, ſævumque ſibi glacialis Ierne,
Audacem Allobroges, regnatoremque profundi
Oceanus. tanto ſupplex natura magiſtro
Paruit. hoc uno princeps ditatus ab Indo
Subdidit hunc ipſum ſceptris, & margine cœli
Finiit imperium. qui, tot labentibus annis,
Terruit infractos audaci milite Belgas,
Indus erat. qui caſtra Tago transfudit in Arcton,
Inſtravitque ſuis Neptunia regna carinis,
Ille fuit. quæ manſuetum tot cædibus Albim

E 2 Imbuit,

Imbuit, & Nemetum conſperſit ſanguine terras,
Pars mundi poſtrema fuit. ſi ceſſimus, auro
Ceſſimus, Hiſpanæ nunquam vicere ſariſſæ;
Quæ vicit, dis gleba fuit. tam nobile lucrum
Emeruit famæ precium. Quid ſedibus hiſce
Protrahimus bellum Batavi?Phœbumq; cadentem
Negligimus? cur non magnis invadimus auſis
Raptum Attabalipæ ſolium? prædamque Piſarri,
Barbaricasque pari rapimus virtute tiaras?
Credite Battaviæ proceres, hac parte petendus
Cantaber, hoc uno finiri noſtra triumpho
Prælia poſſe reor, ſolum locus iſte potentis
Imperii ſuffulcit onus. hæc omnia tellus
Vindicat, hæc mundo pacem victoria reddet.
Ibimus, & ſi quis fatis locus, ibimus, & mox
Territa Naſſovias ſpectabunt Mexica claſſes,
Attexentque meis victricia roſtra coronis.
Talia Arauſiades attenta per oppida ductor
Dum loquitur, ſubitoque accendit pectora motu:
Et jam magna novi ſedit fiducia belli;
In Zephyrum gens tota ruit, diviſaque Belgî
Partibus, ingenti coëunt æraria cenſu,
Et bellum privata parant. poſt publica cives
Arma ſuis fervent ſtudiis; opibusque repoſcunt
Conjunctis unius opes. ſpe concipit Indum
Quilibet, & dubia patriam mercede tuetur.
Nec differre placet tanti molimina belli,
Aut patitur fortuna moram. dat claſſibus undas;
Duraque Neptuni ſoboles, interque procellas
Indomito nutrita ſalo, vagus æquoris hoſpes,
Huc omnes vertere minas; agiliſque juventus,
Illa ſuæ vindex patriæ, & Mavortis imago,
Bellona ridente, novas contingere terras
Geſtit, & auriferæ votis exultat arenæ.
Ibat ovans animis, ſpoliiſque inſignis Iberûm
Ductor; & Heſperiis redimitus tempora roſtris,
Æolioſque

olioſque inter fremitus, noctéſque, hyemeſque
uetus honoratæ traducere tempora vitæ,
Diſpoſuit medio bellacia carbaſa ponto;
uſpiciiſque Deûm, claro ſub Principe, lætum
Batavis molitur iter. ſic noſter Iaſon,
Æſonides ſic noſter abit. velut acer in Afros
bat, Agenoreis minitans incendia portis,
cipiades; poſtquam Latias ſæviſſet in urbes
Hannibal, inque ſuis doluiſſent bella Quirites
Viſceribus gremioque geri, victæque fuiſſent
Poſt Trebeam infames Cannæ. ſic longius ibas
Cum Macetis, Pellæe, tuis; cum finibus arctis
Neſcires pugnare domi; nec Perſa ſuperbus,
Bactraque, Arachoſiique, & vaſti Orientis honores
Inſanum imperii poſſent frenare furorem;
Cum toto Tyrus alta mari circundata nollet
Ferre jugum, ſolùmque tuis ſubmitteret arces
Claſſibus, & Graiæ citiùs vicere carinæ.
Ille per æquoreos numeroſo remige fluctus
Vectus in Occaſum, didicit Solemque diemque
Se jam ponè ſequi, atque aſtris præeuntibus audet
Succeſſus ſperare ſibi. mox flantibus Euris,
Hinc etiam documenta capit, cœlique favore
Lætior, Albionis populos, & regna ſalutat
Celtica. at infeſtum mox prætervectus Iberum,
Vindictam ſub corde premit; taciturſque putatur
Fatalem huic dixiſſe diem. quacunque per undas
Flexit iter, pavido ſperata ſilentia paſſim
Incubuere mari. fugit Tritonia conjux,
Inque cavernoſum ſe ſubmerſere profundum
Nereides. alium Salaminæ prælia Xerxem
Moliri, pars una timet: pars altera, Trojæ
Relliquias hac claſſe vehi, rurſumque furente
Æneam Iunone peti: vel grandibus iris
Actiacas repeti civili ſanguine pugnas:
Aut iterum Heſperio Belgis ſub rege parari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Turrigeris pœnam ratibus. ſed longius actus,
Suppoſitumque tenens ſignis ferventibus æquor,
Terruit æthereas Arctoo milite Chelas,
Et timidis vidit Geminos hærere lacertis
Arctius, & trepidæ pallentia Virginis ora.
Sed non ſidereum cepit formido Leonem.
At Batavi poſtquam vidit depicta Leonis
Signa procul, roſtriſque coli ſe novit in iſtis,
Nominaque inſcribi ratibus, fulgentior ignes
Explicuit, rutilaſque faces accendit eunti.
Mox ubi magnanimo tellus inventa Columbo
Ante oculos & roſtra ſtetit, viſæque fuere
Cyclades Occiduæ, & ſcopulis Barbuda tremendis,
Invaſit loca cuncta metus. quæ cincta profundo
Cuba jacet, titulisque novis Hiſpania gaudet,
Adventu tremuere Ducis. turbata Philippi
Imperia, & miſſis habitatæ regibus aulæ
Prę ſenſere malum. grandem tranſvecta per Iſthmū
Attonitam quoque Fama Peru, pacataque latè
Æquora, Guianæque domos, Panamamque Dioſq;
Perculit. occulti Potoſi tremuere receſſus,
Inque ſuis pavidum venis expalluit aurum.
Non ſic extimuit Clypeæ ſub portibus Afer,
Cum Latiis Pœnam terreret claſſibus vrbem
Regulus, & longi jaceret fundamina belli.
Navigat Arctous populus; veteriſque coloni
Orbe novo poſuere rates, inverſaque rerum
Sub Tropico natura fuit. quo ſidere Phœbo
Meta ſtetit, noſtri quoque lux altiſſima fati
Emicuit, ſocioſque aſtris æquavit honores
Auriacæ virtutis apex. Quis crederet? illa,
Illa diu gens preſſa domi, vix ſedibus, eheu,
Tuta ſuis, ſecura, foris peregrina laceſſit
Regna procul, mediaq; velut ſtat Colchide victrix.
Hic ubi diffuſum latè circumſpicit æquor (ſtrum,
Dux Batavûm, jamq; in Boream, jam ſpectat in Au-
Impa-

Impatiens voti, famæque ſititor, & auri,
Adſpicit ex alto ſurgentes gurgite longè
Adventare rates, & fœtas mercibus alnos,
Tranſtraque Phryxæum domino portantia vellus:
Cum ſic ad ſocios puppi præfatur ab altâ;
Has ego vel bello victor, vel morte tenebo
Certus opes. per tot fluctus, mundiq́ue cucurri
Littora, vici hyemes, æſtivaque ſidera ſprevi.
Braſiliæque meis arſerunt littora flammis
Nuper, & hic galeis pelagus victricibus hauſi.
Nunc reſtat labor iſte mihi, ſpoliiſque litandum
Belga tibi. nullo relegam veſtigia curſu,
Dum mea ſit ſpes tota Tagi, dum ceſſerit illa
Obſequiis dis præda meis: non ſoſpes abibit
Heſperus, aut miſſum capiet vectigal Iberus.
Accelerate viam, ſocii, conſcendite puppes,
Quæq́ue vehunt Indos, ferro jam vindice Belgas
Tranſtra vehant, dominoſq;alios agnoſcere diſcant
Sidereæ puppes, & caſtra natantia ponto.
Si morimur, patriæ morimur. ſi ſanguine tantum
Conſtiterit facinus, patriæ debemus & illum.
Vivimus; hoc etiam patriæ eſt. pugnamus; & illud.
Alterius vos noſque ſumus. nec talibus auſis
Fama levis petitur. ſocio comes ibit honori
Vtilitas, rapto cunctis mactabitur ære
Paupertas inviſa domi. ſolabitur Indus,
Quos inopes dudum gracilis damnavit egeſtas.
Non in Parrhaſiis Boreæ conſiſtimus oris,
Non Zemlæ glaciale fretum gelidaſque jubemur
Ire vias, non verticibus trux imminet Arctos,
Aut cum carnivoris miſeri decernimus urſis.
Cuncta nitent, gaudetque ſuo natura ſereno.
Nos melior cœli regio placidumque cubile
Solis habet. calidos ubi fex Phœbæa negavit
Differri plus poſſe dies, bis meſſibus æſtas
Turget, & æterni ridet clementia veris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Inter opes hoſteſque ſumus. quas cernitis, undis
Divitiæ gazæque natant. hæc carbaſa mundi
Fata vehunt, Regumque ferunt diademata puppes.
Nunc pugnare manu, toto nunc robore niti
Vos decet. expanſis agedum ſuccurrite velis,
Et veſtri faciles juſſis parete magiſtri.
Tales magnanimo dignas ubi præſide voces
Ediderat, paret dictis Neptunia pubes.
Ocius hi remis, & contendere lacertis,
Vela alii, laxoſque citi explicuere rudentes.
Fervere cuncta mari, & verri vada cærula cernas
Armigeris conſperſa viris. nec ſegnius ille
Imperat, & ſocios fugientem inſtigat in hoſtem.
Iamq; pavens, pallenſque metu circumdatur Indus,
Et dives bellare timet. quamque anxia res ſint,
Diſcit, opes, magnique gravis cuſtodia cenſus.
At contra ſpoliis immanibus acrior inſtat,
Et quantum cauſa diſtat, vicinior armis
Belga premit, ratibuſque rates hoſtilibus arctat.
Præda fit Hiſpanus, confertaque ſcrinia vecors
Deſerit. aërias ſcandunt Mavortia puppes
Agmina. non aliter, quam denſæ grandinis imber
Fecundis incumbit agris; olidumque cadaver
Invadit roſtrata cohors; aut acta per auras
Hyblæos mellita tegunt examina montes.
Quis tibi tunc, Havana, dolor? cum littora circum
Erraret tua Naſſoviis exercitus armis,
Inque tuis Batavûm fremuerunt claſſica terris,
Et pavidæ Auriacas claſſes videre Matancæ.
Exuitur locuples gazis regalibus Aſtur,
Et lætum transfertur onus. portantur Iberi
Regis opes pelago, & tantis Dux HEINIUS auſis
In patriam ſpolia ampla refert. auguſta vehuntur
Pondera, & Arctois fato ſervata triumphis
Belgica inoffenſo ſubeunt navalia curſu.
Sic nobis mercatur Iber. ſic India noſtra eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

gnorata diu terris. quæcunque per orbem
oſſidet Heſperidum rector, quoq; poſſidet hoſtis,
ola nec immenſi domina eſt Caſtella peculî.
Quicquid in hoc reperit Veſpucî induſtria mundo,
nventum tibi, Belga, ſcias.quæ regna Columbo,
am populo patuere tuo. quæ prælia geſſit
Cantaber, hæc noſtros etiam confecit in uſus.
En coëunt gemini bellis felicibus orbes,
Et quà flammiferi ſurgit fax inclyta Phœbi,
Quaque ruit, fractiſque bibit fervoribus undas.
Diſſociat natura duos, victricibus armis
Conſociat victor populus, dominiſque ſub iiſdem
Auriacas duplici ſuſpendit cardine lauros.
Credite poſteritas. quæ vix trepidantibus olim
Principibus parvâ poterat ſe ſede tueri,
Terra, procul miſſis diffundit jura colonis,
Et cunctis quatit arma locis, nec limite certo
Omne audet calcare ſolum. vagus advena mundi
Hac habitat tellure, ſalo nutritus & undis,
Partiturque ſuos Nerei cum conjuge faſces.
In ratibus vis ſumma Ducum eſt,ſceptrũq; gerẽtes
Robur habent. parvæ ratibus creviſtis Athenæ,
Totaque ſe fluidis defendit Græcia lignis,
Vecta mari magno. cur vertice proxima cœlo
Alta Tyrus Sidonque fuit? potuere carinæ
Imperio monſtrare viam. dum navigat ingens
Carthago, trabibuſque natat, dat juſſa Saguntho,
Gadibus, & Libycis Trinacria paruit armis.
Tuque adeò nunquam Superis tam viſa fuiſſes
Roma potens, Latiis niſi formidata carinis
Oſtia barbaricos aquilas miſiſſet in Afros,
Aut Peluſiaci bellacia littora Nili.
Nec Batavus virtute minor jam clarior exit
Gentibus, & quovis armat ſub ſidere puppes.
Adſpice,Belga,virum,tibi nunc oſtenditur author,
Totus ovans; Curibus parvis, & paupere Portu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Miſſus in imperium magnum. cui nobile virtus
Stemma dabit, ſeroque feret præconia ſeclo
Fama memor. nondum bellorum in vultibus iræ
Subſedere Duci, nondum ſpoliantis Iberum
Deſævit rabies. dicas majora minari,
Et facinus verſare novum. fiducia rerum
Magnanimo ſub corde ſedet. ſpectacla, triumphos
Diſſimulat; tua vota capit. nec gaudia tantum,
Quam facti momenta probat, ſperataque nobis
Otia, & Heſperiæ domitos hac clade furores.
Si magnum, viciſſe, putas, ſine cædibus hoſtem,
Hoc majus, viciſſe, reor. diſceſſit inultus
Cantaber, & nullo noſtrorum ſanguine Regem
Imbellis placavit Iber. Nos ſolus Olympus,
Oceanique furor, Boreæque exercuit ira,
Et docuit plus poſſe Deos. Sic nempe decebat,
Quæ dederunt, aliquo diſcrimine dona parari,
Grandiaque admixto frenari vota periclo.
At vos Battaviæ proceres, civeſque, duorum
Nomina magna Ducum faſtis inſcribite veſtris.
Qui prius Herculeas audaci Marte columnas,
Et ſubitis Calpen, Abyla ridente, favillis
Terruit: & quem nunc ſpoliis ſpectatis onuſtum
Materiam belli gravidis vectare carinis.
Heemskerki manes & magni pectoris umbra
Audiat hoc. venit præclari funeris ultor
HEINIVS, & cunctis factum memorabile terris
Continuat virtute nova. Dux alter in undis
Caſtra rapit, rapit alter opes. hic pabula Marti
Eripit, ille rates. alium Bellona ſecundat,
Huic ultrà Fortuna favit, fortiſque ſerenæ
Gratia. poſt lituos alius lauroſque ſuperſtes
Involvit ſe laude ſua: poſt buſta triumphat
Alter, & in media ſtatuit tibi morte trophæum,
BELGICA. diverſo geminis decernitur orbe:
Dumq; alter veterem ſibi ſubdit, at ille repertum,
Terra-

erraurm pars nulla vacat. Dux magne Batavûm,
ıgredere auſpiciis lætas felicibus urbes,
t cœlo famulante redux. per mœnia clamor
'ollitur, Ecce venit; portaſque effuſa per omnes
gmina patricio cumulant plebeja favore
audia. permiſcet ſenibus ſe denſa juventus,
'irque puerque tuis geſtit plauſiſſe triumphis.
) quantum mutata tuo res noſtra regreſſu!
't patriæ priſcus rediit vigor, urbibus ægris
'ita, calorque novus! quanta eſt ſpes addita Belgis!
Talis vere novo, pigræ poſt tædia brumæ,
Vis animis membriſque redit, cum celſior acres
Ducit equos, noctiſque fugat faſtidia Titan.
Ipſa triumphatum antè oculos victoria Bætim,
Captivumque Tagum, & precioſa monilia Regum,
Poculaq; , & pateras, fulgenſq; in torquibus aurum,
Exhibet. incuſat fatales India merces,
Atque iterum ſua dona timet, metuitque perire
His ipſis afflicta bonis. Hiſpania nigrum
Syrma trahit, ploratque ſuæ diſpendia terræ,
Iuſtaque Battavico ſubduci robora bello.
Teſtibus his totum facinus vulgatur in orbem:
Grataque poſteritas dicet, Te vindice, Belgî
Emicuiſſe decus. tantis ſecurior auſis
Tempora roſtrata cingit tibi Belga corona,
Heroumque libens titulos & nomina donat.
Nec deſunt ſtudiis Superi. Tibi ſidera ſervat
Iuppiter; & qua jam rediiſti victor in Argo,
Vt videant Batavi, gelidæ vicinior Arcto,
Clara coruſcanti ſemper fulgebit in auro.

VESA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

VESALIA CAPTA.

Duce facti fortiſſimo Heroe OTTONE GENTIO, *Domino van* DYDEN, XIX *Aug. ann.* cIↄ Iↄc XXIX.

QVàm pavidos inopina juvant, quam gaudia mœſtos
Inſperata movent animos, minuitque dolorem
Improviſa boni facies. ſic pulpita poſtquam,
Et perſonato ſquallent proſcenia luctu,
Et turbata ſtupet proprios orcheſtra furores,
Funeraque, & nullum crudelis fabula finem
Sortitur: Deus, ecce, Deus delapſus ab alto
Cernitur, & tragicos abſolvit machina motus.
Sic vagus æquoreis Tiphys jactatus in undis,
Quem ſua deſtituit puppis, nudumque carinæ
Remigio sociiſque latus, dum mentis & omnis
Conſilii melioris inops, cedenſque periclo,
Forte ſalutarem, quam ſors vel gratia Divûm
Advolvit, prenſat tabulam, fluctuſque per ipſos
Enatat: ingentes ſecuro in littore caſus
Admiratur ovans, mediaque in morte ſaluti
Præſidium roburque capit. Tu dilue luctus
Lætitia jam, Belga, tuos, tumidæque triumphum
Heſperiæ, & ſterilis miſeranda incendia terræ,
Et quos infelix queritur Velavia campos
Auſtriacis patuiſſe aquilis, cladem que Sicambrûm
Succeſſu ſolare novo. victoria damnis
Obſtrepit, & patriæ reparat diſpendia pernox
AVRIACVS. Tibi victa ſuos Veſalia cives
Devovet, & pulſo nobis placatur Ibero,
Ac patrio frendens ſe ulciſcitur Iſala Rheno.
Illa graves portarum obices, & vincula laxat

Ferrea,

errea, nec ducibus metuit parere Batavis.
Quin gaudet ſe læta capi, gaviſaque belli
Vim patitur, creditque ſibi tunc otia ferri,
Dum circum Bellona furit, muriſque ſub ipſis
Arietat, armatumque equitem penetralibus infert.
Hoc precio graſſetur Iber, campoſque patentes
Poſſideat, talem nobis dum debeat urbem,
Et regni momenta ſui. viduata colonis
Rura premat, laxiſque ferox ſe jactet arenis,
Et latè prædetur eques: dum fortia caſtris
Oppida, & Hiſpano munitas mœnibus arces
Subducat fortuna duci. Brabantia plaudat,
Et jam ſe viciſſe putet, dum gaudia ploret
Imperio damnoſa ſuo. procul audeat ad nos
Intrepidum proferre gradum, dum negligat amens
Inſultantem alibi Auriacum. longinqua ſequatur,
Dum faciat ſibi ponè famem. ſpe proxima fronti
Devoret, at tergo inſtantem ſic ſentiat hoſtem.
Quod facinus, quam grande cano! dum luctus &
 horror
Occupat Vnanimes tanto diſcrimine terras,
Veliferumque bibit bellax Germania Flevum,
Et duplicis circum Rheni ſe cornua jactat
Cantaber, & raptas Pacata per æquora gazas
Rurſum animo votisque capit, nutritque ſuperbus
Stultitiæ fomenta ſuæ; jam victus & excors
Indecori dat terga fugæ, diſperſáque ſigna
Colligit, & timidis repetit ſua caſtra maniplis.
Haud aliter Latias Pœnus dux terruit arces,
Extremumque ſibi victis Capitolia Cannis
Promiſere diem: tales tremuiſtis Athenæ,
Cum ferus iratam Medus tranſcenderet Hellen,
Totaque barbaricis arderet Græcia flammis,
Cecropidumque lares. rurſus ſe maſcula longo
Solvit Roma potens luctu, cum territus Afer
Aſpiceret Libyco graſſantem littore magnum
Scipia-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Scipiadem, & retrò amiſſas remearet ad urbes
Hannibal, & Trebeam Cannaſq; odiſſet,& Alpes.
Ille ferox populus, toti qui præfuit orbi,
Quem dominum gentes nimium ſenſere ſubactæ,
Iſala cui domitas trabibus conſtraverat undas,
Quo fugiat, vix eſſe vidit. quin ſedibus arctis
Obſeſſi diſcrimen habet, dum debita verſæ
Præripiunt alimenta vices. ô quanta malorum
Agmina circumſtant pavidum! granaria, meſſes,
Æra, rates, ſtrictis rigidas mucronibus haſtas,
Pilaque,pugnantumq; faces,& quicquid in hoſtem
Bellatrix doctrina parat, ſtipendia, currus,
Signaque, captivoſque duces, glomerata tenemus.
Quàm diſcit bellare miſer, quàm vulnera ſentit
Eugeniæ funeſta ſuæ, quàm vellet eunti
Longius amotum ratibus ſuccurrere Scaldim,
Aut Ambivaritos inter Tungroſque locari
Caſtra ſuos! periit grandis fiducia cœpti.
Ad veteres fines, Turnhoutæ ad mœnia feſſos
Solvat equos, ſcribatque ſuæ ſolatia Sylvæ.
Exitio, viciſſe, fuit: venere phalanges,
Vt fugerent: dicit querulâ convitia ripâ
Romulidum Druſique labor: vidiſſe Sicambros,
Prô, pudor eſt: ludit luſum ſucceſſibus anceps
Diva ſuum; belliqúe minax ſe vertit in hoſtem
Alea. noſtrorum ſtimulos virtutibus error
Subdidit, & præſens extorſit ſumma periclum.
At trepidans humeris clypeum vix ſuſtinet ægris
Hoſtis, & aſtricta pudibundos caſſide vultus
Abdit, & ingentes animos formidine frangit,
Et multum ſubitæ deplorat fata ruinæ.
Armorum fecunda domus, palatia Marti
Et belli devota Deo, Cererisque penates
Iam nobis Batavoque patent.& quicquid in annos
Lemnos, & æriſonis Curetum fecerat antris
Mulciber, accedit ſpoliis, gaudetque Pyragmon
Naſſovio

Naſſovio tantos famulari poſſe labores.
Mutata eſt ſcenæ facies. en patria lætum
Exerit os, & ſe nimium timuiſſe fatetur.
Ibat mœſta Pales, nec jam, velut antè ſolebat,
Sylveſtrem tenui Muſam cantabat avena;
Non herbas pecori, non raptis Theſtylis agnis
Lac dabat, aut vitreas vicini ad fluminis undas
Ducebat Melibœus oves, armentaque tutò
Paſcebat petulans Corydon; aufugerat Ægle,
Mœſtaq; Hamadryadum perculſas turba per urbes
Non ſecura ſatis culpabat commoda ruris.
At nunc lanigeræ tali rumore cohortes
Merſatios colles & notæ paſcua vallis
Certatim repetunt. Damœtas, Thyrſis, & Ægon,
Cæſareos poſtquam ſors improviſa fugavit
Geldrorum tellure duces, aſſuetaque Dravo
Agmina, & hoſtiles terris avertere prædas:
Conſcia lætitiæ magnis præcordia curis
Expediunt; lætumque choro Pæana canentes,
Carminibus gemitus lacrymoſaq; gaudia miſcent.
Proſpera ſed quantum noſtris ſpes addita Belgis,
Tantum exempta Tago eſt, tantum deceſſit Ibero.
Iam fluvios tranaſſe piget; jam prædia, villas,
Et circum rabidis fumantia culmina flammis,
Totque iræ monumenta ſuæ poſt terga relinquit;
Nec nova prædari cupiens, nec parta reſervans,
Hoc metuit, ne militiæ delicta ferocis
Intra ſepta luat. poſt ſe, poſt flumina retro
Et victas urbes, & victas conſpicit arces,
Seque velut clauſum circo breviore teneri.
Grande ducis Liguris ſpolium, circundata vallis
Mœnia, Cantabrici ſtudiis aſperrima belli,
Tot nuper defenſa viris, quæ Lupia lambit
Proximus, & lato Rhenus pater alluit alveo,
Odryſiique potens domus, in qua Regis & arma
Et currus fuit, averſi ceu turbine fati,

Vincitur, & fauſto Divûm moderamine, noſtris
Additur imperiis, dominumque immutat, & horæ
Momento ceſſat magno parere Philippo.
Qualia Naſſovio miracula parturit æther.
Rumpe omnes, Hiſpane, moras, elabere præceps;
Non ultra tibi noſtra patent, ſi proſpera quicquam
Indulſit fortuna tibi, ſi in viſcera Belgî,
In gremium ſævire dedit, ſi portio terræ,
Si ceſſit pars iſta ſoli, jam bella paramus
Fluctibus, effuſis Thetyn laxamus habenis,
Et qua flumen opem negat, objectavimus æquor.
Non uno remeare modo te cogimus. imus
Aggeribus contrà. glebis pugnamus & undis.
Nec ſatis hoc. claudit jugulum Veſalia caſtris,
Et prohibet jam victa cibos. inopique famemque
Imperat, & rabiem. Vos ô, vos vivite belli
Fulmina præluſtres animæ, atq; æquanda Camillis
Nomina. tu Batavûm gentis fortiſſime DYDI,
Quique ferox juſtis vincis bellator in armis
VVolfiade, dignamque iſto cognomine prædam
Eripis Heſperiæ ſtabulis. vos Fama loquetur
Per populos, veſtris debet virtutibus ætas
Poſtera. vos, magno patriam turbante tumultu,
Divinam tribuiſtis opem. vos obſita luctu
Libertas, paſſiſque dolens afflicta capillis
Relligio, Pietaſque colent, & tempora circum
Suſpendent murale decus. Vos urbibus, agris,
Triptolemo, Cererique, Deis ſolatia fertis;
Auriaci libratis onus, clarique labores
Principis, & belli molem, motuſq; levatis. (nos
MagneDeus, tibi thura damus, tibi concinit hym-
Belgica. ſic res eſt. ſolùm te præſide tantum
Reſpondit voto facinus. te vindice portas
Fregimus, in muro ſteti mus, conſcendimus urbem,
Vicimus, intulimuſque adverſis agmina ſignis.
Te duce non equitem greſſus, peditemque fefellit
Noctis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

octis iter. per te frameæ valuere, globique,
achinaque; & pavidis miles cuſtodibus acer
ſtitit: Auſtriacæ fiducia languit aulæ,
ſua ſecuro nocuit victoria Ibero.
s clemens, faciliſque diu: felicia tollant
aſſovii vexilla duces: Tu numine dextro,
uos gerimus, decora titulis victricibus enſes,
oſtiles averte manus, obſeſſa reclude
ppida, & attonitũ qui nunc, famulantibus aſtris,
ulminat ad Moſam, longi poſt tædia belli,
attavicas victor redeat FREDERICVS in urbes.

Deus è machina.

PANEGYRICVS,

Quo Illuſtriſsimo & Excellentiſsimo Principi,

FREDERICO HENRICO,

Arauſionenſium Principi, Comiti *Naſſoviæ, &c.* Hollandiæ, Zelandiæ, &c. Gubernatori, Supremo militiæ noſtræ terrâ marique Duci, &c.

Expugnatæ fortiter SYLVAE-DVCIS *laudem* Gratulatur Autor.

OBſidionem fama clariſsimam, opere, laboribuſque gravem, inſignem caſibus, cædibus atrocem, confeciſti, propitio Numine, Princeps Illuſtriſſime. *Præiviſti victor. Subeunt victoriæ tuæ teſtes ac præcones plurimi, qui quam omnem ab ingenio, induſtria, ac eruditione impetrare poſſunt dicendi facultatem, tantæ rei certatim applicant. Vtique intereſt præſentis ſeculi, magnorum Ducum præclara facta grata mente recognoſcere, & futuri, eadem velut antè oculos poſita habere; ne aut obliterata inertia noſtra virtus in vivis langueat,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

langueat, aut quæ imitetur, majorum exempla, deſideret poſteritas. Veteris ævi res geſtæ ſuis memoratæ ſunt ſcriptoribus. Nec fas eſt incurioſum eſſe rerum ſuarum ætatem noſtram, tum præſertim, cum magni nobiliſq́; facti prodenda eſt memoria. Agere memoratu digna, eademq́; ſcripto conſignare, laudabile creditum apud eos, apud quos virtutes æſtimantur. Vbi precium his deeſt, per inertiam ſimul & ſilentium, cum gloriæ ſtudio, imperiorum dignitas, ipſique tandem principatus concidunt. Bellum Fœderatis populis, ſub tuo ac gentis tuæ moderamine, cum potentiſſimo Hiſpaniarum rege per annos multos fuit. Ad libertatem feliciſſimis incrementis contendimus. Inchoavit eam Gulielmus, genitor tuus. auxit ejus ſecuritatem ſupra modum Mauritius, frater, illuſtris ac beatæ memoriæ Principes. longius provehere pergis, Frederice Henrice. *Toto belli decurſu Naſſoviorum inprimis emicuit fides, conſtantia, animique magnitudo, ut in illa ſtirpe imperii hujus robur collocaſſe videatur ſummi Numinis providentia. Vrbes munitiſſimæ victæ. acies hoſtium atrocibus præliis profligatæ. exercitus ingentibus impenſis, ſupra quam quis credat, conſcripti, majores ſemper pro magnitudine creſcentis indies imperii. Exiguæ primùm vires, Hollandiæ Zelandiæque potiſſimum terminis circumſcriptæ, fuere. Mox acceſſio facta Geldriæ, Tranſiſalaniæ regionis, Friſiæ partis, ac Groningæ omnis. Non tuta ab armis noſtris Brabantia, non Flandria. utriuſque oram validiſſimis præſidiis tenemus. Numero hominum opibuſque inferiores vicimus ordine & diſciplina, non domi ſolum, ſed & foris: non terrâ ſolum, ſed & mari. Poſt victum ex parte Orientem, & ereptas Luſitanis Moluccas inſulas, arma noſtra ſenſit Occidens. Adeò ſucceſſus ſuos urgere paratus populus. velut æſtu quodam & torrente fortunæ raptus in vetere ac novo orbe trophæa fixit. Bella navalia,*

portus

*ortus Iccius, & fretum Gaditanum, inter Calpen &
bylam maxime, celebria conſpexere utrumque cis
ropicum. Omnium tamen feliciſſimè nuper tuis au-
iciis ſub ipſo Tropico navigatum, (non patitur Hiſ-
anorum vecordia, ut pugnatum dicam) cum victo-
iæ præmium ceſſit argenti: merciumque precioſiſſi-
narum immanis vis, & lacerata momento hoſtium
ates, Cubæ littora tabulis operuere. ut jam in ipſo ma-
i, in alio orbe victa videretur infeſta terris Europæis
Hiſpania. Induciarum non longo intervallo diſtinxi-
mus bellorum tempora, & data ad recipiendum ſpiri-
tum partibus requies. Damnata aliquandiu nocen-
di ſtudia, non cauſæ; pugnæ, non odia, his opertis ma-
gis, quam extinctis. Mox majoribus animis redinte-
grata bella. nos minore emolumento terra marique
pugnavimus, uſque dum exuta in Occidente regiis
opibus claſſe Mexicana, & turbatis tanta clade ho-
ſtium rationibus, tempore optimiſque occaſionibus
uſus,* Sylvam-Ducis, *propugnaculum Brabantiæ va-
lidiſſimum, in poteſtatem tuam redegiſti. quæ ſola la-
cinia deerat pulcherrimæ Federatorum veſti. Mirum,
quantum ex hac victoria roboris & dignitatis Rei-
publicæ noſtræ acceſſerit, quantum Illuſtriſſimo tuo
nomini apud ſuos gratiæ, apud exteros famæ & au-
ctoritatis. Infeſtiſſimæ olim Romanis fuere urbes duæ,
Carthago, & Numantia. Nulla longius principem
populum, nulla gravius afflixere, conſumptis tot Du-
cibus, exercitibus, opibus. Hæc urbs Carthago nobis
& Numantia fuit. Bis irrito conatu tentata, ſemel
ſolius cœli in ipſam favore, in noſtros inclementia
evaſit; ſemel Alberti Archiducis prudentia, &,
quæ in bellis plurimum valet, celeritate defenſa fuit.
Fraudibus petita ſæpius, ſtratagemata noſtrorum vel
Marte, vel fraudibus eluſit. Ingreſſi urbem ſumus.
intrà portas, in foro ipſo ſtetimus. nondum tamen vi-
cimus. Fato tunc ſervata urbs, ne, poſt tot fratris
trium-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

triumphos, Tibi quoquo deceſſet futuræ gloriæ illuſtre argumentum. Ecce, pendet animi Europæus orbis, utrum admirabilius ſit, quod illam viceris, an quod aggredi auſus fueris. Dum victam ſtupet, hæret iterum, quid prius in ea victoria miretur: An velocitatem, quod breviſſimo tempore viceris: An operum magnitudinem, in quibus labor naturam ipſam pene vicit: An Numinis favorem, quod anni tempeſtates, raro hiſce regionibus more, obſidenti idoneas conceſſerit, totoque obſidionis tempore æther velut in partibus fuerit: An felicitatem, quod ſpem dubiæ adhuc victoriæ erexeris alterâ, & Veſaliâ potitus nutantem belli fortunam occupaveris: An maximi Regis caſtra ſubita rerum deſperatione dilapſa, & qui exercitus pares nobis habeat, momento victum. Federati verò Belgii Proceres, civeſque tui, dum glorioſæ obſidionis momenta propius ad animum revocant, ejus gloriam publica & privata utililate, hoſtiumque ſummis incommodis metiuntur. Nullam ſiquidem ex finitimis urbibus illa nocentiorem experti fuimus. Hinc in Geldriam, Hollandiam, & ipſam diœceſin Vltrajectinam factæ excurſiones turbarunt quietos. In omnium latus impacta omnes afflixit, abductis trans Vahalim, Moſam, Rhenum ipſum captivis, cæſis noſtrorum copiis, abactis jumentis. Non æſtate ab illâ, non brumâ tuti fuimus. Vndique præſidiis fortiſſimis muniendi urbes, propugnacula, arces, neceſſitatem nobis impoſuit. Equitum peditumque ſedes oportuna militem in agros noſtros effuderat, priuſquam venire eum ſenſiſſemus. Tuta locis & fuga ex occaſione jam latrocinia, jam bella faciebat. In hoc Numantiæ ac Carthagini diſſimilis, quod illam à Roma Alpes, hanc mare, ipſam à finibus noſtris arctiſſimum flumen dirimat: illæ à Latio longius poſitæ fuerint, hæc Sicambros Batavoſq; proximè contingat. Quanta verò hoſti ex ea damna exſpectanda ſint, poſtquam noſtrarum

partium

rtium eſſe cœpit, inde colligunt, quod Brabantiam bis omnem aperiat, aditumq́ʒ præbeat ſecurum in Menapios, Tungros, Eburones, Advaticos: belli diſ-rimine Bredam Antverpiamq́ involvat: eodem euſdam, Graviam, Bommeliam, Bergam ad Zo-am, fluminumque commeatus liberet. Quotquot erò à rerum circunſtantiis tanti belli authorem & auſas infra Deum poſitas animo præſcindere amant, am præclari facinoris ſucceſſum prudentiæ tuæ ac rtitudini, induſtriæ ac conſtantiæ, indefeſſo ſtudio, nimique magnitudini acceptum ferunt. quarum lam totius operis moderatricem, hanc ejuſdem admi-iſtram comitemque venerantur. Primùm, hoſtium d Occidentem immanem jacturam in lucro deputa-as, & quæ inde nata fuiſſe in comperto erat præſidi-riorum per Brabantiam, Gelriam, Flandriam mur-ura & querelas, ob non ſoluta ſtipendia; ſatis gna-us, diſciplinã ſolvi, ac licentiam turbarum oſtendi, uſtratis militum deſideriis. Deinde, abſente Spinola, ujus ductu multa proſpera ac præclara Rex geſſerat, ore ſciebas, ut tardius moveret Archidux Iſabella, & in quem ſummæ rei regimen conferret, ambigeret: acile Hiſpanorum & Belgarum æmulatione milita-ibus odiis fomenta præberi: periculoſè ex hybernis ex-iri militem querulum: deeſſe, hoc ſaltem tempore, uæ conſcribendis novis copiis & educendo exercitui ufficerent. Qua rerum perturbatione utendum, & uæ caſus obtulerat, in ſapientiam vertenda ratus, urbem illam aggredi ſtatuiſti, quæ finitimarum eſſet infeſtiſsima. Obſervabas præterea, maturius te, ob ad-vehendi commeatus commoditatem, caſtra explicare poſſe, & eo loco, ubi à vicinis urbibus fluminibuſque annonæ ſubvectationes juvarentur: Hoſtem, ſi vel maximè caſtris inſultare velit, ob pabuli inopiam non poſſe. Super hæc in Germania bello Cimbrico, in In-ſubribus Gallico regias opes atteri. Nec minus occurre-bant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

bant, quæ difficilem reddebant obſidionem. maximo ambitu cingendam urbem, ob circumfuſas aquas, quæ propius locari caſtra prohibebant: multo opus eſſe milite, quo & diſperſas caſtrorum partes tuearis, & obſeſſos oppugnes: paludes nihil ſtabile firmumque admittere: ob aquarum affluxum hyemem hyberna ſuſtinere non poſſe. Augebant difficultatem, præter præſidia, cives cõtinuo bellandi uſu exercitatiſſimi, maximus in oppido rerum (ita credebatur) ad bellum apparatus, rei frumentariæ ultrà quàm ſatis, arces adhæc validiſſimæ, & propugnacula portis lateribuſque urbis undique objecta. quibus malis remedia jam ante quæſiveras, à milite, armis, commeatu, navibus, ærario, & Illuſt. Ordinum in tantas impenſas egregia facilitate. Cumque ingenti totius Europæ præjudicio gravaremur urbẽ illam vi expugnari non poſſe, ideoque in miſeriam ſimul noſtram & ignominiam, velut fato, ſervari: Tu veteris ac recentioris ævi exempla in conſilium advocando, nihil labori induſtriæque impervium eſſe, temet ipſum, jam & nos docuiſti. Atque iſta meditantem animum magnæ ſpei gloriæque ardor accendebat. Subibant laudatiſſimi fratris conatus minus proſperi, fruſtrata tuorum ſtratagemata. necdum amiſſæ Bredæ pudorem decoxeras. At omnium maximè heroicam mentem ſtimulabat patriæ amor, quam in tuto locari in confeſſo erat iſtius urbis acceſſione. Motis caſtris, præveniendum celeritate hoſtem judicabas, ideoque, ut falſa opinione ipſum imbueres, quidvis potius, quàm de Sylvæ-Ducis obſidione ſuſpicandi argumenta illi objeciſti. Crederiſque animis adverſæ partis prorſus perſuaſiſſe, nihil minus te, quam quod cogitabas, cogitare. Acceſſit ad Prudentiam labor & induſtria, animique incredibilis & propoſiti conſtantia, quibus tantas res geſſiſti, quantas audere vix hominis, perficere (Velleji verba ſunt) pene nullius, niſi Dei eſſet. Circumvallationis

magni-

agnitudo, celeritas, robur, ac ſecuritas parum à
iraculis abfuere. Inſediſti paludes, fluvios ſtitiſti,
otaſti ſtagna & lacus, non militum numero, uti
m Medus, ſed arte ac ingenio. Nec jam mirari ſub-
. quæ de Druſi, Corbulonis, Civilis laboribus, de
rthaginis, Numantiæ, Plataarum, Aleſiæ obſidio-
bus grandia memorant ſcriptores. Illic foſſæ ductæ,
urique duplices, quorum alter obſeſſos, alter exte-
us ſpectabat. vidimus & hic. Illic lacubus injecti
geres, & hic. Illic Durias trabibus impeditus, hic
ebis ſuperaggeſtis Dommala, Dieſa, & Aa fluvii.
lic turres erectæ, exſtructa caſtella. hic vel numero,
el molè potiora. Romani operantes ſimul & pugnan-
s caſtra perfecerunt viginti dierum ſpacio. Non ma-
re noſtri, manus ligone & balliſta armati, ut pro
lius officio hæc pugnaret. Maximus, qui Aleſiæ
uit, ambitus in paſſus ivit undecies mille. Tuus
ic in paſſus amplius tricies mille, ſive militaria Ita-
ica triginta duo, quem nullibi non, adverſus exter-
z hoſtis inſultum, tuebantur tot tamque immania
pera, quanta qui oculis non ſubjecêre, animis con-
ipere non poſſunt. Non reliquiſſe aditum, niſi à cœlo
enturis hoſtibus, videbaris. Nec dubium, quin lon-
ius abiverit cura tua, dum in magnis negotiis etiam
uta timentur, & prudentia abundantes amat cau-
elas. Hoc circo incluſæ belli partes, urbs, exercituſ-
que. Hæc Martis, hæc virtutis tuæ, ac tuorum area
fuit. Magna hic, non aliorum modo Ducum, ſed &
ua etiam in promovēdis operis ſtudia apparuere. Vbi-
que comitate & alloquio operantium officia provoca-
bas, animos præmiis implebas, pecunias, ingentia ad
quidvis audēdū incitamēta, liberalius offerebas, agge-
ribus valliſq; ſpacia præſcribebas, inter glebarū jactus,
& ligonū motus per paludes diſcurrebas, incorrupto
ſummi Ducis honore. Vbi pugnæ locus, ubi invadendæ
arces, arcibuſq; objecta molium terreſtrium repagula,
pugnan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

pugnantibus te oſtentabas, ſedulò cavês, ne furore militari certa cædi tuos objiceres: ſufflaminabas bellaturientium ſtudia, ne primo impetu retardati ſucceſſu ſequentium animos frangerent: ſatis velociter geri arbitratus, quicquid benè & cautè: caram eſſe boni militis annonam: nec expedire, bella, quæ fama conſtant, à cladibus auſpicium capere. Veterum etiam more, per gentes nationeſque diſtinxiſti operarum ordines ac pugnandi vices, ut diſcretus labor fortes ignavoſque diſtingueret, atque ipſa contentione decoris accenderentur clariſsimi Europæ populi. Ipſe periculorum omnium ſecurus, mane, veſperi, etiam intempeſta nocte, modo ante ipſa ſigna, modo iis immixtus ibas, inter machinarum boatus, glandium igniumque jactus, in ipſis cuniculis foſsiſque ſubterraneis facienda imperans. Et quanquam non deeſſent, qui monerent, ne oblitus publicæ ſalutis unico eam fortunæ ictui exponeres; non expedire, urbem, maximi alias momenti, tanti capitis jactura redimi; tamen, ut eas voces benevolentiæ tuorum ſigna eſſe credebas, ita pari animi magnitudine æſtimabas minus, affirmans non ſemel, abſente te citius quod non facto eſt uſus, quam quod facto eſt opus, fieri. Fortè & generoſæ menti inerrabat Alexandri Macedonis reſponſum: non ætatis ſe ſpatio Principes metiri, ſed perennitatis: Deum, uti regna, ita & rectores impenſius curare: nec tam longam ipſis, quam glorioſam vitam quærendam: nihil indignius, quam conſumi eam, ubi quàm maximè poſsit oſtendi. Nec tuis caſtris contentus invigilare, ad aliorum ſtationes ſæpius proceſsiſti, hic machinas amoveri jubens, hic admoveri, hic oppugnari hoſtem, hic defendi tuos, ut totius exercitus Imperator nullam caſtrorum partem curæ tuæ ſubduci paſſus fueris. Facta tua, non dicta ſolummodo, ſequebatur miles, nec diſciplinam tantum, ſed etiam exemplum à te capiebat. Ut planè tanti eſſet exerci-

*ercitus, quanti Imperator. Hinc omnibus idem ar-
r, ire, quo juſsiſſes, pugnare, periclitari, ſanguine
o commendare poſteritati glorioſæ obſidionis recor-
tionem. nec tam mors illis terrori erat, quam vi-
, & ſupereſſe à pugna dedecus videbatur. Illud ma-
mè glorioſum, quamvis multorum cædibus, gra-
m aliqua promoviſſe, & cum hoſtem vallo detur-
ſſent, raris ordinibus reverti. Iam, cum in procinctu
et Comes Herenbergenſis, paratoſque exercitus ſub
ſis vallis oſtenderet, nuſquam fortiſsimi ſollicitique
ucis munia omittebas. Ipſe cum ducibus agmina
rcumire, ſomnum non capere, undique circum-
rſare. copias etiam omnes in armis eſſe, frenatos
uos ſtare, ac vigilias intentiore cura ſervari jube-
s. Etiam prorupto vallo cum equitum turmis exi-
s, occurſabas venienti, & ubi plurimus labor, ſpeſ-
e aliqua, conſilio, manu, voce pugnam ſuſtenta-
s. Oberrante mox cis Vahalim hoſtili exercitu, &
teri Bataviæ inſidiante, ſtupenda velocitate mili-
res copias, ad nutum paratas, inſequi juſsiſti, quo
us vel res vocaret, ſtare, progredi; ut veluti manu
a adverſæ partis fata moderari videreris. Tum ve-
quam maximè excellens illa animi magnitudo
icuit, cum ſuperato Iſala Velaviam hoſtis teneret.
cebant nobis animi, metuſque tam quæ non eſſent
cienda, quam quæ eſſent, ſuadebat. At tu adver-
caſuum, quæ bellis intervenire ſolent, moderatius
imans, egregia conſtantia non deſtitiſti à cœpto, ſed
riore ſtudio inſtitiſti urbi, proviſiſque qua poteras,
leritate limitaneis locis, hoſtem in ſterili arena ſibi
rmiſiſti, donec capta tuis conſiliis Veſalia, revocan-
artem, qua adverſus te utebatur, docuiſti cogna-
m ſanguinem. Ita ad incredibilem animi vim di-
na acceſsit benignitas, quarum illa, ut auderes, de-
t, hæc, ut poſſes. Pari olim conſtantia populus Ro-
anus, cum tertio ab urbe lapide graſſaretur Anni-*

bal, ad avertendos Capuâ Conſules, ab incepto non deſtitit, & de ſua urbe ſollicitus, Capuam tamen non omiſit, ſed parte exercitus ſub Appio Conſule relictâ, parte Flaccum in urbem ſecutâ, præſens abſenſque pugnabat. Non oportuna magis Belgarum terris alia affulſit victoria, quæ ſubita ſerenitate inductam patria caliginem diſcuſſit, Amersfortiam Cæſarianis præſidiis, Velaviam numeroſis exercitibus liberavit, hoſtium verò res adeò in arctum coegit, ut armamentario ſuo ſimul, & frumentaria ſede exuti, nihil ſibi reliquum eſſe crederent, præter dedecorem fugam, aut minimè ambitioſam famem. Tandem, adductis in ſummam deſperationem obſeſſis, laborioſo operi latam cataſtrophen impoſuit inſignis tua erga deditos clementia, qua, non cum privatorum te calamitatibus, ſed hoſtium viribus, contendere oſtendiſti. Scipio Africanus (nec enim cum alio comparari te fas eſt) in Hiſpaniam miſſus, neglectis minoribus ejus oppidis, Carthaginem novam, præcipuum tum regni robur, aggreſſus eſt, & in unâ urbe captâ Pœnis ſui defendendi fiduciam ademit, Romanis ſociiſque reddidit. Hujus exemplo, urbem Hiſpanicarum provinciarum munitiſſimam, ſitu hactenus operibuſque inexpugnabilem, ſubitò adortus es. Veniſti, & minus quinto menſe victor ingreſſus es, nō Sinoniis artibus, ſed indefeſſa armorū vi, fruſtra obnitente Regio Cæſareoq; exercitibus, perruptis arcibus duabus, plurimiſque, quas militaris induſtria exſtruxerat, munitionibus. Et quod ad laudem quoque facit, pugnaſti, non cum tironibus, belliquе inexpertis, ſed cum hoſte bellicoſiſſimo, cū veteranis delectis & militibus, quorum ut quiſque ſcientia militari & audacia maximè valebat, ita majore animo contra ſtetit. etiam res urbis moderante Gubernatore ſagaci, acris ingenio, contra pericula & inſidias firmiſſimo, qui loca omnia, prompta, occulta, plana, impedita no-

verat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

rat, prudentiaque famâ inter regios Præfectos emi-bat. Atque hæc dum terrâ per te geruntur, non inus victricia ſigna per Oceanum latè circumtuliſti, plexque elementum inſediſti victor. In Occidentem erum moverunt Societatis iſtius ſocii, uſuri fortu-, quam ſuperiore anno propitiam experti fuerant. umque turbatis commerciis Morini mare Britan-icum ac Septentrionale, bello, quaſi tempeſtate, præ-uſiſſent, ſub Petro Heynio, *quem, ob recentia forti-dinis & felicitatis exempla tanto negocio præfece-as, maris denuò libertatem tibi tuiſque vindicaſti. Patere, Princeps, uti, dum de Heynio loquor, paulu-um morer ordinem laudum tuarum. Querimur, rob dolor: querimur, in tanto impetu curſuque re-um occidiſſe glorioſiſſimum ducem; illum qui gau-lio nuper impleverat animos, jam mœrore omnia ompleviſſe. Dolemus illam animi vim, illam in ſub-undis periculis conſtantiam, in rebus moliendis effi-iendiſque velocitatem, in ſuos fidem Reipublicæ reptam. Occubuit Heros iſte, per omnes navalis mi-litiæ gradus ad ſumma evectus, major ſemper priva-to viſus, dum privatus fuit, & omnium conſenſu etiam tunc, cum pareret, capax imperii. Occubuit nunquam non victor, poſtquam Orientem & Occiden-tem, famæ ſuæ terminos, adiiſſet; poſtquam claſſem Hiſpanorum in ipſo Braſiliæ littore atroci prælio exarmaſſet: poſtquam regio theſauro onuſtas naves in Matancæ portu primus mortalium exuiſſet, evulgato imperii arcano, poſſe etiam Occidentem vinci, & annuos Novi orbis reditus intercipi: poſtquam naves Morinorum bellicas fortiter aggreſſus expugnaſſet, & majorum facinorum ſpem certam ſuis feciſſet, nec deeſſe quidquam ad immortalitatem videretur, niſi ut qui vixiſſet victor, victor moreretur. Secuta quo-que eſt morientem victoria, & quæ vivo antè, etiam mortuo ſe ſuperfudit fortuna. Regulum dicerem, niſi*

*hoc felicior eſſet, quod poſt carceres ſuos eodem lo
hoſtem egregiè ultus fuerit, quo captivus fœdam ſe
vitutem ſerviverat. Dicerem Themiſtoclem, niſi n
cum imbellibus Perſis, ſed bellicoſiſſima gente pugn
viſſet. Compararem Pompeio, niſi piraticum bellu
illi ſuperſtiti conficere conceſſiſſent fata, Heynio noſt
negaſſent. Maxima profectò ſunt, quæ geſſiſti, Prin
ceps fortiſſime, & in hac mundi ſcena, inter tot Eu
ropæ Principes, laudatiſſimum te actorem conſpex
præſens annus. Fatigavit Boruſſiam Suecus, fruſtr
repetiit Polonus. Britannus domeſtica, Tranſalpin
reſtituit Gallus; Bellum pace redemit Cimber. Finib
ſuis invigilaſſe Veneto ſatis fuit. Omnium tu (ſit f
ita Batavum loqui) glorioſiſſimè urbes illas Hiſpan
ſubduxiſti, in quibus belli Belgici cardo omnis verſa
batur. Et ne quid perfectæ victoriæ obſtreperet, ſo
exercitus tui adventu, Velavia omni, propugnacu
liſque in Iſalæ ripa exſtructis, ſubmoviſti hoſtiles co
pias. Viciſti magnitudine rerum non hoſtes modo, ſe
& ſociorum expectationem, quorum illi inſolentiu
vanis cogitationibus cœlum peti, hi tale te conſilium
cepiſſe, quod non facilè explicare poſſes, modeſtiu
cenſebant. At explicuiſti, per Dei gratiam, & poſſi
bile eſſe primus docuiſti, quod impoſſibilibus hactenus
celebratiſſimo proverbio, adſcripſerat præconcepta
animis noſtratium deſperatio. Et cum hæc ſub ini-
tium Præfecturæ tuæ ſint opera, ſimilia porrò exſpec-
tamus. Nec enim poſſunt aliæ, quam excelſæ cogita-
tiones animo tuo ſubire, & dum in incremento eſt vir-
tus tua, tanta Celſitudine ac gente dignos ſpiritus ca-
pis, ut eadem fortitudine poſtmodum experiaris, quic-
quid pro patriæ ſalute tentandum providè judicabis.
Iam oculos in te coniicit Chriſtianus orbis aliorum
aperta inclinatio eſt, aliorum occulti metus. Vtinam
aut vincere hoſtem poſſis aut pacare, & præludia hæc
fuerint ſtabiliendi ſimul imperii & pacis. Eam reduci*

velle,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

lle, fortè victori expedit, victo neceſſe eſt. Militat o te Iehova, & turbatis nonnihil rebus, victoriam nduplicat, ut confeſſos hoſtes animo jam ſubjugaris. faſces Auriaco ſubmittere nemo indecorum tat, & quos ſuperaſti, beneficium putant, à Naſvio vinci. Sub frenis tuis libertatem quiſque ſibi, b imperio felicitatem pollicetur. Mactè Heros inicte, & cum patriæ finibus latius virtutum tuarum mœria diffunde. Laudabiles militiæ tuæ ſucceſſus ntinua, &, advocante te ad magna Deo, obſequere. eni, ad tuos redi, & Procerum civiumq; paſſim uſtas acclamationes victor excipe, quorum alii vim, alii libertatem, omnes ſecuritatem tibi debemus. equor pone Encomiaſtes, & dum alii tantarum reum ſolidam narrationem meditantur, non hiſtoiam, ſed Poëma oblatum veni. Nec enim decet tam lluſtria trophæa ſuſpendi ſine vate. Vtinam verò ignam virtutibus tuis orationem reperire potuiſem. Impari greſſu ambulat Auctor & Scriptor. & rincipum Heroicos auſus lambere facile eſt, facunâ exhaurire difficillimum. Quod poetarum prorium eſt feci. Per ambages, Deorumq; miniſteria, & abuloſum ſententiarum tormentum circumduxi etas voces, ut potius furentis animi vaticinatio apareant, quam religioſæ narrationis ſub teſtibus ides. Eſt tamen, ubi nimius narrator mihi videor, emporiſq; filum nimis anxiè ſecutus. Sed parum efert, ſi minus illic poetam egerim, ubi feliciſſimè ugnaviſti. Præſtat ſciri, Te melioribus legibus pugnaſſe, quam me ceciniſſe. Et major rerum à te prudenter fortiterque gerendarum habenda fuit ratio, quam meæ laudis. quam ſi ex hoc opere aliquam retulero, Illuſtriſſimo tuo nomini omnem debebo, cujus virtutum vel ſola recordatione vatibus pectus tumet, ut majores ſibi videantur, quò circa auguſta illa nomina & illuſtres animas impenſius occupantur.

F 3 *Faxit*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Faxit Deus Opt. Max. cujus invicta manu viciſti Patriam, religionem, libertatem in tuto locaſti: hoſtiles impetus contudiſti: Veſaliam primum, mox Sylvam-Ducis, urbes potentiſſimas, Federatorum imperio addidiſti, ut nominis tui terrorem latè circumferas, quæ domi ægra ſunt, conſilio fulcias, valida magis robores, metumque tui civibus, contemptum hoſtibus, præclarè de patria merendo, demas.

DE OBSIDIONE

SILVÆ-DUCIS

Liber unus,

AD PRINCIPEM AVRIACVM.

Exceſſit ſors noſtra modum. ſuprema tenemus,
Quæ fuerat ſperare nefas. Mavortius ipſum
Perrupit Phlegethonta furor, rurſuſque potentem
Contudimus ferro Eugeniam. fiducia quicquid
Iuſſit, & ingentis felix audacia cœpti,
Fecimus; egregiaſque Duci victoria curas
Explevit, ſolumque hoc uno Belga triumpho
Stat ſatur, & veteres audet contemnere lauros.
Militat AURIACUS patriæ, preciumque laboris
Grande refert, famamq; ipſis jam terminat aſtris.
Succedunt ſpoliis urbes, & victa fatiſcunt
Oppida. poſt fractum miſerandis cladibus Indum,
Hîc jam plorat Iber, propiuſque & bella Batavûm,
Et ſua damna videt. non jam ſua brachia Cancer
Contrahit, aut Tropici ſpectat diſpendia Titan,
Non pater Oceanus, non tot ſpoliata ſuorum
Exuviis jam Cuba tremit. non Mexica fumant

Tranſtra,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

anſtra, vel extremâ Zephyrus damnatur arenâ,
on Thetys exuta dolet. poſt æquora tellus
bditur, & pavidis infrendent agmina portis,
œſtaque Naſſoviis trepidat Brabantia caſtris.
c terras durique reas arceſſimus undas
nperii, vetereſque in nos ulciſcimur iras,
arbaricaſque, Albane, neces, odiiſque litamus,
it memores, Rex magne, tibi. ſic ſpreta tiaris
egna ſibi pacem poſcunt, gladioque minacis
eſperiæ furias redimunt. his ſupplicat armis,
t victrix veniam belli fortuna precatur.
Littore Dardanio magnæ dum mœnia Trojæ
'erberat, & Phrygiis inſultat turribus ultrix
ræcia, & iratas acuit vindicta Mycenas,
n partes abière Dii: cauſamque ſecutus
Quiſque ſuam populumque fuit. pars Ilion optat
itare loco, & Danaûm jaculata eſt claſſibus ignem,
Pars genus Aſſaraci Priamique evertere gentem
Sæva parat; pugnantque ſuo ſub numine juſſæ
Europæque Aſiæque acies; trahiturque Deorum
Litibus in decimum Bellona volubilis annum.
At nobis cœlum omne favet, pariterque ſecundis
Numina conſpirant animis, & federe læto
In Regem coiere poli. Tu pabula Marti,
Bellator Neptune, rapis, diteſque ſuperbis
Exuis Auſtriacos opibus. tu Mulciber enſes
Frangis, & inviſo frameas obtundis Ibero;
Armorumque minas & diri pulveris ictus
Eludis. tu corda gravi formidine Mavors
Corripis, exanimaſque Duces. tu lenta Philippi
Iuſſa refers, regumque procul reſponſa moraris
Atlantis Tegeææ nepos. qui lethifer annus
Ire ſolet, lethoque virûm tot corpora ſternit,
Miteſcit meliore Deo, placataque nobis
Sidera damnatam Phœbus direxit in urbem.
At tibi, tot Superos inter, Tritonia Pallas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Debetur tantum facinus. tu provida belli
Conſiliis, & tantarum moderamine rerum
Inſtruis Auriacum, tu doctis mœnia vallis
Cingere, per medias Veſtam reptare paludes,
Et fluvios frenare doces: attollere montes,
Telluris laxare vias: ipſoſque furentis
Irruere in Ditis thalamos, & tramite cœco
Scrutari ſecreta Erebi, patefacta ciere
Tartara, ſulphureaſque domos. Tu pandere vatem
Cuncta ſinas, cauſaſque & prima evolvere rerum
Conſilia, & clari memoranda exorſa laboris.
Tuque adeo, ſeu jam fractæ bellacia Sylvæ
Mœnia reſtauras victor, captivaque ſolvis
Flumina, belligeramq; immergis fluctibus urbem:
Seu te Cæſareis mœrens ſub faſcibus armat
Iſala, & afflicto reddis ſua rura Sicambro,
Carminibus, FREDERICE, fave. cui ſidera cœlum,
Mars gladios, Bellona manus, Tritonia mentem
Commodat, atque ipſi Manes famulantur Averni,
Pieridum quoq; templa patent, vatumq; Ducumq;
Certatim frondent circum tua tempora lauri.
Eſt, ubi ſidereos inter ſublimior ignes
Aurea flammiferis aperit palatia valvis
Iuppiter, heroumque animas & celſa reponit
Nomina, quæ claris aluerunt bella trophæis,
Totaque ſub galeis ſudans exercuit ætas.
Illic monſtrorum domitor, victorque Meduſæ,
Regnatorque Aſiæ Macedo, Libyæque tremendi
Scipiadæ, Deciique, &, Martia fulmina, Druſi,
Ingenteſque habitant Pauli. ſi ſera revolvas
Secula, Borbonios illic, & ſancta Colini
Ora ducis, cunctoſque inter ſpectabis euntem
Terribilem ſpoliis, populoſque & victa trahentem
Oppida Mauritium: pro libertate cadentes
Naſſovios; quoſcunque recens vel priſca ſonorâ
Vexit fama tubâ. quoties ſuffragia Divûm
Solli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Sollicitat Superûm rector, mundique labores
Expendit, num bella velit, num mitia terris
Tempora, non alia cœli regione Deorum
Conſiliis rebuſque vacat. huc vecta per altum
Ire parat rabido bellatrix *Belgica* vultu,
Belgica, concordes ſocians in federa gentes:
Non pacis veſtita habitu, non mollis olivæ
Dona ferens, cultuque comas inflexa decoro.
At furor, audaceſque minæ, & Mavortius horror
Prælia ſpirantem fremitu comitantur anhelo.
Et ſudor per membra Deæ, pars una lacertos
Nudatamque aperit mammam; pars altera nodo
Fulmineam nectit ſumma cervice machæram.
Incutiunt terrorem oculi, rutilantque coruſcis
Ignibus. impavidum pugnax audacia vultum
Aſperat, &, veluti ritus imitata Minervæ,
Abſcondit galeâ frontem, genibuſque trementem,
Quam tenet, argutis vibrat ſtridoribus haſtam.
Objicitur Soli clypeus, pavidoſque laceſſit
Solis equos. illi pugnæ, certamina, cædes,
Oppida ſculpta manu, & patriæ crudelia patris
Funera, proſtratus generoſa cæde Varaxus,
Captiviq; duces inerant, Morinûmque per æquor
Exanimis fugiebat Iber, fugientibus inſtat
Belga, cruentatas lambit Neptunus arenas,
It juxta Mendoſa dolens. Tarteſſia fumant
Carbaſa, turrigeræque rates. ſtat territa Calpe,
Alcidæque labor. nec longè Grolla recentes
Exhibet ære notas, vacuaſque à mercibus alnos
Occaſus, pauperque ſuis demergitur undis.
Talis in auguſto Divorum maſcula cœtu
Appulit. incomptis ſtabat Rupella capillis,
Et fruſtrà ſua fata querens, Richelique labores,
Lilia ſub manibus, velut indignata, gerebat.
Ipſa catenatum ducens Germania Cimbrum
Flebat, & ultrices ſecum dum colligit iras,

Circumſpectat opem, magno ſe faſſa minorem
Cæſare. diviſis infelix Mantua ſceptris
Preſſa diu dominum populo poſcebat & urbi.
Venerat & triplici crines implexa coronâ
Albion, & feſſo procurans federa Regi,
In malè diſcordem dictis regalibus aulam
Detonuit, Caroli pro majeſtate locuta.
Quas inter tales edebat Belgica voces
Ad ſolium converſa Iovis: Si, maxime rector,
Hæc mea non lævis meruerunt ſurgere regna
Auguriis, Batavas ſi nondum deſpicis arces,
Et medios inter bellorum emergere fluctus
Iamdudum potui: nec de me ſceptra Philippi
Occiduis ſuffulta opibus fixere trophæum:
Advenio ſupplex. non ut depugnet ad Ortum
Auriacus, Gangemque ultra victricia tollat
Signa, vel in gemino figat tentoria mundo.
Vicimus hîc. ſcripſi extremis mandata Moluccis,
Per terras ſolemque audax utrumque cucurri,
Et dominam gentem toto circumtulit orbe
NASSOVII fortuna mei, Zephyrique minantem
Sedibus armatis vexi trans vaſta carinis
Æquora. tranſivi Thulen, ipſumque reliqui
Poſt mea terga diem. tantum nunc mœnia Sylvæ
Vinci poſſe precor. noſtris laus iſta triumphis
Reſtat adhuc; nec me cupidam ſpes altera belli
Erigit. illa ferox miſeris infeſta Sicambris,
Iam Vahali Moſæque gravis, funeſta Batavis,
Incubat una mihi, & lateri lethalis inhæret.
Illa meas vaſtat ſegetes. deſævit in arva
Vulneribus ſervanda meis, victumque famemque
Heſperio librat faſtu, gaudetque diurnas
Nocturnis cumulare neces. pars tertia Belgî
Vnius fit præda loci. quin undique ſtagnis
Tuta ſuis, ſparſaſque inter ſecura paludes
Militat, atque ſuæ ſuſpendit fata ruinæ.

Quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

uid juvat Eoos mihi ſe ſubmittere faſces,
nocet illa domi? leges præſcribere Gangi?
ic mihi juſſa dari. quid vectigalia regum
oſcimus? hic proprias redimunt æraria meſſes.
n præbere cibos tanti eſt? alimentaque latè
iſtentas portare rates? ſi Geldria Sylvæ
aſcitur arbitrio? vaſtiſſima cærula tranſtris
ſetiri? hic arctis claudi veſtigia portis.
ibertas conceſſa alibi eſt: hic unius urbis
ervitio deformis ago, vulgique fatigor
letibus. infeſtas Latio Carthaginis arces
Diviſit Libycum ſpatiis ingentibus æquor:
At me proh nimium ſociis conſiſtere terris
Dî cupitis. celſas Hiſpania tranſilit Alpes,
nRomam cum bella parat, Brennumque ferocem,
Et Senonum furias tardè ſenſere Quirites:
Hæc præceps, inopina meis cervicibus inſtat,
Nec lentè nocitura venit. cur dura tot annos
Arma potens geſſi? ſtravi tot pontibus amnes?
Cornibus infractis Rhenum parere coëgi?
Suſtinui muris Martem? noctéſque cruentas,
Armataſque hyemes, & ferrea ſecula ſenſi?
Æmula ſi noſtris perſtant hæc oppida regnis.
Dî, quorum auxiliis crevi, ſuccurrite Belgis;
Exorate Iovem: tuque impavidiſſime Mavors,
Seu jam Sarmatici moderaris prælia Regis,
Sive Italis afflas bellorum incendia terris,
Allobrogumque ducem cognato jungis Ibero;
Huc omnes converte minas. ſi Martia ceſſit
Breda tuo pridem Liguri, domuitque potentem
Paupertas inhonora gulæ, ſi debita culpæ
Sors fuit illa meæ; nunc verſis inclyta fatis
Sylva ruat, priſcumque abole, Gradive, pudorem:
Disjice ferratos obices, & ſedibus imis
Fundamenta quate. occumbat victricibus armis
Bellipotens. nec enim jejuno pabula ventri

Ereptum

Ereptum venio, dapibuſque imponere legem.
Non precor, ut fallax equitem ſubmittat Hohenlo
Mœnibus. inſidiis major fraudeſque doloſque
Eluſit, ſuperanda manu. non vendita poſco
Oppida, vel cives precio. mihi victor Olynthi
Diſplicet, atque emptæ, falſis cuſtodibus, urbes,
Et mixtum ſceleri lucrum. quid magne moraris
Iuppiter his ipſis FREDERICVM immittere portis?
Tolli ſtagna peto: fugiant ſubducta Deorum
Æquora conſiliis: excurrant longius amnes:
Plus urat Titana calor: qua vomeris ivit,
Caſtrorum nunc limes eat; mundique ſolutis
Legibus, in celſas aſſurgant pondera turres,
Permutetque ſuas Faunus cum Naiade ſedes.
Plura perorantem placido Saturnius ore
Excipit. at voces, æternaque verba Tonantis
Implicuere ſuis Parcarum ſtamina fuſis:
Nec te Breda diu, nec te patiemur inultam,
Belgica. Cantabrici libranda potentia regni,
Signanduſque modus ſceptro. diviſa poteſtas
Imperii mundo melior, glomerata ſub uno
Plurima Rege ruunt. durat moderata, fatiſcit
Ardua majeſtas ſolii. plus numina curant,
Qui victi vicere Duces. obnoxia cœlo
Regna putat, quiſquis regnorum parte carebit.
Tu, Dea, pugnacem victrix penetrabis in urbem;
Inveniet virtus veniam. quin præſcia Clotho
Bellorum duplicat lauros, ſpoliandaque binis
Vrbibus attoniti pallebit regia Mauri.
Quæ ventura brevi, quæ comprobet exitus orbi,
Fatorum ſecreta loquor. licet undique fundat
Caſtra Tagus, junctis Germania tota feratur
Auxiliis, Rhenus tranſlatum ſentiat Iſtrum,
Illyricas cieat Romana potentia turmas,
Vndique Barbarici conſpirent agmina Dravi,
Pacatuſque domi circum te ſæviat Albis,
Incaſſum,

caſſum, regina, tuos remorabitur auſus.
os animis junctæ, conſpiranteſque ſorores
bellum properate, juvet pars ægra labantem,
is inopem. ſociate novis æraria curis,
rmaque communi pro libertate reſumptis
ertite in Eugeniam ſtudiis. Iam longius Alpes
erritat, atque alio lauros molitur in orbe
ux Ligurum : jam rapta tenet ſtipendia dives
mſtela. quis tanti flectat moderamina belli,
onſultant dubii Patres. ſuſpenſa potentum
onſiliis nocet aula ſibi, diſcorſque laborat.
t tandem lentis veniet Brabantia caſtris.
n tibi Lemniacis deſudant æra caminis,
Nec vigilem Steropes patitur ſegneſcere Bronten.
pirant ignivomi folles, incudibus ipſe
ntonat armorum faber, & fornacibus inſtans
Tela tuis aptat ducibus; galeaſque globoſque,
Pilaque funereaſque faces, tormenta, ſecures,
Scutaque laxatâ format tibi Mulciber Ætnâ.
Tu Pavor hoſtiles frena formidine currus,
Tu Labor ingentes operas, Induſtria moles
Feſtina fac ſtare manu. Berecynthia turres
Concute, & impulſis faſtigia dejice muris.
Singula conjunctis concurrant numina votis.
Dixit: at huic ſubito tumuerunt pectora motu
In pugnas, totiſque novum bibit oſſibus ignem.
Nec latuit Mavortis amor. diffunditur ipſos
In vultus atque ora furor. de caſſide pendens
Erexit ſe criſta magis, conuſque refulſit
Splendidior, clypeique micans efferbuit orbis,
Inque genis rubor admiſſo pallore reſedit.
Maſſagetæ veluti cum lactea pocula miſcent
Sanguine, vel candens ebur interſtinguitur oſtro.
Acclives jam Phœbus equos, annique juventam
Vexerat ad Geminos, pugnacia ſidera, fratres,
Et ſua bellanti debebat lumina Tauro:

Reddita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Reddita cum terris, celerique per oppida greſſu
Vecta cruentatos porrexit gentibus enſes,
Laxavitque viam bellis, ac fervida dictis
Incitat AURIACUM: Batavûm fortiſſime ductor,
Quid ceſſàs parere Deo? defenſaque patri
Regna novis auges ſtudiis? & pectore totum
Excutis Odryſium? tibi vaſta potentia Belgî,
Et rerum commiſſus apex. tibi credita fratris
Sceptra tui, noſtræque potens exercitus oræ.
Iamque tuis crevit Belgarum gloria curis,
Et Salii ceſſere Duci. jam fracta feroces
Submiſit tibi Grolla manus. diviſit habenas
Barbaries Eoa ſuas, domitoque carinis
Veſpere, regales donavit America gazas.
At majus tibi fata parant. tuus æthera jam mox
Lambet honos. fraterna armis audacibus auſa
Tranſgredere, & tanto quæſitos ſanguine faſces,
Quos pugnæ, quos mille ducum peperere labores,
Quos longis hæc noſtra fides contexuit annis,
In tuto, FREDERICE, loca. cadat invida terris
Sylva meis, pacemque velis non antè paciſci.
Hanc lauris annecte tuis, his debitus ultor
Inferiis, Fili, patrios ulciſcere manes.
Reptaſti per caſtra puer, totieſque cruore
Immaduit prætexta ferox, interque triumphos
Telaque creviſti juvenis. jam frena capeſſens,
Intrepidus ferri, per priſca exempla tuorum
Circunfer generoſum animum. procede ſecundis
Auguriis. regat audaces Bellona curules,
Diſponat mediis miles tentoria campis,
Belliger annus eat. poſt tot mea damna neceſque
Plena triumphato redeat vindicta Philippo.
Hoc pietas polluta rogat, tumuluſque Loyſæ
Matris, & infandis Francorum prodita menſis
Colliniæ fortuna domus, memoreſque meorum
Mauritii cineres, venerandaque funera Belgis.
Talibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Talibus ille Deæ monitis accenſus in hoſtem
Tota mente ruit. ſed enim momenta laborum,
Quæ maneant noſtras inopina pericula terras,
Qua bellum ſuſtentet ope, qua caſtra locari
Sede queant, quæ bellacem ſpes erigat urbem,
Expendit, verſatque novi diſcrimina cœpti.
Succreſcit Martis rabies, præſagia laudum
Exacuunt pugnæ ſtimulos. jamque impiger ardet
In denſas ſe ferre acies, & prælia coram
Suſtentare manu, caſtris præſcribere leges,
Et juſſis animare tubas, diſponere vallos,
Siſtere præcipites glebis ſurgentibus undas,
Et circum poſitos lacerare ligonibus agros.
Continuò turbata quies; Batavûmque per urbes
Bella tonant, ſociæque cient Mavortia gentes
Agmina, & imbellis votis proſcribitur æſtas.
Convenere Duces, ſumptiſque inſignibus alæ
In vultus rediere ſuos. hi terga fatigant,
Et ſpumantis equi fodiunt calcaribus armos;
Hîc cataphracta phalanx, equiti tutela, pedeſtri
Lege coit. pars excuſſâ ſe glande tuetur,
Pars tremebunda quatit rigidis haſtilia roſtris.
Hic præit æratam portans ad bella bipennem.
Hic acri mucrone ferit. ſe ferreus ille
Illæſo thorace tegit. ſed corpora nudus
Plurimus à ſola ſperat virtute trophæum.
Ingenio conſtant obitus, miſerique feroci
Arte cadunt, ferroque mori tam ſimplice dudum
Diſplicuit. formas damnoſa induſtria lethi
Multiplicat, preciumq; ipſis mors captat ab armis.
Iam fundit Groninga viros, Friſiuſque maniplos
Inſtruit, & patrias abituris commodat iras.
Marſaciæ venere manus: quaſque armiger excit
Iſala, & intonſo gaudentes crine Sicambri,
Quiq; bibunt Rhenum Batavi, Chauciq; minores,
Quaſque procelloſis in fluctibus, æthere duro,
Aſperat

Aſperat audaces Toxandrûm terra cohortes.
Nec varios linguis populos, junctoſque ſub uno
Principe Muſa ſile. noſtro notiſſima Marti
Robora, conveniunt, ſpretâ formidine, Galli;
Inde Caledonio permixta Britannia Scoto,
Allobrogumque acies, immanſuetique Cheruſci;
Quæque, gravis quondam vinci, Germania laudi
Deficit una ſuæ, nec ſe vexata probavit,
Vltima pacato nobiſcum militat Albi.
Hos inter cuneos præclari ſideris inſtar
Emicuit Ductoris apex, notuſque refulſit
AURIACUS, bellique moram damnantia movit
Pleno caſtra gradu, nec jam ſuprema timentem
Funera neglectam Superis admovit ad urbem.
Procubat horrendus madidis Gradivus in agris
Ilicet, & tenui ſecernit ſtramine cœlum.
Exuvias ſibi quiſque rapit, creſcuntque penates
In numerum, & nullo radiantia tecta pyropo
Paupertas animoſa colit. contemtior alga
Heroas dominoſque capit, nec diſpare formâ
Vivitur, aut petulans diſtinguit limina luxus.
Aeſtivum perferre jubar, contendere ſueti
Frigoribus, paſſim recubant; & paupere menſa
Placatur non docta fames, feſſoſque relaxant
Fabricii Curiique dapes, vel qualia ruri
Fercula diſpoſuit tepido Serranus aratro.
Iam Rhenus per utrumq; latus, jam Moſa ſecundis
Naſſovio famulatur aquis, & tergora præbent
Pontibus, & fluidæ tranſmittunt caſtra carinæ.
Incumbunt fluviis ſylvæ. nemoroſaque Tempe,
Hercyniumque nemus, glomerataq; robora Pindi
Mille natant ratibus. veluti cum ſtraverat Hellen
Barbarus, & tranſtris ſolidato gurgite Thetys
Obriguit. claudunt gravidæ lethalia puppes
Pondera, & Aeolios laſſantia tympana fratres,
Quæque ferunt trepidis furibunda incendia tectis,
Et

totum Mavortis opus. Deſcribitur ingens
rea, virtutis ſpacium fatale, laborum
irculus, & claro cauſas concludit honorum
ramite. ſtat morti limes, ſtat linea vitæ
geribus demenſa ſuis, idemque cubile
tumulos trux campus habet: ſomnique neciſque
ulcitra; ſemideûm bellatorumque palæſtra,
rbita militiæ, tantis ſervanda triumphis,
el nobis, vel, Ibere, tibi latura pudorem,
orrigitur, celebriſque ſtupet molimina belli.
reſcunt in cumulum colles, valleſque profundas
Equavere jugis. capiunt ſtagnantia ſulcos
Rura, ſuperjectis coëunt caſtrenſia glebis
Mœnia, cinguntur tumulis immanibus undæ,
Atque undis tumuli. mutat cum Thetye tellus
Munia, & antiquis migrant è ſedibus ambæ.
Aſſurgunt elementa, petunt declivia, pendent
Ponderibus librata ſuis. ſuſpenſa tenentur,
Quæ noceant depreſſa: iterum depreſſa tenentur,
Quæ noceant ſuſpenſa. fodit, ſecat, obſtruit, aufert,
Laxat gnava manus. ſurſum jactantur arenæ,
Ordinibuſque novis reſident. hîc linea rectum
Ducit opus, poſcunt alibi munimina gyros.
Hîc cornuta jacent, & diro forfice vires
Conduplicant inimica ſuas: hîc currit in orbem
Machina, Phœbææ formam mentita ſororis.
Munit tuta metus. quærit prudentia laudem,
Dum longè ventura timet, dubiiſque movetur
Caſibus, & varias bellorum proſpicit artes,
Quicquid & incautis queat eveniſſe, veretur.
Attollens apicem mediis urbs ferrea ſtagnis
Tot circum caſtella videt, metuendaque tantis
Cingitur excubiis. cernit delubra Deorum,
Sacrataſque fores, denſiſque minacia portis
Culmina, ſubnixaſque jugis ac collibus arces
Vallari, atque ipſis indici bella procellis.

Non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Non jam Romulidûm grandes mirabitur auſus
Poſteritas, non ſæva tuas Alleſia turres,
Et quæ Dyrrachium magnæ cinxere coronæ,
Non ditis fatum Capuæ. minus eſſe putabit
Fama Tyrum, ſtratumq; immenſis molibus æquor,
Aut quod cum tumida bellum Carthagine geſſit
Scipiades. cedunt Batavo vallante Platææ,
Maſſiliæ vileſcit honos. non alta Sagunthos,
Quod commendet, habet. non qui ſua viſcera Xerxi
Tranſadigi permiſit Athos, vaſtoque recepit
Æquora tota ſinu. non duris belliger Hæmus
Pervius Odryſiis. mortales omnia dextræ,
Et noſtræ potuere manus. hæc mœnia ſolos
Iurabis cinxiſſe Deos, pactoque potentem
Deſcendiſſe Iovem precio. Cur Dommala turget?
Subſidunt maria? & ſulcati navibus agri,
Naïadumque domus, & tecta paludibus antra,
Demerſæque patent valles? cur proximus urbi
Subducit ſe Moſa magis, quantumque neceſſe eſt,
Infeſtas caſtigat aquas? cur militat æther,
Et conjurati ponunt ſua flamina venti?
Dî peragunt incœpta Duci, & communibus urbem
Invadunt ſtudiis. cœlum, mare, ſidera, tellus
Damnavere ream pariter. ſervanda triumphis
HENRICI laus iſta fuit. nec, vincere fratrem
Hanc etiam, viſum Superis. celeberrima laudum
Argumenta cano, rarique exempla laboris,
Militiæque graves operas, excuſſa potentum
Scrinia, & his raptum pugnans in partibus aurum.
Nempe procul victæ peregrino in littore gazæ
Hic iterum nocuere Tago, propriiſque Philippus
Vincitur exuviis. damno eſt nimis eſſe potenti,
Divitiæque premunt dominum. terraque marique
In ſe verſa ſui fatalia pondera regni
Sentit, & exuto tot clades imputat Indo,
Invictæque diu labentia mœnia Sylvæ.

Admi-

Admiranda loquor. totos Eous & Æthon
Abſorpſere lacus, & quà ſub vere Napææ
Ambroſias lavere comas, ſeſe arduus infert,
Prataque depaſcit ſonipes. quæ ſæpius æſtas
Imbribus Arctois maduit, pluviaſque ſolebat
Sidere ſub noſtro tempeſtateſque ciere,
Ferbuit, & longo latrantem Sirion æſtu,
Ardenteſque focos Cancri, rabidumque Leonis
Limen, & Aſtrææ ſuccendit Virginis aſtrum.
Expendunt exacta ſenes, nec talibus unquam
Commemorant nobis iviſſe caloribus annum.
Sic facilis mores, tanto molimine rerum,
Invertit Natura ſuos. non pocula largè
Fudit Hyas, taurique madens in tergore nimbis
Alcyone damnoſa fuit; ceu juſſa, procellas
Continuit, ſiccæque Ducum juvere labores
Pleiades, & Batavo jam tunc placatus Orion.
Qui licet in cœlo rutilans humentia latè
Cingula & imbriferum diſtringat Martius enſem,
Vt vidit fluidos Belgarum ſparſa per agros
Agmina, & adverſas ſtudio reptare per undas:
Æolios clemens fremitus, ſolitoſque furores,
Bellantique graves populo compeſcuit iras.
   Nassovius, dum tuta vagis munimina caſtris
Adſpicit, & validis ſecludi mœnibus hoſtem,
Signa movet, dictiſque ſuos inſtigat euntes
Talibus: Heſperiam mecum domitura Iuventus,
Tempus adeſt. ſi quid quondam meruiſtis in armis
Belligero ſub fratre, meis præſtate parati
Imperiis. uno patriam defendite bello.
Audeat hoc mecum facinus, quem cauſa ferocem,
Non furor, eſſe facit. non vili fama paratur
Pulvere. Cantabrici caput inſuperabile regni,
Auſtriaci jugulum petimus, roburque potentis
Eugeniæ. Quid ſola queat fiducia ferri,
Oſtentate mihi. non vos per frigora brumæ

Lenta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Lenta traham, gelidique ferent incommoda ſoles.
Non rigidas calcare nives, cornuque minacem
Exſpectare Caprum cupio. victoria præceps
Poſcitur, & noſtros paſſura propinquior enſes
Aut ruet in veſtris, aut ſtabit Sylva lacertis.
Nec vos, Pannoniam quamvis concuſſerit omnem,
Terreat aut Nemetum domitor, vel rector Iberi.
Aggeribus paſſim circumvallata tuemur
Caſtra, ſuperfuſos fluvios præcinximus illis,
Et pariter terrâ, pariter defendimur undâ.
Ite recepturi, Mavors quam poſſidet, urbem.
Hiſpano collecta manus ſibi congrua captat
Tempora, conatuſque ſuos & cœpta moratur.
Credite, ſuſpenſus Batavum jam reſpicit orbis;
Regum vota favent. ſpectat ferus Adria longè
E ſpeculis. dubitat Tameſis, quid Belgica poſſit,
Formidat graviora Tagus, plus augurat Iſter.
Mundi cura ſumus. nec vobis degener adſto
Ductor. inacceſſas unà penetrabimus undas,
Ibimus in terræ gremium, cœcoſque meatus
Ingrediar, conſors famæ, conſorſque malorum.
Qua miles ſtatione cades, occumbere juxtà
Auriacus poterit. non me diſcrimina vobis
Diſſimilem caſuſque dabunt. me pondera rerum
Diſtinguent, non auſa, Ducem. quæ juſſa probabo,
Exequar impavidus. veſtris fortuna periclis
Æquabit, ceu neutra, meum. Si ſtagna, lacuſque,
Si mihi tempeſtas urbem, ſi proxima cœlo
Tot caſtella negant, Superûm clementia victrix
Cuncta dabit, jungentque meo ſe fata labori.
Talia ubi peditum turmæ, nunc mixtus equeſtri
Dicta dedit, ſtudiis animos audacibus implet,
Accenditque mori promtos, belloque, viaque
Inſtruit. horrendo ſtrepuerunt claſſica cantu,
Et juſſæ cecinere tubæ. ſimul impete diro
Æra crepant. ſtabant arces, præludia pugnæ
Aſpera.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Aſpera. ſic, Libycis tutela penatibus, altis
Eminuit trux Byrſa jugis. huc omnibus ardor
Ire per ambages, & longa exorſa viarum
Circumferre gradum. qualis per viſcera terræ
Foſſor in occultos ductat veſtigia flexus,
Obliquatque ſinus. Tu me per tela, per enſes,
Per cineres, acieſque Ducum, per funera, pugnas,
Securum, Bellona, rape, & furialia pande
Prælia, ſuppoſitoſque cavis penetralibus ignes
Et lethi ſecreta aperi. Iam ſanguine ferrum
Irrubuit, grandeſque calent pugnantibus iræ.
Hæret in ambiguo Mavors, nec certus in alta
Nube quibus dubitat facilem ſe præbeat armis.
Pandimus abſtruſos aditus, Plutonia rumpit
Clauſtra labor, ſenſimq; truces convellimus arces.
Progredimur foſſis. dextrâ lævâque ſub ipſa
Stamus humo. diſrupta ruunt faſtigia flammis,
Et reſerat munita fragor, robuſta revellit,
Summa quatit belli rabies. nec ſegnius inſtat
Fortis Iber, patriaſque domos & tecta Deorum
Aſſerit, & nullo ſatiantur vulnere dextræ.
Tum Stheneli Turnique cadunt. hic Pandaron, ille
Dejicit adverſum Bitian, Rhætumque, Abarimque.
Vulnerat Ortygium Cœneus, proſternitur Aſtur,
Et præceps animi Volſcens. ſi nomina mutes,
Adſpicias illic Troas Rutuloſque feroces
Permiſcere manus, denſiſque occurrere turmis,
Alteraque Heſperiâ defendi Pergama dextrâ:
Inſultare Phryges, Danaos circumdare muros,
Et propius, cæſis geminæ cuſtodibus arcis,
Ferre pedem. ſi quando duces adverſa vocarent,
Pro nobis etiam Mneſtheus, acerque Sereſtus
Pugnavere: fuit, qui fata extrema ſecutus
Euryalus calidum vomuit de pectore flumen,
Magnanimamq; animam tepidis abſcondit arenis.
Ipſe Gubernator, claro de ſanguine Schetti,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Tunc etiam patriæ pro libertate locutus
Creditur: & vigili dum proſpicit omnia mente,
Aſpera conſiliis moderans, nec triſtibus impar,
Pugnantûm furias, atque intervalla nocendi,
Vincendique modum laudatis flectit habenis.
NASSOVIUS, quanquam magnas ſub pectore curas
Verſat, & innumeros pernox ſe fundit in actus,
Nil lethi mortiſque memor, per ſaxa, per ignes,
Sulphureoſque globos, inter tot buſta ſuorum,
Semineceſque viros, & circumſtantia pila,
Fumantes terrarum aditus & lurida tabo
Regna ſubit, gratoque aſperſus pulvere belli,
Non his delicias ſtudiis, non præferat aulæ
Gaudia. quin totus fruitur, dum diſpicit hoſtem,
Et deſperatis tranſmittit lumina rimis.
Ille, ubi barbarico libratur machina pulſu,
Adſtat ovans, operaſque novis ſucceſſibus urget,
Quæ ſint excubiis, quæ ſint loca commoda vallis,
Quà ruat è portis acies: quo robore tuta,
Præſidioque ſuis noceat, quot vinea repat
Paſſibus; & tragicæ furialia munia ſcenæ
Vnius ſunt cura viri; magnuſque decoro
Militat exemplo ductor. ſtant prælia famâ,
Nec vitæ numerat ſpacium, vel ſupputat annos,
Cui ſua perpetuas deſpondet gloria lauros,
Et cœlo cognatus honos. quo vivit in orbe
Celſa poteſtatum ſpecies, hoc judice pugnat.
Sic Ducis adſpectu cunctæ ſtupuere cohortes,
Æmuláque audaci promovit ſigna Britanno
Gallia, cum ſecum junxiſſe pericula vidit
Auriacum, tantóque ſui ſtetit obſide fati.
Vt Leo, Marmaricis quem nutriit Africa campis,
Cum ſubit atra fames, catulis comitantibus, antro
Exit, inacceſſos quovis ſub ſidere montes
Permeat, & lethi contemtor opaca ferarum
Ipſe prior luſtrat. patriis animoſior auſis

Erigitur

igitur ſoboles, prædæque ferocius inſtat.
tereà adverſum quatiens irata flagellum
iſiphone, totis concuſſis viribus orbis
rma movet, Bætimque furens Iſtrumq; receptat
uxilio, traditque truces hoſtilibus armis
elliquias. miſtis deſcendit Nervius audax
dvaticis, longiſque armati Lingones haſtis,
t quondam fortes Vbii, Tungræque phalanges,
Membraque qui Morini gaudent durare procellis.
Hi caſtris inferre minas, fractoque laborant
Aggere vexatæ dudum ſuccurrere Sylvæ,
Et ruptas animis ſpirantes grandibus Alpes,
Eminus adſultant vallis. vix claſſica primos
Excierant vigiles, Batavûm cum Ductor anhelo
Adventat ſubvectus equo, loriſque ſolutis
Virtutis quoque frena ſuæ famæque relaxans
Conſilio flectit pugnam, feſtinaque cunctis
Inſtruit arma locis, & quà vocat hoſtis & uſus
Infert cornipedem. quo deficit aggere miles,
Vtitur auxiliis. hoſtes Dux inter & urbem
Pugnat, & à tergo clauſos, à fronte laceſſit
Suppetias Regum: diſtinctaque cura triumphos
Conglomerat Batavo. Nec jam cognata feroces
Nomina conciliant proceres. nec ſanguinis horror
Naſſovios placare duces, commiſſaque magnis
Bella poteſt odiis. una de ſtirpe creatos
Mars dirimit, geminoſque ingens diſtare potentes
Cauſa facit. Sed non HENRICI caſtra fuere
Henrici ſuperanda manu. Tu Dommala teſtis
Tela virûm, galeaſque, & Martia corpora verſas,
Hiſpanique dolos, & tantis cladibus emptum
Eludis facinus: quodque illa popoſcerat umbra,
Multa Briaulteos placat tibi victima manes.
Deſtituit ſpes iſta Ducem, primuſque reſedit
Impetus. haud aliter, quàm cum de montibus altis
Gurgite præcipiti ſcopulis illiditur unda,

Atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Atque in ſe violenta redit, ſpaciiſque repulſa
Pluribus, hac illac multo manſuetior exit.
Mox ubi fulmineis patuere impulſibus arces,
Nudatumque latus miſerandæ apparuit urbis,
Et jam ſemiruti montes, avulſaque fumant
Mœnia, & abruptis ſe noſtra ferocia clauſtris
Explicuit, rapuitque iſtam gens æmula laudem:
Tum ſic Tiſiphone, diris intexta colubris
Cæſariem, quaſſanſque faces: Bella altera, reſtant
Altera bella Tago. quamvis ſpes prima fefellit,
Plus ſupereſt. aliis Belgî ſatiabere pœnis,
Heſperia. en, tutum aggeribus revocabimus hoſtẽ.
Quod cœpi, peragetur opus. quid dextera ſegnis
In ferrum lethale ruis? pateriſque periclum
Gliſcere? quis torpor ſocii? Phlegethonta movete,
Succeſſus dum ſumma negant. hoc Filia Regis,
Hoc Rex ipſe jubet. nec nobis altera rector
Tarpeius mandata dedit. convellere regnum
Auriaci, atque ipſo in gremio conſiſtere terræ,
Conſilium eſt. tacuit, fœdoſque à fronte ceraſtas
Dum manibus furibunda rapit, projecit in amnem.
Atque ait: Hoc vindicta loco mihi poſcitur. illac
Ite viri. madeat primis inſultibus horrens
Iſala, confoſſoſque Duces truncataque membra
Hauriat. ut dixit, peditum ſimul advocat alas.
Ipſa præit, cuneoſque equitum tranſvectat, & atros
Vndique Marſaciis immittit finibus ignes.
Irrupere aquilæ, & vaſtis ſe jactat in agris
Cæſar; & hinc Flevi fluctus, hinc proxima Rheno
Pannonius luſtrat quadrupes, metaſque nocendi
Præſcribi ſibi poſſe dolet. perculſa Sicambrum
Incuſat regio, nec cuſtodita ſuperbis
Fit ſpolium ducibus. fugiunt Faunuſque, Cereſque,
Et tu cura Pales pecoris; lateque juvenci
Semineces ructant, & ſparſa mapalia tabo
Spirantes adolent epulas. impleverat urbes
Terror,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

rror, & audaces aliàs invaſerat aulas.
naque nigrantes agitans formidine pennas
animes belli tremefecit murmure gentes.
non Naſſovii virtus ductoris eodem
cta metu. dubios caſus, incertaque rerum,
tabileſque vices Martis præceperat Heros.
c mora ſe partes alacrem diffundit in omnes,
a ſalus, roburque ſuis. vicina tuetur
æſidiis, pavidis Rhenum circumtonat agris,
de latus munit Vahali. Prudentia ſolum
nc pugnare timet, patriæ nec credita ferro
bertas. peragit placidè ſedata poteſtas,
uod vis inconſulta nequit, rabiemque fatigat
rcumſpecta quies. poſt te, Thraſimene, morantē
udamus Fabium, dilataque prælia proſunt.
ſpice Belga Deum. medio diſcrimine rerum
tia dant Superi, Divûm clementia victrix
o te bella gerit. cedunt terrorque, pavorque,
cunctis ſua forma redit. Veſalia lætos
eſtituit tibi capta dies. En adſpice verſam
trahat in ſpeciem fugientis Cantaber haſtam.
ei mihi qualis abit, quantum mutatus ab illo,
ui venit, ut ſumptâ redimat ſua tempora mitrâ,
debellatis figat tentoria roſtris!
dſpice, quàm raras in priſtina regna cohortes
ttonitus referat, totos qui inſederat amnes
ilite. quàm ſpoliis Cimbrorum exutus & auro
ris egens abeat, qui voti prodigus amplæ
auſerat urbis opes. turmis truncatus & armis
æda legit retrò veſtigia, qui modò plenas
xplicuit campis acies. timet omnia ſerò,
ui timuit nihil, & nimium ſecura ruinam
ata trahunt. quantis, per te, FREDERICE, tenebris
ruimur. tua nos tanta caligine rerum
radiat toto vigilans induſtria regno.
Haud ſecus ac tumidum cum ſurgere Nerea cernit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Navita, & Æoliis turgeſcunt æquora flabris,
Iamque ratim ſubeunt fluctus: ille impiger Arcton
Reſpicit, & quanam decimis ſe ſubtrahat undis
Arte notat, fallitque trucis ludibria ponti.
Tu quoq; non parvum tantis, Caſimire, triumphis
Adjungis cumulum. tibi priſca Batavia debet
Aſſerti ſpacia ampla ſoli. tranſire paratos
Aggeribus prohibes, objectoque obice ſiſtis
Barbariem. mordent fluviorum irata catenas
Agmina, & in ſterili damnant jejunia terra.
Stabat adhuc Sylvæ facies, formaſque nocendi
Invenit, & veluti flexus ſe torquet in omnes
Anguis, & adverſus venientem ſibilat hoſtem,
Irrequieta furit. generoſum ſuſcitat ignem
Cana Fides, veteriſque juvat fiducia belli
Magnanimam. jam Regis amor, promiſſaq; magnæ
Eugeniæ ſubeunt, jurataque verba Philippo.
Obvia caſtra locat, ſtrictos dat euntibus enſes,
Egreditur, vocat ad pugnas, hortamine fortes
Prævenit, & nuſquam timidos expectorat horror.
Vrbis ad Occiduos aditus, cervicibus arctis,
Planities non magna jacet. nam cetera ſtagnis
Fluminibuſque natant. hoc totus tramite Mavors
Sudat, & oppoſitis acuit certamina vallis.
Conciderant arces. iterum munimina ſurgunt,
Protruduntque operas operæ. cum cornua frangis,
Lunaris te forma ferit. cum vincitur illa,
Septa ſtruit tranſverſa labor. ſuperata vetuſtas
Deſinat Herculeos iſtis conferre labores.
Hîc iterum ſe Lerna movet, fecundaque colla
Parturit, inque dies gleboſa repullulat Hydra.
Repimus armati ſenſim, metimur honores
Paſſibus, & totam non vult ſe parvula vinci
Area. multiplicat tellus diviſa triumphos,
Annumeratque Duci. circum ſeges horrida ferri,
Pugnaceſque micant dextræ, nec limite longo
Ictibus

tibus alternis pugnant. cum vocibus æra
ermutata volant, atque intervalla loquendi
xcipit armorum rabies, contermina miles
Secta locat, geminæque nocent confinia parti.
atali ſtat quiſque loco, nec cedit inultus,
Permixtoſque agitant ſociatis greſſibus armos,
Vulnera vulneribus redimũt, ſternuntq́; caduntq́;,
Inque vices redeunt mortes. huic ſæva cruorem
Ora bibunt, ſanieque horreſcit livida cervix.
Illi ſanguinea venerando in corpore grumâ
Canicies aſperſa rubet. trahit ille labantem,
Purpuream vomit ille animam. portantur in haſtis
Exuviæ, libratque exanguia corpora miles,
Fruſtaque lethiferis quærit Libitina cavernis.
Cerno Thyeſtææ crudelia fercula menſæ,
Cerno Lycaonios artus, Buſiridis aras,
Cerno ſacra Phrygum, ſibi quas placanda popoſcit
Taurica ferales obitus, furialia Thracum
Orgia, Achilleos tumulos. quò gloria ducis,
Quò rapis heroum ſobolem? morituraque jamjam
Nomina? proh quanto meruiſti ſanguine vinci
Vrbs cognata polo. non te ſtipendia tantum,
Venaleſque animæ; ſed quas armaverat ardor,
Non emptæ domuere manus, devotaque laudi
Pectora ſemideûm. ſed quis fragor intonat aures?
Annè Gigantea congeſta cacumina dextra
Enceladique ruunt? an mœnia ſubruit urbis
Mars pater? & diris Corybantia flatibus æra
Excutit? alta labant, muroſque irata reſolvit
Machina, perq; domos, tonitrus imitata Deorum
Sævit, & immani turres diſrumpit hiatu.
Eſt genus armorum, quo non violentius ullum
Vel Phlegethon, vel Lemnos habet. coit unus in
orbem,
Miranda ſed mole, globus, cui plurima venter
Tela capit: latitant permiſto ſulphure ferri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Pondera, & occultas ſervant in funera cauſas.
Hunc ubi ſerpentis vis imperioſa favillæ
Attigit, obliquo ſe tollit in aëra motu,
Flammivomamq; trahit caudã: mox lapſus ab alto
Horrendum ſonat, & magno ſua viſcera niſu
Rumpit, & ingenti involvit vicina ruinâ.
Quos ubi nocturnos flectens Latonia currus
Vidit, & ipſa Deûm circum delubra rotari,
Creditur attonitis retro ceſſiſſe quadrigis.
His quoque pugnatum. tandem ſe vinea foſſis
Ingerit, & cœcis ſuppoſti mœnibus ignes
Extremus venere labor. diſrupta pateſcunt
Oppida, & incertam ſpondent ſuprema ſalutem.
Exitium tunc Sylva timens, cladeſque ſuorum,
Et nudum perfoſſa latus, poſtquam irrita Bergî
Cœpta videt, totamque imis à ſedibus urbem
Corruere, atque arcta muros indagine cingi,
Tales ſollicito profudit pectore voces:
Quàm nihil imperiis tutũ, quàm cuncta revellat,
Quæ ſteterant, Fortuna procax, Reguniq; ſuperbis
Inſultet malefida bonis, devicta docebo.
Illa ego Brabantûm decus inviolabile regni,
Quæ bis Auriacum, Moſa indignante, fugavi,
Debebor fratri ſpolium. quæ Martia ſprevi
Bellorumque minas, ſubnixaque fraudibus arma,
Inque meos uſus agrorum commoda verti,
Totque mihi populos ſolo terrore ſubegi,
Ludibrium ſum, Belga, tibi, veſana potentum
Fabula, & infidæ exemplum memorabile ſortis.
Hei mihi quò priſcæ vires, quò concidit ille
Indomitæ virtutis honos, trepidataque dextræ
Fama meæ? quæ trans fluvios ſpacioſa vagabar,
Aggeribus captiva premor. cui robur in undis
Omne fuit, jam ſicca tremo; ſolitaſque cadenti
Immutant elementa vices. adamantina forti
Caſtra jacent ſuperata manu: præcordia foſſor

Ipſa

ſa tenet: calco tumulos & buſta meorum,
Quò me cunque feram. ſi tantas, maxime rector,
Promerui pœnas, ſi parcius imbuit aras
Relligio neglecta mihi; tua fulmina ſontem
Dejiciant, Batavis quàm me ſervare triumphis
Opprobrium crudele velis. da ſecula Pyrrhæ;
Supplicio leviore fruar. num templa Deoſque
Reſpicis? æterno fumante thure penates,
Mitratumq́ue patrem, ſacræ tot nomina turbæ,
Veſtalesq́ue tuas? num tot mihi culta per annos
Migrabit veneranda Fides? mandataq́ue magni
Præſulis, & Romæ potero dediſcere leges?
Hoc debes mihi Breda mali; vindictaque de me
Clade tua petitur. Patrem quoque funere noſtro
Expiat Auriacus. longi diſpendia belli
Sera luam, clarisq́ue accedam fortè trophæis
Vltima. Quàm memini, me, cum tentoria figi
Adſpicerem, & poſitis hoſtes conſiſtere ſignis,
Illuſiſſe Duci! Turres attollite, dixi,
Immenſos ſiccate lacus, advolvite ſylvas,
Siſtite præcipites fluvios. imponitis Oſſæ
Pelion, excelſam manibus reſcinditis æthram
Incaſſum. cunctos obices & vincula rumpam.
Mille patent nobis aditus. penetrabimus illac,
Aut illac. dabitur meliori pervia cauſæ
Semita, nec vili ſuccumbam Martia ſulco.
Iam Phaëthontæis dicebam Belgica curis
Regna regi, & ſtolidæ committi frena juventæ.
Nunc & Aloidas geminos ſuper aſtra negatas
Affectare vias: bimari nunc ludere in Iſthmo
Romulidas. cœco raptari turbine, quiſquis
Adſpiret Sylvæ ſpoliis. regalibus ibam
Altior auxiliis. ſuffulta potentia ſceptris,
Et gemini Titanis opes, Iſterq́ue Taguſque,
Scaldis, & armatis veniens Germania caſtris,
Subdiderant animo ſtimulos. nunc omnia retrò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Verſa ruunt; veniamque ſimul vitamque precari
Cogor, & inviſæ faſces ſubmittere terræ.
Heu, dedi jam Sylva potes, jam fracta fatiſcis,
Hactenus inconcuſſa cadis. flos ille potentis
Occidis Europæ, & victam te Marte fateris.
Attamen eſt aliquid, quod te non degener hoſtis
Occupat. illa tuis reſtant ſolatia fatis.
Si cadis, Auriaci dextrâ cadis. inde, reflexis
Ad victorem oculis, infit: Cape, maxime Princeps.
Imperii nova jura mei, atque extorta Philippo
Mœnia Belgarum cunctis præpone triumphis.
His dictis ſiluere tubæ, pugnæque reſedit
Impetus, & poſitis Mavors deſæviit armis.
Verticibus recidunt galeæ, clypeique lacertis;
Haſta jacet, laxant lætæ thoraca catenæ;
Non ultra adverſis cervicibus imminet enſis,
Sæva vel oppoſitos lacerat catapulta penates.
Caſtra vacant, vetereſque abſcedunt partibus iræ.
Iam quater æſtivum Phœbe reparaverat orbem,
Radebantque cavas Titania lumina Lances:
Cum leges manſueta capit, Batavoque coactum
Subdit Sylva caput. feſſo lux prævia Marti,
Laurigeroſque ciens felix Aurora jugales,
Ingentem nobis conſummavere laborem.
Panduntur portæ, Dominiſque Potentibus arces
Naſſovioque patent. miſcet clementia dextras,
Et ſimulatus amor. torquet ſua gaudia civis,
Dum dolet, & plauſus contraria vota ſequuntur.
Spectatrix venere cohors, & læta juventus,
Tardigradique ſenes arvis ac mœnibus adſunt
Vndique. commendant etiam jam bella puellæ,
Et graditur per tela Venus, ſtudiiſque fatetur
Diſparibus ſua bella geri. non littora quondam
Iſthmia, non tantis fremuit concurſibus Elis,
Cum celeres Hieronis equos, curruſque ſtuperet
Græcia, victriceſque rotas agnoſceret Argos.
Omnibus

Omnibus idem ardor, longo qui tramite currunt,
Gramineos calcare foros, ſinuataque vivo
Ceſpite metiri ſpatia. hic in milite vultus
Intrepidos greſſumque notat. probat ille ſuperbæ
Molis opus. vaſtos alii mirantur hiatus
Murorum, noſtrique juvant ſpectacula belli.
O quam lætus adeſt, qui nunc illuſtrior exit
Gentibus, & victor populus quem cõſecrat annus.
Quamvis Auriacas ſemper comitata ſecures
Laurea bellatrix fuerit, totieſque triumphos
Et domitas urbes clypeis inſcripſerit æſtas;
Hic tamen antè omnes toti fulgentior orbi
Emicat, & victâ præfert ſua tempora Sylvâ.
Ad facinus Mars ipſe ſtupet, nec viribus ultrà
Invictum quicquam eſſe dolet. nunc pervia ferro
Sidera, nunc ipſos Superûm nutare penates,
Securumque nihil Belga pugnante fatetur.
Fortius haud unquam, nunquam violentius itum
In latus Heſperiæ, ſimili nec clade ferocem
Fregimus Auroræ dominum. fortuna labori
Annuit, ingenio robur, fiducia cœpto. (mat
Quàm Superis, FREDERICE, places. tibi ſidera for-
Iuppiter, & totus facilem ſe accommodat æther.
Quàm populis, HENRICE, places. æraria cives
Pandimus unanimes. tibi, fortia nomina, Belgæ
In lintres fregere nemus. tibi mille ruebant
Per fluvios plenæ cuneis & frondibus alni.
Submerſæ ſedere rates, per ſtagna, per undas
Ivimus impavidi. confudimus æquora terris,
Terraſque æquoribus. Tu, Ductor magne, ſecundis
Conficis auſpiciis bellum, gladioque coërces
Luxuriem fati. patriis virtutibus addis
Plus audacem animum. Fratris ſucceſſibus olim
Clarus eras, nunc ipſe tuis; & ſanguine parta
Crebra paludatos ambit tibi laurea faſces.
Quod gaudent Batavi, Batavis quod ſecula currant

Aurea, vicinum Vahalis quod neſcit Iberum,
Noſtra quod imbellem miretur Belgica Moſam,
Debet quiſque tibi. dubiis formidine rebus
Incœptum damnare caves. conſtantia caſum
Riſit, & ancipitem ſprevit prudentia luſum.
Vincere num Bredam tanti eſt? ibi tempora longas
Traxerunt dilata hyemes: hîc vincere brumâ
Vinci penè fuit. partas ibi ceſpite grandi
Impenſa mutamus opes. non ſtagna lacuſque
Circumfuſa nocent Liguri. non viribus ullis
Vicit, at imbelles jugulos ingloria fregit
Supplicio, non Marte, fames. Tu foſſor in undis
Munimenta locas, immaniq́ue aggere fluctus,
Neptunumque domas. Tu totos abluis agros
Æolus; & ventos tempeſtateſque ſecundas
Ad tua juſſa vocas. idem Tu miles in enſem
Inſurgis; ſubigiſque trucis Mavortia Sylvæ
Robora, dum plenas indulgent horrea meſſes.
Certavere diu Superi, quis vinceret illam.
Certavere Duces: donec decreta Deorum
Excipis, & cœli dirimis certamina victor.
Sæpius Alciden ſtupui, ſeu ſtringeret angues
Trux puer, aut ſævi laſſaret terga juvenci:
Sive Cleonæi diſcerperet ora leonis,
Subderet Antæum lucta, Stymphalidas arcu.
Plura tuæ potuere manus. plus proderit orbi
Brabantûm domitor. ſoli gravis hydra paludi
Vixit, in Arcadiæ partem vaſtator abibat
Sævus aper, crudi Thracas Diomedis imago
Terruit. hæ multis nocuerunt ſedibus arces,
Vna nec hoc monſtrum vallis, non una pavebat
Inſula. per Batavos vicinaque rura Sicambrûm
Ibat, & adverſas lacerabat dente Salinas.
Merſit Scylla rates. ſed & hoc: armata Chimæræ
Ignibus ira fuit; vomuêre incendia Sylvæ.
Bellerophon tu noſter ades. tu denſa rotantem

[B]rachia Geryonem, raptoriſque atria Caci,
[A]trantemque domas, victis cuſtodibus, aulam.
[E]t gradibus fortuna ſuis. præludia famæ
[G]rolla dedit, dites vexerunt nomina gazæ
[L]atiùs, admovit grandis Veſalia cœlo,
Vltima pugnantem virtus permiſcuit aſtris.
Macte novis, Princeps, titulis. En ardua pennis
Ipſa tuos circumvolitat Victoria currus.
Frena tenet Mavors, agileſque in prælia lentè
Ducit equos. circum galeas diſponit, & enſes,
Scutaque, ſanguineaſque levans Bellona macheras.
Dextrum Cura latus, lævum Prudentia claudit.
Stat Labor, attritoſque gerit poſt terga ligones.
At Timor, & validis Formido innexa catenis
Ponè ſubit, laceratque ſuos crudelius artus
Livor, & inſanum furiis diſcerpit Iberum.
Vna ſalutantum vox eſt. confundimus omnes
Vota renaſcentis patriæ. clamoribus urbes,
Compita, rura ſonant. ſtudiis concordibus aulæ,
Curia, templa favent. victo ſic clarus ab Indo
Thyrſigeris rediit ſubvectus Lyncibus Evan,
Et debellato domitor Tirynthius orbe.
Sic Latium, ſic Roma ſuis ſpectabilis olim
Occurrit Ducibus, tunc cum Capitolia Paulus
Scanderet, & vinctum ſpectaret roſtra Iugurtham.
Adſpicis, ut belli Proceres, & in ære micantes
Adſultent te circum equites? petulanſque ſuperbis
Paſſibus incedat ſonipes? crebroque peractum
Hinnitu teſtetur opus? Tibi concrepat arma
Miles, & in luſus bellorum ſeria vertit.
Ordine diſcurrit, vibrantur cominus haſtæ,
Nunc ſtat tota phalãx, geminis nunc ſciſſa catervis
Obvia procedit. fugiunt, iterumque reflexo
Agmine reſtaurant pugnam. pars altera victrix
Militat Auriaco, pars hæc mentitur Iberum.
Eſt, ubi in excelſis picturatiſque columnis

Carmina ſuſpendant vates: ubi picta Leonis
Adſpectes Batavi clauſo pomœria ſepto.
Ille coruſcantes adſtricto faſce ſagittas
Vngue tenet, Bredæque novis admurmurat iris,
Et pavidam caudæ perſtringit verbere Lingam.
Floribus ornantur Satyri, Faunique bicornes
Exiliunt, nectit feſtas Galatea coronas,
Victoremque rudi ſequitur modulamine Phyllis.
Quæ clypeos nuper calcatis ſumſerat agris,
Triptolemo ridente, Ceres, jam priſtina rurſus
Rura colit, gladioſque ſuis occultat aratris.
At procul æquoreis pugnans Neptunus in undis,
Acrior ad famam, tranſtris hoſtilibus inſtat,
Atque omnes Tritona jubet deferre per oras:
Ire per Heſperium pelagus, terroribus aulam,
Et Siculos implere Deos: narrare potenti
Borbonio, Tameſiſque patri: mox longius actum
Ire per Ionios fluctus, ubi militat acer
Adria, & Auſonii librat diſcrimina belli.
Ivit & Arctoum qui nuncia ferret in orbem,
Qui fractum erigeret Cimbrum, Sueonumq; tiaras,
Et lætis Gothicum recrearet vocibus oſtrum.
Fortunate Ducum, magni, FREDERICE, parentis
Gloria, cui titulos frater tranſcripſit, & enſes,
Indue te patriæ meritis, lauroſque triumphans
Continua. placidam Libertas aurea frontem
Explicet: Vnanimes ſociet concordia terras,
Te monſtrante viam: faciles dent roſtra ſecures:
Sit fœcunda domus: patrios exſurgat in auſus
Filius, & teneri cupiant è caſſide vultus
Adſpectare tuæ bellacia mœnia Sylvæ.

EPI-

EPISTOLA AMELIÆ
Ad
FREDERICVM HENRICVM, *maritum, audacius ſub ipſis* SILVÆ-DVCIS *mœnibus militantem.*

SI vacat, & nullus circum tentoria miles
Barbaricis inflat claſſica rauca ſonis:
Nec medios inter cuneos foſſaſq; globoſq;
Efferus, & multa cæde cruentus ovas:
Has lege ſollicitæ, mihi fas ita ſcribere, voces
Conjugis, Ameliæ triſtia verba tuæ.
Arma, jube, ſileant. nec dum tibi noſtra leguntur,
Verberet obſeſſas machina ſæva domos.
Ipſa, puerque tuus, blandiſſima nomina, pugnæ
Fortè brevem poterunt promeruiſſe moram.
Hæc ego dum ſcribo, tabulis dum littera currit,
Vagiit ad motam parva Loyſa manum.
Auriacusque, tua recubans in parte cubilis,
Invocat, abſentem quem videt eſſe, patrem.
Et nunc ille meis, nunc hærens illa lacertis,
Multa ferunt matri baſia, nulla tibi.
Adſpice, quam primâ numeras diſtare ſecundam,
Linea ſtat fœdâ commaculata notâ.
Hîc mihi ſcribenti ſubito puer impete truſit
Audacis tremulam patris amore manum.
Quas tamen adſperſas tabulæ circumſpicis undas,
Flumina ſunt oculis præcipitata meis.
His tibi, magne Ducum, lacrymis, hoc rore litamus,
Hæc ſunt militiæ præmia miſſa tuæ.
Segnior his forſan medios aſperſus in hoſtes
Ibis, & impavidum negliget arma caput.
Quò Frederice ruis? jam te per tela, per enſes
Audio vicino mœnibus ire gradu.

Tot-

Totque inter caſus, dubiique pericula Martis,
Hoſtica nocturno tangere caſtra pede.
Si tibi conjugii nomen venerabile, cur me
Conjuge vis, eheu, poſſe carere meo?
Si placet Ameliæ quicquam, ſi vultus & ora,
Pallidulam tanto cur facis eſſe metu?
Si tibi læta placent facilis reſponſa maritæ,
Cur cupis his ipſis me titubare malis?
Si mihi vernantis lumenque decorque juventæ eſt,
Deſine ſic rugas accelerare meas.
Squallida jam luces, jam ſquallida tranſigo noctes,
Duraque ſum, dum tu dura vir arma geris.
Non mihi cæſaries compta eſt, velut antè ſolebat,
Ordinibuſque nitet vitta decora ſuis.
Non ſaturata placet Tyrio mihi murice palla,
Quæque meos decorat fimbria pulchra ſinus.
Omnia negligimus, veſtes, famulasque domumq;.
Dumque tui cura eſt maxima, nulla mei eſt.
Conveniunt matres, &, dum tibi militat æther,
Illuſtri cupiunt corpora veſte tegi.
Scilicet ingrediar medias ſecura per urbes,
Pro patriâ pernox tu fera bella geras?
Et mea fulgentes decorabunt tempora gemmæ?
Dum tua bellatrix tempora caſſis habet?
Vel manus iſta comam pectet? tua diriget enſem?
Et fracto curis Principe, mollis ero?
Quin potius belli triſtes imitata labores,
Nolo nimis diſpar cultibus eſſe tibi.
Incedo diſcincta, dolens, ſine viribus uxor,
Fortè etiam, tibi dum ſcribimus, orba viro.
Nec me divitiæ, nec me decor afficit aulæ.
Hoc juvat, Auriaco conjuge poſſe frui.
Iam tibi Penelope, jam ſum, ſine conjuge, Phyllis;
Et, velut Hippolyto Phædra, miſella queror.
Increpat Oenone Paridem laſciva procacem;
Hæc mea bellacem pagina mœſta Ducem.
Expro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Exprobrat Hypſiphyle Æſonidæ, Sichæia Troiæ;
Longè aliud conjux quod tua damnet, habet.
Flebilis abſentem Hermione depoſcit Oreſtem;
Hoc quoque, ſed prohibent invida bella, velim.
Obſecrat & repetit multis Ariadna querelis
Theſea: te peterem, ni magis arma petas.
Vna tot è Danais conjux miſerata maritum eſt;
Tu, Frederice, tibi parce, miſerta mei.
Tyndaris iſta ſuos Paridem celabat amores.
Non ego. quid timeam, clamat apertus amor.
Vt caveat fluctus, Seſtos tranſcribit Abydo.
Longius abſcedas mœnibus, Haga rogat.
Dum poſſum ſuadere tibi, ſuaſiſſe juvabit.
Dumque licet, cupio conſuluiſſe viro.
Vt te non poſſum, poſſum metuenda videre.
Sæpè piæ voces conjugis omen habent.
Caſtra, duces, litui, flammæ, certamina, foſſæ,
Singula ſunt damnis verba tremenda ſuis.
Horret, & ingenti trepidat formidine pectus.
Nec mea ſum, cum tu deſinis eſſe tuus.
Deſinis eſſe tuus, cum Princeps bella capeſſis.
Si titulo gaudes Principis, arma jube.
Non pugnare Duces, ſed ſunt dare juſſa parati.
Militis haud partes, imperitantis habes.
Tota ſalus patriæ Ducis eſt, non militis illa eſt.
Hic leve, ſed pondus grandius alter habet.
Non unum te tela petunt, mittuntur in omnes;
Vulnere communi Dux populusq́ue cadunt.
Vulnera quæ tua ſunt, etiam ſunt illa Loyſæ,
Sunt etiam Ameliæ, Naſſoviique tui.
Quod ſi magnanimas ſuccendit gloria curas,
Non minor hæc vivi, quàm morientis erit.
Sunt juvenes bello inſignes, & fortibus armis,
Parent imperio caſtra Duceſq́ue tuo,
Audaces aptant gladios ad juſſa Britanni,
Quoſque ſuus, Galli, raptat in arma furor.

Stant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Stant coram intrepidi, Mavortia nomina, Scoti,
Stat coram impavido pectore Belga tuus.
Sunt etiam toto braccati corpore Rhæti,
Et tranſalpinis agmina miſſa jugis.
Hi tacitos ſubeant vallos, hi mœnibus inſtent.
Et formidatis ſtentque cadantque locis.
Sæpè Ducem fortuna premit, magis æqua minori;
Quoſque rapit, nulla cum ratione rapit.
Parce tibi. alterius facilis jactura ſepulchri eſt.
Rarior Auriaco nomine ductor adeſt.
Sufficiant miſeranda tuæ tot funera gentis,
Et tot Naſſoviis Belgica clara rogis.
Solvimus inferias Regi. ſat ſanguine in illo
Heſperii luimus ſubruta ſceptra ſoli.
Te patriæ ſupereſſe tuæ, ſoboliq́ue, mihique
Convenit, & ſolos progenuiſſe Duces.
Sin exempla movent, domitor Carthaginis altæ
Militis officium noluit eſſe ſuum.
Imperio decus omne ſtetit. plus militat ille,
Conſilio quiſquis provida bella gerit.
Hectoreis toties conjux cur obſtitit auſis?
Cum ferus Argolicas perderet igne rates.
Credidit hoc ſolo defenſam vindice Trojam,
Credidit hoc uno Pergama ſtare viro.
Quàm vereor, Princeps, ne, te moriente marito,
Objiciat caſus Laodameia ſuos.
Quàm velit hoc Veſper, quàm regia tota Philippi
Gaudeat, & noſtris rideat aucta malis.
Non ego Naſſovium, mox ut non eſſet, amavi,
Aut viduo peream nupta relicta thoro.
Speravi thalamos, ut conjux conjugis eſſem.
Ne, precor, has partes diſſociaſſe velis.
Quàm male bellantum ſtudiis, ſociantur amantũ,
Et pugnax ſorti laurea juncta meæ eſt.
Principis eſſe velim, non duri militis uxor.
Poſtremum hoc titulis exime, ſoſpes ero.

Nunc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Nunc metus atque altis hæret formido medullis,
Multaque dum timeo, plurima fingit amor.
Et forſan meus errat amor, patriæque nocebo
Femina, mandatis imperioſa meis.
Nil moror. unius mihi credita cura mariti eſt.
Omnia ſunt domino damna minora meo.
Quid mihi privatis urbs expugnanda periclis
Proderit? & tanto pignore victus Iber?
Si proſis aliis, uni mihi Sylva nocebis.
Non Batavus tanti, totaque Sylva mihi eſt.
Vincere te cupio, cupio plus vivere. nolim
Auriacum Deciis, Attiliiſque parem.
Scipiadem potius, potius te Neſtora vellem.
Non mihi Pelides, Priamidesque places.
Pugnavit Telamone ſatus, ſed ſuaſit Vlyſſes;
Præmia ſuadentis ſola fuere viri.
Si furit, & rutilis princeps Guſtavus in armis
Militat, & Daci tergora ponè premit:
Hic Boreæ propior, cœloque animatur & undis
Acrius, & totum poſſidet Vrſa Ducem.
Plus mites Batavi. rigida te longius Arcto,
Longius immiti ſidere Delpha dedit.
Et tuus imperiis genitor laudatur, & armis,
Bella ſed imperio rexit & arma ſuo.
En, tua tuta jacent aliis munimina vallis.
Hic eques, hic ſequitur Martia ſigna pedes.
Hic tormenta crepant, illic in viſcera terræ
Itur, & infeſtas exigit alter aquas.
Hic hæret ſtatione alius, procul excubat alter,
Hic cadit, hic hoſtem vulnerat, ille fugat.
Omnia dum fiunt, dum belli cuncta geruntur,
Sit ſatis, hoc nutu Principis omne geri.
Quæ vincunt alii, tua ſunt. tu mœnia victor
Subruis, & tantum conficis autor opus.
Tu ruis in jugulos abſens, tu tota revellis
Flumina, tu juſſis ſtagna lacuſque domas.

Omnia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Omnia debemus capiti. Tu deſine cœcas,
  Hæc lachrymans ſcribo, ductor inire vias,
Aut ego, quod ſolum ſupereſt, per tela, per ignes,
  Caſtra per, & cuneos irrequieta ferar.
Inſequar Auriacum. nec tunc procul ire vetabo.
  Si volet, ipſa inter tela, licebit, eat.
Tunc moriar, qua ſede meus morietur, & hoſtis
  Munus erit, poſt te, me feriiſſe ſimul.
Forſan & ex uno geminos ſuccumbere telo,
  Gratia fortunæ vel rationis erit.
Vna thori facies, una eſt concordia, tandem
  Fata velint uno nos periiſſe modo.

ORATIO
Tribunorum in caſtris,
Ad
PRINCIPEM AVRIACVM.

Vide Orationem Crateri ad Alexandrum Magnum, quæ exſtat apud Curtium lib. 9.

CRediſne, Princeps fortiſſime, adventu magis hoſtium, ut jam in vallo conſiſterent, caſtris adſultarent, quam cura ſalutis tuæ, ut nunc eſt tibi vilis, nos eſſe ſollicitos? Quantalibet vis omnium gentium conſpiret in nos, impleat armis viriſque Brabantiam omnem, Cæſareanas aquilas inducat, Tillios, Walſteynioſque crepet, tu nos vivus incolumiſque præſtabis invictos. Sed quis hoc Federati Belgii columen ac ſidus diuturnum fore polliceri poteſt? cum tam avidè manifeſtis periculis corpus tuum offeras, oblitus tot militum civiumque animas trahere te in caſum. Quis enim tibi

perſtes aut optat eſſe, aut poteſt? Eò pervenimus, ſpicium atque imperium tuum ſecuti, unde, niſi te lvo, nulli lætum ad penates ſuos iter eſt. Quod ſi de iſpaniæ, totiuſque Orientis & Occidentis regno cum hilippo dimicares, etſi nemo vellet: tamen ne admiari quidem poſſet, tam promptæ eſſe te ad omne diſimen audaciæ. Nam ubi paria ſunt, periculum ac æmium, & ſecundis rebus amplior fructus eſt, & dverſis majus ſolatium. Tuo verò capite urbem ilum, licet maximi alias momenti, redimi, quis ferat, on tuorum modò militum, ſed ullius etiam gentis ciæ, qui quid in republica noſtra validum ſit, quid grum, novit? Horrent animi cogitatione rerum, uas videmus indies, dum intra telorum hoſtilium actus, foſſas cuniculoſque intrepidus ſubis. Eloqui imemus. inertiſſimus quiſque jam de corporis tui bolio triumphaſſet, niſi te hactenus miſericors in nos Deus ſervaſſet. Totidem proditores, totidem deſertores credemur aliis, quot te aut retinere in tentoriis, ut in foſſis perſequi, tueri, ac ſecurum præſtare non poſſumus. Vniverſos milites ignominiâ notas, quaſi officii ſui parum memores, ſine te exequi mandata nollent. Temetipſum conſiliis imperiiſque ſerva. Non militis partes, ſed Imperatoris habes. Scipionis illud cogita: Mater Imperatorem me, non militem genuit. Adeſſe rebus debes, ſed citra ſummæ rei diſcrimen: vires roburque inſpirare militi, at cum locorum delectu: prælia voce conſilioque moderari, ſed dubiis præliorum eximi. In milite unius ſors eſt, in Duce univerſorum periculum. Minores curas minoribus ducibus manda. Non ſtamus in acie, non ſtatus imperii aut ſalus provinciarum in ferri cuſpide poſita eſt. Vallis hoſtem aggeribuſque arcemus. Legimus, & jam juvat meminiſſe, cautos cunctanteſque duces laudari, nullo loco, niſi quantum neceſſitas cogat, commiſſuros ſe fortunæ. Et ſummus ille civilis prudentia

dentiæ magiſter reprehendit Imperatorē contemnēdis, quam cavendis hoſtibus, meliorem. Sine timidum pro cauto, tardum pro conſiderato, imbellē pro perito belli vocent. Non hoſtium, non malevolorum hic audiendæ voces. Clamat reſpublica, clamat exercitus, clamant boni juxta ac prudentes, omnium in te ſalutem verti. Magna cœpta conſilium & mora perficiet. eludet unico momento, infelix ſæpè, audacia, & nimis curioſa ſollicitudo. Tuo caſu animus hoſtibus accreſcet, & fiduciam illis liberandæ urbis mortuus facies, quam vivus habere non ſinis. In expectatione tanti operis univerſus orbis eſt. Aliorum admiratio, aliorum indignatio, aliorum alibi ſtudium eminet. Videntur fata obſeſſam urbem damnaſſe, ſed videntur tantum. Cave, ne decreta ſua vertant in nos. Sunt in procinctu hoſtes: inſtant vallis caſtriſq;, in omnes occaſiones intenti, ut laboranti urbi ſuccurrant. Proſpiciendum, ne quod à ſuis virtutibus ſe conſecuturos deſperant, tibi imputent. Ad gloriam contendentibus viam ſternit prudentia & ratio, non impetus. Fama providentiæ in magnis auſis valida eſt, in obſidionibus validiſſima. Et parta & ſperata decora ex tua pendent incolumitate. Quod ſi victorias numerare vis, annos numeres oportet. Rebus præclarè geſtis ſupereſſe glorioſius, quam iis immori. Mortuos fama lambit, vivos afficit. Stant & pugnant in theatro orbis principes, ſed & in eodem peccant. & cum virtutibus conſpectius quoque eſt, quicquid in iis minus laudabile. Ex te, velut è capite membra, ſpiritus animoſq; capimus. Tu virtutis ignaviæq; tuorum ſpectator es & vindex. Pudet ſingulos te occupato otiari & ſegneſcere. In oculis tuis vulnerari & mori glorioſum quiſque putat. Te coram nec dolorem ſentiunt, nec mortem extimeſcunt. Vrget præſentia Turni. *Si monere noſtrum non eſt, monemus tamen, ne, quam vellemus, citius imperare nobis deſinas.*

Attendit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Attendit ad Patroclum ſuum Achilles, Achatem Aeneas. & ne fabuloſa ſolum loquar, attendit ad Narſetis ac Belizarii ſalubria monita Iuſtinianus. Quæ effecta voles, nobis impera, non tibi. quocunque juſſeris, ibimus. Infeſta loca, fatales pugnas nobis depoſcimus. quos ſi extinxerit Mavors, habes, quibus bellum reſtaures. Imperantium uti magna eſt paucitas, ita novitas nocet, & regimen nullum aut incertum ſecuritatem publicam labefactat. Pericula cave, hoſtium mœnibus abſcede, foßis exi, ubi deſcenſus Averni facilis, ſed gradum revocare difficile. Non prandendum tibi, tanquam apud inferos cœnaturo, non cœnandum, ut mox efferaris. Militibus hoc dixit Leonidas, non belli duci. Et nihil profectò indignius, quàm cum tuos afflixeris, hoſtibus gaudii cauſas propinaſſe.

EPIGRAMMA.

Silva-Ducis loquitur.

ME victam quicunque videt, miretur in hiſce
Mœnibus Auſtriacos occubuiſſe duces:
Et paſſas violenta Deas, Thetynque Palemque:
Fluminaque adſtrictis obriguiſſe vadis.
Miretur totas Batavum abſorpſiſſe paludes,
Caſtraque præcelſis tot poſuiſſe jugis.
Qualia nec grandes quondam ſtupuere Platææ,
Victaque ſub Lybico Byrſa ſuperba mari.
Hoc quoque miretur, magni nil Cæſaris arma,
Et Regum pro me nil potuiſſe manus.
Belgica Tarpeio ſi pridem *Roma* Tonanti
Nuncupor, en, titulo ſplendidiore cado.
Hoc mirere magis: vicit jam *Belgica Romam*,
Et ter mitratum terra puſilla Patrem.

TRIUM-

TRIVMPHVS
Super
CAPTA OLINDA,
Pernambuci urbe, Braſiliæ Metropoli.

INvenit ſpes noſtra viam. patuere Philippi
Imperia, Heſperidumq; domus;& Veſpere ab ipſo
Affulſit Batavis lux optatiſſima terris:
Quaque cadunt rutilique ruunt Hyperionis ignes,
Belgarum ſe tollit honos. Ah, ipſa laborat
Gloria. non unus nobis quoque ſufficit orbis,
Quærimus audaces alium. confundere mundos,
Et procul adverſo diviſos cardine Soles
Pars mundi tantilla poteſt. nos vincimus ipſi,
Et cauſis majora damus, famamque fidemque
Tranſcendit noſtrum facinus. tu cœpta parentum
Succeſſuſque patrum veniens miraberis ætas.
Necdum etenim furor Heſperiæ,ſævique dolores,
Et debellatæ magnis ululatibus urbes,
Inſonteſque rogi Procerum, flammæque piorum
Exciderant animis. iſtis ex oſſibus ultor
Naſcitur, & ſeros acuit vindicta nepotes.
Concutitur fortuna Tagi, convellimus arces,
Vincimus indomitas urbes, ſpoliavimus æquor,
Regales partimur opes, abradimus uſque
Auſtriaci titulis aliquid, ſequimurque potentem,
Quà præit, Auroræ dominum. ſi terreat Ortum,
Et ſua longinquis figat vexilla Moluccis;
Regnamus juxtà ſocii, medioque natamus
Oceano, jactatque ſuum Battavia nomen,
Et bellum Ternata gerit. Si Sole peruſtus
Afer, & in Libycas Nigris ſpatiatus arenas
Littoraque & populos victori cedit Ibero:
Imus in adverſum ratibus victricibus hoſtem,

Car-

Carbaſaque hac ipsâ defigimus invida glebâ,
Et commune ſolum nobis, commune profundum
Credimus, & paribus mercamur finibus aurum.
Quà Perſas Arabaſque domat, calidoque ſub axe
Fervida Erythræis dominatur fluctibus Ormus,
Objicit arma furor, totoque occurrimus Indo.
Sin ſatur Europæ Princeps, Aſiæque potentis
Ebrius imperio rector PLVS cogitat ULTRA,
Occiduoque infert aquilas & nomina mundo:
Ponè ſubit Boreæ populus, tranquillaque ſulcans
Æquora pacificis etiam bellatur in undis;
Aut inventa ſecat freta, vel vicinius Auſtro
Invenit, aut noſtris Chilen ardere favillis
Adſpicit, aut celſæ trepidare palatia Limæ,
Proregumque domos, timidique abſtruſa metalli
Viſcera, & immenſis turbari Mexica damnis.
Laxat regna ſitis lucri. ſpe militat iſtâ
Quilibet. utilitas fines metitur honeſti.
Quaque datur, Batavæ Mavortia pectora pubis
Sternunt enſe viam. certant fortuna, laborque,
Alternantque ſuas ratio atque audacia partes.
Nunc belli rabies, nunc eſt prudentia laudi,
Nunc malè compoſitos auſus ſors ipſa ſecundat.
Nunc nocet Oceano Nereus, nunc Æolus Auſtris
Aſperat infeſtas hiemes, claſſeſque moratur.
Morbida jam fluidas vexant contagia turres,
Et languent ſquallore Duces, irataque membris
Ignavas virtus queritur vileſcere dextras,
Nec Marti conſtare viros. per denſa malorum
Agmina, per varios caſus, per ſaxa, per undas
Scrutamur, qua parte nocens mortalibus aurum
Pullulet, & dites deſignet fama receſſus,
Ac ſcelerum prudens abdat fomenta Creator.
En Tarteſſiaci majeſtas fulgida ſceptri,
Et Siculus ſubſidit apex. diſpendia rurſum
Et clades Olyſippo ſuas, damnataque fato

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Occaſum Caſtella dolet. poſt ſubruta Sylvæ
Mœnia, & attoniti tot propugnacula Rheni,
Externo Mars orbe furit. nec terra, nec æquor
Otia dant, Rex magne, tibi. devovimus omne
Terrarum pugnis ſpatium, cunctiſque paramus
Prælia ſideribus. ſpecta, ſtant littore toto
Carbaſa Belgarum, & peregrinas mordet arenas
Anchora. Naſſovias exponunt panda cohortes
Corpora, bellaceſque viros penetralibus edunt
Diſtentæ caſtris alni. ſic ultima mundi
Diſcant Auriacas admittere regna ſecures.
Et jam Moſa pater, jam nunc vetus accola Rheni
Barbaricos potant fluvios, & divite portu
Braſiliæ fixere rates. bellator OLINDAM
Belga tenet, geminaſque rapit pavitantibus arces.
Pugnant Arctoæ Phœbo ſpectante phalanges,
Flumina Hyperboreas vectant ferventia lintres,
Inſuetos fugit unda viros, & ſanguine noſtro
Fumantes tinguntur aquæ. ferale cadaver
Ignota procumbit humo. novus advena, quâ vix
Conſtiterat, tellure jacet. quin rupibus altis
Stans aliquis, vultus alios agnoſcit & ora,
Miraturque ſuis Batavos conſidere terris,
Et ſtreperis patrium lituis intendere carmen.
Adſtant indigetes, & ſi quos terra recepit,
Vel dedit ipſa, Duces. horrent appellere puppes,
Adventare acies pelago, tormenta parari,
Torvaque Arauſiacis impleri tympana bombis,
Et ferro nova regna peti. Nos Sole ſub ipſo
Cernimus ardentem capiti Phaëthonta minari,
Verticibuſque inſtare rotas. miramur, ut æquis
Penè ſecet cum nocte diem Latonius horis,
Nec ſeptemgemini ſurgant de more Triones.
Nunc umbras nemorum rectas, nunc ire ſiniſtras
Adſpicimus, tepidaſque hiemes, bis jugiter annum
Meſſe coronari. monſtrat Neptunia proles
Nun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

unquam viſa prius mutari ſidera cœli.
huribulumq́ue notat, Grajæque apluſtria puppis,
que ſuis variè ſinuoſum partibus Hydrum.
Huc poſtquam oppoſitis claſſem flexiſſet ab Afris
ector, & ignavum ſuperaſſet puppibus æquor,
œnia conſpiciens tantis ſervata triumphis,
d ſocios tali fertur mox voce locutus:
O ſocii, ſeu me partes rectoris habere,
u vobis comitem cupitis, quacunque paratus
ege adſum. bellum paribus commune periclis
ggrediar; patiarq́ue meis, diſcrimine nullo,
ſe quoque ſignari monitis. quam cernitis urbem,
redite materiam laudis, famæq́ue perennis
rgumenta dari. noſtris hæc Pergama dextris
xpugnanda manent. hæc mecum mœnia læti
candite, nec tantis deſit fiducia cœptis.
Hoc nuper ſtetimus mundo, cum turgida gazas
vomeret Matança ſuas, cum territus Aſtur
Argenti vacuas Cubæ de littore puppes
Cerneret, & totos vectaret Belgica montes.
Hîc malè ſervatam nuper poſſedimus urbem,
Hoc arſere rates pelago. præmiſſa futuri
Dant exempla fidem. quiſquis contemſerit hoſtem,
iam viciſſe putet. quondam Mileſia fortes
Terra tulit. fuerit toties Hiſpania victrix,
iam timet, &, quod cuſtodit, ſtat concolor auro.
Succeſſus ſi fata negant, hæc terra ſepulchrum
Præbebit tumuloſque viris, vel corpora Triton
Littoreis ſubducet aquis. remeare negatum
Ad veteres Belgî fines. hîc vivere victos
Prô pudor, hîc ſervire genus miſerabile pœnæ.
Si fugitis, negat unda fugam: ſi montibus abdi
Et nemorum cupitis latebris, his barbarus antris
Iſte latet, vivo diſtendens viſcera paſtu.
Nec patitur res noſtra moram, per ſingula lethum
Impendet momenta. duces excitaque cunctis
Latè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Latè ſigna locis aderunt, afflataque pauci
Præſcribunt alimenta dies. ſi bella nequibunt,
Vincet fœda fames miſeros. non horrea nobis,
Aut fera Eleuſinas collegit America meſſes.
Deſerimur terrâ, pelago. ſpes omnis in armis,
Et virtus ſua quemque manet. quì fortiter hoſtem,
Securus feriet. morti vicinior omnis,
Qui timet, & lethi cauſas formido miniſtrat.
Hîc domus, hic cũctis patria eſt. quos ſtruxit Iberus,
Tranſcribet brevis hora lares. victoria juſtis
Nuncupat hæredem titulis. quæ ſurripit hoſti,
Præmia juſta putat. non hoc raptoris iniqui;
Militis officium eſt. veteres migrare colonos
Bellonæ lex priſca fuit. fecere Quirites,
Et clarum genus Æneadum. mihi cana ſenectus
Quamvis tela neget validis torquere lacertis,
Primus iter pedes ingrediar. cum dextra fatiſcet,
Pugnabo monitis. O quantæ Iuppiter urbis
Hoc libras momenta die. ſi numina proſint,
Hac fati modus in dextra eſt. Sic Ductor euntes
Incitat, & colles ultrà progreſſus & amnem,
Iſta iterat, patriæque decus, preciumque laboris,
Spem Batavûm miſcet dictis. cum nulla furentem
Vis tenuit populum, tantoque à principe quiſque
Incaluit, ſumſitque animos. Non ſaxa retardant,
Non fluvii. cedunt cuneis fugientibus hoſtes,
Vincuntur delubra manu, furor efferus inſtat,
Vrbs capitur, ceduntque altæ pugnantibus arces.
Non aliter quàm cum cœco rex Æolus antro
Luctantes ventos tempeſtateſque relaxat
Iuſſibus, & clauſos tenebroſo carcere fratres
Solvit, & Ionio patitur ſævire profundo.
Illi indignantes, quæ ſors dedit obvia, ſaxis
Impingunt rabiem, fluctus ad ſidera tollunt,
Tenſaque perculſis diſcerpunt lintea nautis.
At contrà furiis immanibus invidus ardor
Occupat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Occupat obſeſſam Heſperiam. victoribus urbem
Dum nequit, eripuit prædam, fœtosque penates
Mercibus; & propriis damnans congeſta favillis
Scrinia, vota Tagi noſtrûmque intercipit amens
Livor, & iratis donat ſua munera flammis.
Ergò iterum extremis lauros ſuſpendimus oris;
Rurſus ovans alibi Belga eſt, & diſſita longe
Imperia ignoto victor ſibi vendicat orbe.
Cœlum aliud Solemque videt; Zonæque rubentis
Hoſpes agit peregrè; & quà flammea dividit axem
Linea, cum magno partitur regna Philippo.
Si propius noceant Morini, ratibusque minentur;
Et nobis Duynkerka patet: regalis OLINDA
Occiduum vaſta mundum prædabitur orâ;
Claſſibus inſtabit Siculi rectoris, & auro.
Hæc raptas ſervabit opes. hæc regia claris
Diteſcet regum ſpoliis. hæc altera ſurget
Carthago, Heſperiam contrà & Tarteſſia longe
Oſtia. Naſſovios currus & Principis arma
Hic metuet veſanus Iber. Iamque oppida Sanctis
Nominibus devota rapi, tot flumina ſubdi
Auguror, & pavidis Platam palleſcere ripis,
Compeſci caſtris Ienerum, ſervire Maragnon,
Patagonumque domos, & crudo barbara victu
Corpora civili ſenſim manſueſcere cultu,
Annuaque excelſis extundi ſacchara cannis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

CASPARIS BARLÆI

HEROICORVM

LIB. III,

Varii argumenti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

VENVS BATAVA,

Sive in nuptias

Nobiliſsimi & Generoſi Domini,

IOANNIS à MATHENESSE,

D. MATHENESSAE, &c.

ET

Nobiliſsimæ Virginis ac Dominæ,

VVILHELMINÆ IVDITH PIECK,

EPITHALAMIVM.

Viderat intrepido ſtipatum milite Martem
Heſperios terrere Deos, iterumque cieri
Bella Venus: toto diffundi carbaſa Rheno,
Turrigeraſque rates, & bellatricia roſtra,
In Ligurum directa ducem. Si conjugis, inquit,
Arma mei placuiſſe queunt; nec claſſica Belgas,
Tympanaque audaces terrent horrentia Catthos,
Si fervet Mavortis opus, ſi fama paratur
Cædibus, & crudo naſcentes ſanguine lauri:
Me credat quoque terra Deam, nec languida nobis
Otia & ignavas objectent ſecla ſagittas.
Sunt arcus pharetræque mihi, ſunt tela, faceſque,
Queis noſter quoq; pugnat Amor, queis mite puellæ
Ingenium, & victæ ſubmittunt colla cohortes,
Succumbit ſoror ipſa Iovis. dum prælia ſurgunt,
Et Venerem ſua bella manent, dum ſævit in arces,
Et veſana ſuos repetit Bellona furores,
In Batavis Citherea furit, perituraque bello
Nomina & ingentes reparant mea baſia clades.
Occidat hîc aliquis Telamon, mihi naſcitur alter:
Si perit Automedon, redeunt vitalia per me
Pignora: ſi rapitur diſcerptus curribus Hector,
Aſtyanacta dabo: ſurgit pro Memnone proles
Altera: tercentum Fabiis pereuntibus, unus

Vagiit in cunis noſtris conatibus ultor.
Quod Batavi vicere, meum eſt: me credite Bætim
Et Gangem ſpoliaſſe manu: mihi ſubditur Indus;
Nec ſine me rutilum diſtringat Martia ferrum
Dextera, nec duros ad pugnam armabit alumnos
Odryſius, bellique duces. mihi gignitur uni
In thalamis bellator homo: mihi corda manuſque
Et celeres pugnare pedes, mihi maſcula primùm
Formatur natura virûm: lectique duello
Mars ingens orditur opus, noſtroque labori
Auſpicium, atque ſui debet certaminis ortum.
Dixerat: & veteres alis ſubvecta Sicambros
Diva petit: niveæ cingebant tempora vittæ,
Pallaque diſcincto corpus velabat amictu,
Purpureis intexta roſis: ſpirabat odores
Ceſtus, Erythræo fragrabant murice plantæ,
Collaque Hydaſpeis fulgebant candida gemmis,
Vt poſſes noviſſe Deam. certiſſima cœli
Majeſtas documenta dabat, Superûmque notari
Et decor & facies poterant. hoc pronuba cultu
Dardaniam Spartæ, Seſton ſociavit Abydo,
Scyria magnanimum virgo pellexit Achillem,
Victaque ſuccubuit Pholoë. quaſcunque volatu
Tranſiit aut terras aut flumina, Cypridis æſtu
Incaluere feræ, gelidiſque accenſa ſub undis
Agmina ſenſerunt Venerem. complexibus ulmi
Arctius impliciti molles hæſere corymbi,
Arboribuſque hederæ. frondes genialis opacas
Explicuit platanus, lauroque interſita myrtus,
Palmaque vicinæ porrexit brachia palmæ.
Quodlibet arſit amans, proprioſq; Erycina furores
Omnibus impartita fuit. non oſcula conchæ,
Non ſua laſcivus neglexit murmura turtur,
Aligerumque genus. ſic totus amoribus æther
Ferbuit, & poterat ſolo natura renaſci
Afflatu propiore Deæ. Sed Geldrica poſtquam
Imperia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Imperia & celſæ tetigit confinia Buræ,
Hîc bellis fomenta meis, dignamque furori
Materiam quæramus, ait. Gens una Sicambrûm
Auriacum Veneremque ſimul ſua ſtringere tela
Adſpiciat, bellumq; ſequi. chorus omnis Amorum
Advolat, & manibus teneras ſtrinxere ſagittas
Circumfuſa cohors. Iamq; omnia limina luſtrant
Semideûm, Procerumque domos; quæ mollia flecti
Pectora, quæque gravem virgo ejuravit amorem;
Quæ dubias ſuſpenſa faces in corde volutans,
Quod ſperet, damnare queat; fugiatq; quod optet;
Et nolit, quod amaſſe velit; quæ ſaucia cæcum
Vulnus alat venis, & quos preſenſerat ignes,
Maſcula diſſimulet. Cunctas venerabilis inter
Pieckia cælitibus placuit, potuitque probari
Excelſæ fortuna domus, caſtæque decorus
Virginitatis honos, &, tot ſuperabile divis
Ingenium, atque ipſi penè æmula forma Dione.
Illa thori impatiens (primos vix Phoſphorus ignes
Extulerat, longeque dies diſtabat ob ortu)
Fœmineum tractabat opus, peplumque fluentem
Aurata nectebat acu. Iam compta nitebat
Cæſaries, viridem ſubſtrinxerat aurea veſtem
Fibula, Sidoniæque ſinus induſtria pallæ
Abdiderat. ſtupet ipſa Venus ſtudiumq; manuſque,
Et timidam tali Nympham ſermone ſalutat:
    Quid fallis maleſana diem? quam fallere noctes
Fas erat, & Paphio tenebras diſperdere ludo.
Palladis hic ſordet Veneri labor; altera, crede,
Iam ducenda tibi noſtræ ſunt ſtamina vitæ,
Et proavûm fundenda domus. tibi ſera nepotum
Progenies debere cupit, ſignantque maritam
Sidera. Quid vacuo ducis ſuſpiria lecto,
Et deſerta gemis? toto quam Iuppiter auro
Perpluat, & veteri cupiat præponere Ledæ.
Quin diſcis ſervire mihi; ſunt mitia nobis

Imperia, & magná ſe libertate tuetur
Servitii ſors blanda mei. nimis anxia res eſt
Virginitas, gaudetque rapi: ſociata marito
Tutius uxor amat: nulla eſt cuſtodia formæ,
Quam thalami cortina tegit: neſcitque pudere,
Cui pudor eſt ſpreviſſe virum. permittit amori
Multa thorus, tantumque ſalax in cœlibe vita eſt.
Iam riſus innupta meos, arcanaque neſcis
Gaudia; & intrepidi quæ ſit fiducia lecti,
In quo nupta jacet: neſcis, quibus artibus orbem
Continuet Natura ſibi: quo jure parentis
Aſſignet ſibi quiſque decus: quæ munia matris
Iam tandem ſciviſſe juvet. vileſcit, amicâ
Quicquid prole caret, quicquid ſua ſubtrahit ævo
Nomina, ſpemque ſui fatis involvit iiſdem.
Penelope, quamvis ſapiens, conceſſit amanti:
Andromache Trojana fuit, tamen oſcula fixit
Caſſide in Hectorea: noſtris flagravit Amazon
Ignibus; &, rari quantumvis plena pudoris,
Expetiit Flaccilla virum: Cornelia donat
Scipiadas, Romamque nurus auxere Sabinæ.
At quantæ tibi virgo faces, ô quanta parantur
Conjugia? Ecce tuos præſtans Matheneſius ignes
Hauriet, & tanto ſervaris Sponſa cubili.
Illum Palladias juvenem deduxit in artes
Magnanimus genitor; ne quem reſpublica tandem
Poſceret, & Batavi ſpectarent ora Senatus,
Clamaret doctrina reum, trabeaſque puderet
Vix vulgo diſtare rudi. virtutibus annos
Antevenit; duris animum Conſtantia firmat
Temporibus; ſpernit populi Prudentia motus,
Dum patriæ pia jura probat. generoſaque quamvis
Nobilitas longo derivet ſtemmata cenſu,
Arduaque illuſtres decoret fortuna penates,
Mens ſubmiſſa manet: facili perfuſa ſevero
Læta verecundos adſpergit Gratia mores,
Priſca-

Priſcaque ſimplicitas, atque iſto ſanguine dignus
Candor, & ingenuo depicta modeſtia vultu.
Vix ea dicta dedit: tacitas ſub pectore flammas
Excitat, & blandum venis inſtillat amorem
Alma Venus. ſpolia illa mei ſunt ampla laboris,
Aliger, inquit, Amor. nunc, quà fecunda Batavus
Arva colit, feſſuſque ſuas immergit arenis
Rhenus aquas, placiduſque excelſas alluit arces
Doeſa, viam flectamus, ait. quò fulgida poſtquam
Atria & auguſti ſubiit penetralia tecti,
Inſignes Procerum vultus laudataque Cypris
Adſpicit ora virûm, ſuſpenſaque lumine læto
Heroum ſimulachra legit: qui clarus Athenis
Cattigenûm mandata dedit, quo vindice frontem
Barbaricos inter ſtrepitus & murmura belli
Explicuit Phœbæa cohors, cui Belgica concors
Imperii ſurgentis onus noſtraſque curules
Credidit, & dubios commiſit patria caſus:
Et qui Cantabricos eludens Douſa furores
Fati jura domat; ſed non bellacia qualis
Carbaſa & ingenti rapuit vexilla Philippo:
Quique ſenex Batavum Dux Duvenvordius æquor
Claſſibus aſſeruit, totique minacia ponto
Iuſſa dedit, potuitque trucem ſibi ſubdere Thetyn.
Hos ubi per vultus ſolertia lumina duxit,
Tum regina Paphi: magni clariſſima patris
Progenies, quâ ſola manet ſpes fulta nepotum;
Te propter Paphias arces Cyprumque reliqui,
Idaliumque nemus. geniales pronuba tedas
Ipſa puerque meus ferimus. quid lenta moraris
Vota? nec attentæ Veneri ſolennia ſolvis
Iura thori? poſco ſoboiem, ne ſtemmate in iſto
Deſtituat rector Batavos. patriæque tibique
Iam Citherea vacat. nec ſolum blanda voluptas
Et peritura mihi petitur. reſpublica natos
Exigit, &, regni qui librent pondera, Belgas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Vna, Deûm monitis, nunc ardet amoribus abſens
Pieckia, tota tuis abſens in vultibus errat,
Atque exul jam facta ſui eſt. ſuſpiria Rheno
Conſcia tranſmittit Vahalis, dudumque moratur
Mens curis intenta meis. non dignior ulla
Te poterit meruiſſe virum. ſi gratia formæ
Quæritur, exuperat longè reverentia morum:
Si cenſus æquare velis, rariſſima longè
Vincet opes pietas: ſi tantæ virginis ortus,
Et claros arceſſis avos, præconia poſcet
Ingenitus majora pudor. ſi ſidera mutet
Iuppiter, hæc mediis virgo radiabit in aſtris.
Dixerat: ille Deæ levibus violabile telis
Pectus, & inſolitæ laxat præcordia flammæ,
Imbibiturque effuſus amor. Iam priſtina ſordet
Vita viro, curæque graves, & dura faceſſunt
Otia, nec fremitus aut colla ſuperba moratur
Quadrupedantis equi. non jam venabula torquet
Venator, luſtratque vagos indagine ſaltus,
Latranteſque adigit per inhoſpita rura moloſſos,
Totq; canum explorat genios: quis curſibus Eurum
Antevolet, quis nare ſagax veſtigia doctè
Cæca notet. non jam delapſum nubibus agmen
Incluſiſſe plagis gaudet, cœlique cohortes
Vult prædam ſervaſſe ſibi. largitur amori
Omnia, ſe ſpolium prædamque Cupidinis eſſe
Sentit amans. quin jam tardos procedere Soles
Autumat, & calidos promiſſæ virginis ignes
Differri ſpes ægra putat. ſi veſper Olympum
Claudat, & æthereos properans Aurora jugales
Allevet, antè oculos dominæ verſatur imago,
Antè oculos nova nupta ſubit. ſic victa fatiſcit
Nobilitas, figitque ſuas in virgine curas.
Lætior intereà levium gens omnis amorum
Advolat, & primo teſtatur gaudia plauſu,
Conjugii præſaga novi. pars flammea Sponſæ,
Pars

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Pars tedas igneſque parat: pars myrtea gaudens
Tegmina circumdat capiti: pars nectare limen
Irrigat, & mediis fragrantia cinnama tectis,
Perſarumque adolet lucos, & miſſa Sabæis
Balſama. Pæſtanis aliquis vel Adonidis hortis
Narciſſum, violamq; & purpureum chryſanthum
Advehit, & donum feſtis ſolennibus adfert.
At puer Idalius genialia fulcra Cupido
Apparat, & thalamis velamina pulchra futuris,
Barbaricaſque inſternit opes: non talia Marti
Straverat ipſa Venus, tunc cum Liparejus amantes
Falleret, & doctis captiva cubilia vinclis
Spectarent cupida ora Deûm. quæ vellera Seres,
Quos cultus fert dives Arabs; gemmiſque coruſcis
Et picturato diſtinctas murice veſtes,
Depoſuit largitor Hymen. non Gratia lecto
Abfuit, & geminas texens Aglaja coronas
Implicuit natos Zephyri ſpiramine flores,
Non tactos Borea, rabidique caloribus Euri,
Perpetuo ſed vere novos. At præſcia fati
Iuno vetat ſteriles iſtis roreſcere noctes
Sedibus, & quicquid fecundi fallere poſſet
Spes uteri, toto dominans proſcribit Olympo.
Iamque aderat feſtiva dies, poſcenſque maritum
Emicuit lux alma polo. diſperſerat omnes
Ipſe pater Divûm nebulas, quò clarius orbem
Virgineus colluſtret apex, Solemque laceſſat
Vultus, & in rutilo majeſtas fulgeat auro.
Iunxerat una domus geminos, flammaq; calebant
Iam propiore duo: veluti poſt frigora brumæ
Incaluit terræ gremium, laxataque Phœbo
In Venerem natura ruit. ſociantur in uno
Vota viri ſponſæque thoro. Vix ille pudoris
Frena ſui retinet; vix illa arcana caloris
Diſſimulat fomenta ſui. ſic nutrit amorem
Alterius vicinus amor, quin ignis ab igni

Pabula læta capit. flammæque incendia flamma
Ventilat, &, propriis dum ſperant pignora buſtis,
Vitales arſere faces. ferventia cernas
Atria, conſcriptos longis diſcumbere menſis
Battaviæ proceres, & nobilitatis avitæ,
Nomina magna, deos. primævæ gloria pubis,
Stant juvenũ ſpectantq; chori, quam fulgeat inter
Cognatas hîc Sponſa nurus; quantum ille decorus
Emicet,& nullo diffundat lumina faſtu.
Vt thalami patuere fores, & conſcia lecti
Virginitas timuit, quæ mox ſperare maritam
Fas fuerit; placido generoſa Batavia greſſu
Ingreditur: juxtà muſco velatus & alga
Lætior adſtabat Rhenus, Doeſamque trahebat,
Et Zilam, famulos. dextram capit illa puellæ,
Inde viri, firmanſque ſua connubia voce,
Sic infit veneranda parens: Dî cœpta ſecundent
Fœdera, & æterno connectat pectora nexu
Intemerata fides; etiam poſt funera mentes
Iungat amor, dirimique vetet. non fulva metalli
Pondera, non Pelopis gazas, non jugera Craſſi,
Quæque dedit fortuna, precor. Matheneſia vobis
Succreſcat fœcunda domus: ſudate nepotes;
Vt credat Citheræa ſuos: agnoſcat alumnos
Omniparens natura novos: hoc ſanguine ſurgant,
Qui terris dent jura meis, ſecuraque præſtent
Imperia, & lapſis norint ſuccurrere rebus.
Alter avus nobis redeat, quo ſoſpite ſoſpes,
Et legum tutela fui, quo Præſide nuper
Ad Batavos ſpretis Pallas migravit Athenis.
Dixerat ore gravi. Tum Iuppiter omnia firmans
Mitiùs intonuit, cœlique à parte ſerena
Maximus in thalamo ſplendor cum lumine fulſit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

IN EQUUM

Nobiliſſimi ac generoſiſſimi Viri,

D. GODEFRIDI de HAESTRECHT,

POEMATION.

STat ſonipes, dominiq; ferox ſubſellia portans
Obſequium gravitate premit, famulumque laborem
Diſſimulat fremitu. decorant generoſa comantes
Colla jubæ, quas in varios ſolertia nodos
Strinxerat, & multo mulier diſtinxerat auro.
Tum coni plus fulget apex, & vertice ſummo
Ornamenta micant, phalerataque tempora perflat
Adverſi vis ſæva Noti: miratur honores
Ipſe ſuos quadrupes, tardoque ſuperbia greſſu,
Quam calcat, faſtidit humum. ferit ungula pandũ
Altius in ſe tracta femur: cervice recurvâ
Obliquat ſibi faſtus iter; non prona dehiſcunt
Ora, nec indecori quaſſantur tergora motu.
  Deſine magnanimûm quondã generator equorũ
Oſtentare tuos Agragas: non Theſſala tellus,
Quem componat, habet. ſordent, quos Bilbilis alta,
Quos Arcas celſæque dabunt faſtigia Nyſæ,
Aut celeres in bella Scythæ. non Iſthmia talem
Compita & Elæo currentem carcere vidit
Græcia, cum celeres ſeſe effudere quadrigæ,
Palmaque præcipites accenderet æmula currus,
Et ſtantes ſublime duces. Hierone triumphans
Littus Olympiadum ſeros memoratur in annos,
Et clarum Therone fuit, Pelopiſque nepotes
Victrices vexere rotæ. Tu teſtis honorum
Vivis adhuc Alphæe pater; tu Pſaumidis abdis

Palla-

Palladia ſub fronde caput: tu feſſa caballis
Corpora laviſti toties, ſpumamque lupatis
Abluis, & calidæ propinas flumina Piſæ.
Pythius Archeſilæ doctis applaudit habenis,
Xenocratemq; ſtupet; nec magnũ clara Megaclem
Fama ſilet, curruque ruunt Alcmæone nati.
Scilicet illa tuis victricia tempora frenis
Invidit, *Godefride*, dies; nec Olympia tantum
Conſpexit generoſa decus: ſeu colligat ungues
Ad numeros, libretque gradum: ſive auribus adſtet
Attonitus, feriatque ſolum temeraria crurum
Mobilitas, grandique tremat ſub pondere tellus:
Seu monitis attendat heri: ſeu flectat in orbem
Corpora; ſeu laxo tranſverberet aëra loro,
Arvaque quadrupedante pererret inania curſu.
Huic Hiero ceſſiſſet ovans, & priſca Pelaſgûm
Gloria, ceſſiſſet ſpatiis Pherenicus in amplis,
Ipſaque Piſæam decerperet Elis olivam.
Hic bellator equus mediis in vallibus hoſtem
Hinnitu vocet, & cuneis ſeſe arduus ipſis
Inferat, hic lituos, hic cornua rauca tubaſque
Audiat intrepidus; perque agmina perq; phalanges
Sternat iter, peditemque truci cervice ſuperbus
Diſſipet, & nudâ ſtratum conculcet arenâ.
Talis in adverſos ſumptis inſignibus Æthon
Ibat ovans Rutilos: tales calcaribus armos
Pentheſilea fodis, medios cum virgo per enſes
Et Danaûm per caſtra ruis. generoſior ille
Magnanimã vectet Thamyrim, Volſcamq; Camillã,
Aut erepta iterum repetentem ſigna Camillum.
Hoc quoque virtutum latitant ſub pectore formæ,
Et laudum generoſus amor; ſervanſque decori
Inſipiens natura ſui eſt. hanc præmia recti
Et promiſſa movent. venienti grata magiſtro
Vox matutinum fremitu Titana ſalutat,
Et tremula modò calce favet, capit illa furoris
Argu-

Argumenta ſui, juſtâque accenditur irâ,
Et contemta dolet. rurſum laudata ſuperbæ
Majeſtatis habet ſpeciem, frontemque ſerena
Pandit, & heroo teſtatur gaudia greſſu.
Hæc mihi Apollineum pleno de fonte liquorem
Excutit: hæc ſacrum mihi percutit ungula montẽ,
Nec vatem ſitiiſſe cupit. Iam fabula facta eſt
Pegaſus, & celſum tranans Helicona volatu
Bellerophon, natæque iſtis ſub calcibus undæ.
Tu mihi Bellerophon; tuus eſt, qui ſufficit undas
Pegaſus, & toto vatum me proluit alveo.
Quid magno terræ gremium Neptune tridenti
Percutis? & primos imis de manibus excis
Cornipedes? hunc æquoreis vicinior oris
Belga dedit, rabidumque ſuis virtutibus æquor
Induit, & belli ſpumantes indidit iras.
Non huic frena truces Lapithæ Numidæq; dedere,
Celtiberûmque manus; non defenſoribus iſtis
Tempus eget. ſpernit phaleras alienaque Rhenus
Nomina, nec Siculus format calcaria Brontes.
Ipſe tibi Batavus tantæ redimicula frontis
Præbet, & excelſo tumidas in vertice criſtas,
Fulgentemque gravi ſuccinctam pectore zonam,
Textaque in extremos velamina pendula talos.
Si ſpatium fors terra neget, ſeſſore magiſtro
Molliter ille gradum glomeret: ſi lata pateſcunt
Iugera, & ingentes trepident calcaribus armi,
Vnà Eurumque Notumq; & nubifugos Aquilones
Antevolet, Cauroſque leves poſt terga relinquat,
Sideraque, & pleno redeuntia flumina ponto.
Ille vel illæſæ Cereris trans ſumma volaret
Culmina, vel lati tranet ſpatia invia Rheni:
Aut Vahalim, aut dubio fallentem gurgite Moſam.
Hoc in Amycleâ ſi quondam vectus arenâ
Tyndarides foret: haud propriis bellator Aphidnis
Lurida Cecropio cecidiſſet victima bello.

Sunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Sunt alii, quorum Latii meminere poëtæ;
Calaicus Lampon, & pulchro concolor albo
Aſtur Panchates, & nigra fronte Pelorus,
Et Tagus, & Pholoë, & curſu velocior Iris,
Aſchetus, Æthion, Styrias, Phariuſque Podarces,
Et quos Thebanis genitrix effuderat Herpe
Nobilis, & ſoboles Sicoris bellacis Ilerdæ:
Vel, quem Trojanum Mezentius urget in hoſtem,
Rhebus, & Adraſto celebris vocalis Arion;
Et gemini Mavortis equi, menſorque dierum
Cum rutilo Pyroënte Phlegon, & fervidus Æthon,
Et Stygius Nyčteus, & clari Xanthus Achillis,
Plutoniſque notâ variè diſtinctus Alaſtor.
Hunc timeant cuncti, timeat concurrere ſoli
Quilibet. hic veteris laudes præſtringere ſecli
Geſtiat. hic docilis freni ſeſſoribus aurem
Commodat; hic rectum ſervabit doctior axem,
Quáque voles, ſinuabit iter. Tu ſcande ſuperbos
Excellens Godefride thoros, & ephippia tanto
Turgeſcant ſuppoſta viro. non vilia noſter
Pondera vectat equus. tellus, mare, ſidera, cœlum,
Nobilitas, virtus, domino portantur in uno.
Terrarum doctrina tua eſt: tibi regna locoſque
Noſſe datum. quantũ Occiduus Sol diſtat ab ortu,
Belgicaque Auroræ thalamis, à Gadibus Arctos
Vtraque, Lappionumque ſolum. Tu vaſta Deorum
Atria, flammantes æternis ignibus orbes
Emenſus radio, Solis Lunæque labores,
Mercurii Martiſque vias, Veneremque, Iovemque,
Tardigradique ſenis lentos ſublimior axes,
Et picturatam didiciſti pervigil æthram.
Tu pelagi curvos flexus, Tiphynque Batavum
Expedias. tibi, quas doctâ depinxit arenâ
Dextra Syracuſii ſenis, aut vis Attica, formas,
Ingenio famulans aperit labor. omnia pernox
Vidit & ignavis animus ſuccenſuit horis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Has portat phaleratus opes; hæc bajulat Æthon
Sacra tuus, tantumque decus dum geſtat in armis,
Altius inſurgit quadrupes, dominiq; quod unũ eſt,
Virtutis putat eſſe ſuæ. Tu tergore in iſto
Sæpius æthereos, per amica ſilentia noctis,
Spectaſti ſtudioſus equos: ubi Pegaſus alas
Explicet, & gelida depromat tela pharetra
Phillyrides: equiteſque iſtos miratus & arma,
Vidiſti, tibi quos ſervet natura penates,
Quam pandant tibi fata domum; quà prævius ivit
Inſignis pietate pater; cui ſtemmata, ſanguis,
Nec tanti fuit illuſtri ſpectata theatro
Gloria, quam patriæ & veterum cuſtodia legum,
Et pacis venerandus amor, prælataque Marti
Tranquillæ ſors læta togæ: quà deſpicit orbem,
Qui nomen tibi ſcripſit, avus, laudabile Belgis
Nomen, & æternæ meritus præconia famæ.
Vive Heros; ſtimuloſque tuis virtutibus adde.
Adde decus decori. ſubeant naſcentia fratris
Incrementa tui, magni cui pondera belli
Dux Ligurum, atque ſuas partitur Spinola curas.
Quique mihi faciles aditus, & mollia fandi
Tempora concedis, nec vilia nomina ſpernis,
Accipe laudatum, ſeſſor generoſe, caballum.

PRÆ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

PRÆFATIO

in Epicedium ſequens,

Ad

SVECORVM GENTEM.

GEns invicta malis, nec tot ſatiata triumphis,
Quos meruit Regis Martia dextra tui:
Gens Batavis ſociata meis, cape fœderis arrham,
Quam tibi plangentis nuncupat ore dolor.
Quem luges afflicta virum, lugemus eundem;
Et populos fati ſors manet una duos.
Extulit hunc Sueonum tellus; nunc extulit Haga:
Extulit illa decus nominis, iſta rogum.
Illa vices fandi dederat, dedit iſta ſilendi:
Et, quæ non dederat præmia, ſæva rapit.
Illa ſibi priſcæ repetens inſignia famæ,
Nos ſolum exuvias mortis habere ſinit.
Quantum clara levi diſtat fortuna ſepulchro,
Officiis diſtant, Tu, Batavuſque, ſuis.
At nunc Belga canet, quos tu veneraris, honores,
Et tecum tumulo talia verba dabit:
Quem peregrina ſuis ſecrevit purpura Catthis,
Hîc jacet, Arctoi nobile Regis opus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

IN OBITUM
IANI RUTGERSII,
Sereniſſimi Suecorum Regis GUSTAVI,
apud Fœderatos Ordines, Legati.

QVæ faciles, Fortuna, Deos, & numina mundi
Experta es ſatis æqua tibi, ſceptrique favores,
Hunc luge jam mœſta virum, quem gratia divûm,
Sacraque regali venerata eſt purpura vultu,
Et lætum dilexit ebur. cui munia fandi
Sarmaticis tribuit Facundia merſa pruinis,
Eloquiique vices, & de tot gentibus unum
Pro ſe poſſe loqui bellatrix credidit Arctos.
Omnis Hyperboreis collectus montibus humor
Liquitur,& totũ in lachrymas, jam conſcia mortis
Rutgerſi venerande tuæ, tantique doloris,
Abſorbet natura gelu. ſua lumina condit
Parrhaſis, & Scythico ſe vellet in æquore mergi,
Indignata tuos obitus. qui caſtra Bootes
Regia, & æratas ſpectavit nocte phalangas,
Victriceſque acies, & victi fœdera Moſchi,
Et ſtratum clypeis Dunam, ſua ſidera mœrens,
Et vigiles atra involvit caligine flammas.
Ipſe ſuos *Guſtavus* equos, bellique ſecundos
Succeſſus remoratur ovans, tantoque furori
Dat veniam,& domitis jam ſaltem parcere terris,
Officium regale putat. qua caſſide Corus
Diffregit duras hiemes, pluviaſque,niveſque,
Stat lacrymans, guttiſq; humectat grandibus ora,
Ac manes vocat incaſſum. reverentia regni,
Ipſaque majeſtas aliquà ſuccumbit amori,
Nec lugens rex eſſe poteſt. Ignoſcite Divi,
Si ſceptris indigna loquor. miſereſcere fatis,

Et

Et pietas in rege placet; nec nomina ſpernunt
Humanas auguſta vices, hominemq́ue potentûm
Mentiri mens celſa valet. plorare ſuorum
Dîs geniti potuere rogos, & ſævus Achilles,
Et pater Æneas, & qui fumantia latè
Pergama victori Priamus conceſſit Atridæ.
Iam mihi cernuntur Phœbi delubra cieri
Sedibus, & triſtes Helicon arceſſere queſtus.
Vultus Pegaſidum pallent, & languida mæſtis
Vix tollunt ſua colla jugis, Cirrhæque remugit
Limen, & attonita torpeſcens Gorgone Pallas.
Illa Iovis fugiens oculos ſolatia luctus
Deſpicit, &, preſſo lachrymarum fonte, reſedit
In Batavis, Superoſque truces, celereſque ſororum
Execrata colos, vicinum planctibus æquor
Verberat, ac tales exorſa eſt præfica voces:
Maxima jam pridem terrarum nomina fato
Damnavit vis ſumma Deûm, regumq́ue minata
Turribus invictas mortali robore dextras
Perdomuit, ruptiſque evolvit tempora penſis.
Tum clari periere Duces, infractaque bello
Pectora; quæ Veſper timuit, quibus occidit Eos,
Armaque captivus toties ſubmiſit Iberus.
At Martem dolor ille manet. tot fulmina belli,
Heſperioque recens tepidos à ſanguine manes
Luxerit Odryſius; cui duri ad Strymonis undam
Barbaricus puero cunabula præbuit Hæmus,
Threiciæq́ue nives. me me placidiſſima tangunt
Funera, nec dira pollutum cæde cadaver.
Exuvias Doctrina tuas, victuraq́ue chartis
Buſta queror, queror extinctas, pia numina, Muſas,
Thymbrææque patris cineres, ac muta deſerti
Ora viri. calco totam ſub marmore Suadam,
Et Charitum fatale ſolum, tumulumque potentis
Eloquii, ac celebrem magnis virtutibus urnam.
Illi prima rudes generoſa modeſtia mores

Et

nondum domitos ferventis pectoris æſtus
exit ad obſequium: nec quid puerile licere
redidit iſta ſibi curis gravioribus ætas.
aſcula doctorum ſapuit ſub voce Iuventus
eriis gaudens ſtudiis. laſciva Vacunæ
tria, Circææ ſpernuntur pocula turbæ,
um laudum decurrit iter, Phocæaque ſcandit
ulmina. tunc ſacro labiis arentibus æſtu
aſtalii latices & vatum exhauſta fuerunt
lumina, & in media ſe proluit Hippocrene.
am Scaurus, rigiduſque Caper, duruſq; Palæmon,
t triſtis ferulæ ſceptrum, plagæque ſonantes,
t matutino ſubſellia rauca tumultu
Terruerant animum. patuit, qui roſtra fatigat,
Orator Fabius. nec ſegnius hauſerat olim
Atlantis præcepta ſui Tirynthius heros,
Aut citharæ cantus Chiron perſuaſit Achilli
Theſſalico permixtus equo. Tu maxime Voſſi,
Cui ſua Romulidûm pandit ſecreta vetuſtas,
Auſoniosque duces, effætaque tempora mundi
Reddit ſera dies, & Grajûm pulpita pulſans
Socraticas aperit celebris facundia portas;
Expedias tantæ felicia cœpta juventæ,
Ingeniique expande decus. tu prima peritus
Rexiſti vitæ ſpatia, & per acerba laborum
Duxiſti docilem leni moderamine mentem.
Te præeunte puer modulos, & nobile Flacci
Ad numeros ſaltavit epos, grandique Maronis
Inſonuit ſua metra tuba. tu mite TerentI
Eloquium, ſtricto ſervorum ſcommata ſocco,
Plautinosque ſales, & amabilis orſa Menandri,
Exulis, heu, ſontes elegos, Theſpinque perunctum
Scire facis. tumido gradiens perſona cothurno
Dat tragicos ſpectare modos, & cruda Thyeſtis
Fercula, quæque ſibi furatur fecibus ora
Dardaniæ regina domus. ſed fata neceſque

Bilbilici

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Bilbilici lenire joci, lenire Catulli
Paſſer, & illini potuit fera Leſbia cantu.
Horrida ridentis damnatur pagina Persî,
Et placet, immiti Latium qui lavit aceto,
Vexatus rauci ſcriptor Theſeide Codri.
Nunc ſuper Argolica pugnatum pellice bellum,
Et conturbatas Phrygio raptore Mycenas;
Nunc Lyrico modulata ſeni, nunc rura pererrat
Dorica: nunc rapidis victorum rapta quadrigis
Pindaricæ commenta lyræ; veterumque Deorum
Progeniem: quos Aſcra dies, quos gratior hymnos
Callimachus, lætoque canat modulamine Sappho.
Vt Romam Cicero, timidas orator Athenas
Erigat, & Macetûm regi reſponſa remittat:
Quæ Criſpi ſint ſenſa brevis: Cornelia quantum
Vis valeat dubios regnorum expendere caſus,
Sejaniq́ue vices, & quali regna parentur
Ingenio, qualique iterum rectore fatiſcant,
Vnius ſit cura viri. nec priſca Cleanthes
Atria, mellifluoſque negat cognoſcere ſenſus
Phædrus, & arguto reſpondens ore Philebus.
Romanos rerum dominos, gentiſque togatæ
Prima rudimenta, ac creſcentis mœnia Romæ,
Excuſſos ſolio reges, mox libera Bruti
Imperia, & vario geſtum ſub Conſule bellum
Hunc chartæ docuere graves. At maſcula Curtî
Expoſuit Pellæ victricia tela papyrus,
Eoaſque acies, epotaque flumina Medo,
Et nimis ingrato paſſum ſub rege Philotam.
Quæque ſibi proprias evolvunt tempora voces,
Et genii ſimulachra ſui: quos balba locuta eſt
Potitiis Carmenta ſonos: quid Muſa vetuſtum
Lucilii fremat,& quid verrucoſa loquantur
Carmina Pacuvii, Calabrumq; in montibus ortus
Ennius: ut medium detergat ſordibus ævum
Auguſtus, fœdamque fuget Romanus Apollo
Barba-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Barbariem, linguæque decus, pacemque Quirino
Reſtituat; donec Latio ſua Vandalus ora
Miſcuit, & Gothica ſtribligine ſorduit Auſon,
Et poterat jam Roma ſibi non Roma videri.
Pythagoræ monitus, doctæque ſilentia turbæ,
Et tantum ſapuiſſe ſibi, ſpreviſſe nepotes,
Credidit eſſe nefas. gaudet mens fæta futuris
Ignotas aperire vias, verique reperta
Non privata putat. ſolum laudabile dicit,
Quod commune facit. Criticas in bella cohortes,
Grammaticaſq; tribus, triſteſq; ob puncta magiſtros
Provocat, & longum libros diffundit in ævum,
Et ſenſus veterum, & labentia nomina ſeclo
Vindicat, atque alta merſum caligine verum
Eruit, ac querulà ſocios exercet arenâ.
Iuliade, magni ſoboles auguſta parentis,
Veronæ ſublimis apex, qui rapta tuorum
Ornaſti claris Muſarum ſceptra triumphis;
Temporaque & cauſas Grajûm digeſta per annos,
Abramidumque dies, deſuetaque ſecla dediſti,
Hæc audi lamenta pater. tibi ſæpè dolores,
Longaque decrepiti faſtidia leniit ævi.
Tu juveni famæ ſtimulos, alimentaque laudum,
Tu ſtudiis fomenta dabas, magnumque putabas
Hunc curis genuiſſe tuis. Rutgerſius omnis,
Omnis in ore fuit Rutgerſius. ille labores
Aſperſis doctè ſalibus, ſortiſque levabat
Fata tuæ, duraſque vices. non Thracius Orpheus
Suavius immitem cantu deliniit Hebrum,
Aut celeres blando remoratus pectine ſilvas,
Detinuit Rhodopen. Nec te quoq; paſſus inultâ eſt
Scoppia gens, quæ mendaci jejunia lingua
Et Latias redimis diris latratibus offas;
Scaligeroſque duces, tantæque exordia gentis,
Illuſtres heroum animas, neque cognita nuper
Nomina, venali eſuriens ſermone laceſſis.

Hæc

Hæc inter dum cuncta viro delubra pateſcunt
Pieridum, & totum ſpirant præcordia Phœbum;
Cæſareas Aſtræa fores, edicta Quiritum,
Et Byzantini retegit ſuffragia regni;
Quo fundus ſit jure meus: qua ſubdolus hæres
Lege cadat: cur læſa fides vadimonia poſcat:
Quo vitio ſolvatur hymen: quæ fœdera Cypris
Horreat, & quali damnet perjuria voce
Rhemnia lex. magnis applaudit Gallia cæptis,
Atque aliquam meritis mercem latura laborum,
Pura mente favet. Themidos ſacraria myſtam
Ingeminant, titulisq; decus famulantibus augent.
Nec tamen ancipites illi ſub judice cauſæ
Præcidêre diem; nec matutina moleſtus
Tempora conſultor rapuit; non vocibus emptis
Curia felices laſſavit mobilis aures.
Non querulas chartas, non teſtamenta reſignans
Diſtendit mala turba togam; nec dextra rotavit
Carminis horrendi folia, & jam puberis ævi
Sollicitas de dote preces. procul illa laborum,
Fortunate virûm, pepulit faſtidia felix
Suecia, & inviſis expunxit nomina roſtris.
O quantum imperiis ſecreti numinis addit
Doctrinæ venerandus amor, quantamq; rependit
Muſarum fortuna vicem. Iam regia laudes
Audit, & auguſtum feriunt præconia limen,
Et terras, Scritofinne, tuas. ſpectabilis oſtro
Belgarum populis Princeps reſponſa daturus
Maluit eſſe ſuum. longè ſua præmia ſperat,
Quem puduit latuiſſe domi. procul ibimus, inquit,
Quo ſortis vocat aura meæ. quem patria diſcors
Negligit, Arctos habe. ſequimur te maxime Regũ,
Et ſupplex tua ſceptra colo. quaſcunque per oras
Me tua juſſa vehent, vel tempeſtate furentem
Nerea, vel duro concretum frigore Volgam,
Lappionumque truces vultus, & ſæva ferarum
Pellibus

Pellibus ora feram. glacialia ſidera ſpernam,
Dum ſidus ſit mite tuum. ſic deſerit arces
Battavicas, cœlumque ſuum, Zephyriſq; ſecundis
Frangit Hyperboreas remis properantibus undas,
Et varias portans Sueonum mandata per oras,
Sarmatici lætus ſulcat vada cærula ponti.
Nec tamen aut placidos inviſa ſuperbia mores,
Aut creſcens ſubvertit honos. non gratia regum
Diſſimilem facit eſſe ſui. faſtigia laudum
Deprimit obſequiis, & quanto major habetur,
Officiis ſtudet eſſe minor. virtutibus ornat
Oratoris opus. domino ſecreta potentum,
Et tacitos aperit motus: in fœdera reges
Advocat; externi pandit commercia mundi:
Nunc ſociam depoſcit opem, nunc regia ſpondet
Arma laboranti patriæ; nec vana ſuorum
Vota preceſque ſinit. quicquid ſperare jubetur,
Mox tenet, & ſurdas expugnat pervigil aulas.
Iam Taciti conſulta probat. jam noſcitur uſu
Tullius; imperii varios ſe fundit in actus
Criſpus, & Annæi monitus, exemplaque LivI,
Ac veterum noſtro ſpectat ſub ſidere ſcenas.
Dicenti nunc verba Liger, nunc commodat ora,
Qui Vahalim Mervamq; bibit, Rhenumq; bicorné,
Et qui Teutonicas medius ſecat Albis arenas,
Finnorumque maris populi; nec dignius unquam
Roma triumphantes meminit dixiſſe Quirites.
    Fare, precor, talem ſi te genuiſſe nivoſis
Iactas Sævo jugis? non hæc tibi nomina debet
Belgica. depoſitum Batavus tibi credidit ingens,
Et voluit te poſſe frui. Iam grande repoſcit
Pignus amicitiæ;& tecum dum commoda regni
Dividit, hos ſolum cineres, hæc propria Belgis
Funeris oſſa putat. ſatis eſt audiſſe loquentem,
Orantem ſtupuiſſe ſatis. ſic profuit orbi,
Sic tibi; ſeu pavidos cum victrix Auſtria Bojos
Exuit,

Exuit, & trepida miles bacchatur in urbe;
Seu cum Cattigenûm proceres ad mutua flectit
Auxilia, & ſociis firmat tua fœdera frenis.
Me luctus lachrymæque manent. tibi priſca fatiſcit
Gloria. Tota trahit ferales Botnia taxos,
Dumq; rogum ſimulat, (nam ſervat Belga cadaver)
Vndique funereas altis de montibus ornos,
Fraxineaſque trabes, piceas, & mœſta cupreſſi
Robora devolvit, laticeſque & thurea dona
Affundit cineri, dicitque noviſſima verba:
Ille per Elyſios lætus ſpatiabitur agros,
Quaque ſuis errant doctorum ſedibus umbræ,
Et Phœbo ſacrata cohors, maneſque diſerti,
Iuliadem quæret, vigileſque hebetantia ſenſus
Exutus jam membra, animæ miſcere repertæ
Se cupiet, ſortiſque ſuæ felicia multùm
Fata recenſebit, regalis munera dextræ,
Et numen, *Guſtave*, tuum. mox obvius ibit,
Non jam vota fovens, facilis contextor Iambi
Baudius, & quali gravitate affatus Eliſam eſt,
Terrarumque Deos, lucis egreſſus opacis,
Ibit in amplexus, reliquiſque averſus ab umbris
Huic uni vadet ſocius. veneranda Thuanus
Ora feret, Druidumque volet cognoſcere motus,
Iunctaque Liligeris Brittonum fœdera ſceptris.
Felices gaudete animæ, quas ſera nepotum
Fama vehet, memorique ſuum decus aſſeret ævo.
At queſtus audite meos. Rutgerſius hoſce,
Audiat hos abſens gemitus. poſtq; inclyta Regum
Funera, & Auriaci ploratos carmine manes,
Nunc etiam noſtri cupiat pars eſſe doloris.
Tuque adeò, quem tota ſuum ſibi vendicat Hellas,
Et Latium, ac pura Permeſſus proluit undâ,
Heynſiade, venerare rogum; divulſaque luge
Pectora, & iratis Parcas ulciſcere Muſis.
Dixerat: aſt illam Batavûm de littore turbo
Ocius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

cius abripuit. qualis mandata Tonantis
xequitur, levibuſque volat Cyllenius alis,
roſcinditq; Notos.non hanc remorantur euntem
ſubila, non venti, tempeſtatumque procellæ.
m Friſios, Chaucoſq;, & prætervecta Cheruſcos,
uoſque rigat regum indignatus caſtra Viſurgis,
t refluis pater Albis aquis, Cimbroſque feroces,
odanique ſinus populos, quà Riga profundo
mminet, & mediis poſuit tentoria caſtris
ector Hyperboreus, Dea conſtitit. Ille ubi ſenſit
alladis ac divûm monitus, afflataque cœlo
ectora, ſecum animo volvit, quis poſthuma rerũ
ondera ſuſtineat, Batavis quis ſedibus alter
ulciat Arctoum facundis vocibus orbem.

PRÆFATIO
In Epithalamium ſequens
ad Sponſum.

CVm glacialis Hyems Sponſam ſociaſſet amanti,
Scripſimus hæc mediis carmina frigoribus.
ene mihi nocuit Cypris dilata poëtæ;
Dum genitum brumâ, vere poëma legis.
Adſpicis, ut gelidos referant exordia menſes,
Hybernaſque bibant ultima verba nives?
unc mihi tu Sponſus, tunc dicebaris amaſſe,
Faverat & votis pronuba Iuno ſuis.
t mea, neſcio quo Phœbi commota furore,
Adfuit in thalamos Muſa vocata tuos.
i tibi diſplicuit tardans Hymenæus amores,
Et mihi difficiles, crede, fuere moræ.
Nunc operæ periere meæ, periere Camœnæ,
Temporibuſque minus convenienter eunt.
Peccamus gemini, nimium tu lentus amando es,
Sum nimium vates officioſus ego.

In nuptias CONSTANTINI HVGENII EQVITIS, *Illuſtriſsimo Principi* Auriaco *à Secretis.*

Clara Parethonii ſileat miracula Nili
Memphis, & irriguo fecundas gurgite terras.
Egelidos alibi latices, concretaque duro
Saxa gelu, & ſolo mutatas frigore quercus
Deſine mirari Latium, coctaſque ſub ipſis
Vorticibus Iudæa dapes. liquefacta Lyæum
Caſtiget glacies, rabidi ſub ſidere Cancri,
Et rigidas hyemes æſtas, ac munera brumæ
Imbibat humenti Procyon contrarius Vrnæ.
Nil *Conſtantino* nobis jam conjuge mirum.
O cœli terræque vices: dum flumina paſſim
Stricta rigent, Batavoque calor proſcribitur orbe,
Ille calet, primoſque dies effeminat anni.
Vos, quibus arcani rerum patuere receſſus,
Dicite, cur fervens Aſtrææ virginis aſtrum
Diſplicuit thalamis, Veneriſque caloribus apti
Tyndaridæ? cur non mores edoctus amantum
Eligitur petulans Aries, matrumque ſubactor
Magnanimus? cur aſtra placent glacialia Sponſis,
Et juvenis geſtator aquæ, Piſceſque ſupremi?
An dilecta Iovi ſoboles melioribus uri
Corda monet flammis? alioſque exuſcitat ignes
Iliacus puer? an medio plus frigore fervet,
Secretum quodcunque latet? centrumque repulſus
Ardor habet, parteſque calor ſeceſſit in imas?
An tibi, quæ ſpatiis noctes ingentibus horæ
Extendunt, jam Sponſe placent? lucemq; tenebris
Poſtponit pudibunda Venus? ne gaudia turbet
Phoſpho-

Phoſphorus, & celeres properãs Aurora quadrigas.
An veluti media rabiem Leander in Helle
Fregit amans, cupidique faces reſtinxit amoris;
Tu quoq; frigoribus flammas moderaris, & ignes,
Quamq; adamas, ſapienter amas? primoſq; furores
Prudenti ratione domas? nec læta juventæ
Robora laſcivo cupis indulgere labori?
Scilicet illa ſuæ tenerorum luſor amorum
Dictavit præcepta Scholæ. diſcrimina Cypris
Inconſulta creat, Paphiæque licentia matris
Officium ſub lege facit. ſua tempora conſtant
Conjugibus, ſapienſque morâ ſufflaminat æſtus,
Crebraque mox rediens amat intervalla Cupido.
Viderat hic Batavo tantos feliciter auſus
Succeſſiſſe Duci, dominiſque potentibus aulam
Creſcere, ſpeſque novo populi rectore renaſci,
Cum pharetratus ait: Iam te quoque tollere tedas
Hugeni mea vota volunt: qui juſſa capeſſis
Principis, huic etiam ſtudiis famulantibus adſit
Obſequioſus amor: tales dum gignere cœptat
Naſſovio natura Deos, tu pignora tantis
Officioſa Diis genera, decoriſque paterni
Hæredes, famuloſque Ducum protrude nepotes.
Non didiciſſe meas artes, cunctoſque Diones
Decantaſſe dolos ſatis eſt. Parnaſſia per te
Templa ſonant, ſcriptuſque tuo ſub pollice ſæpè
Indoluit contemptus Hymen. nunc exue vatis
Ingenium, parteſque novas ordire mariti:
Lætaque te videat venientem à limine longè
Virgo procum, tardaſque moras objectet amanti,
Et facilem cupiat ſibi ſubriſiſſe poëtam.
Eſt genitrix Erycina mihi: juveniſque puerque
Nuncupor. at quamvis teneris imberbis in annis,
Frango corda virûm. ſunt hac excuſſa Tonanti
Fulmina ſæva manu; rabidi ſub imagine Tauri
Virginem Agenoream rapui, ſub imagine Cygni

Leda Iovi ſociata fuit, Satyruſque miſellam
Antiopen, pluvius Danaen, aquilâque feſelli
Aſterien. vis noſtra tua de gente trophæa?
Vis domitos vates, & victas conjuge lauros?
Ecce Deus vatum juga per Peneia duram
Inſequitur Daphnen, flagratque poëtica Sappho,
Æſtuat Alcæus: Clario dilecta poëtæ
Fervida Lyda furit; docti lyra languet Horatî,
Lydia cum Flaccum recreat: cantata Catullo
Lesbia cantari meruit, famamque redemit
Baſiolis laſciva ſuis: adamata Corinna eſt,
Et ſpolium tantæ rapuiſti Naſo puellæ,
Illicitis audax thalamis. placuiſſe Tibullo
Sulpitiæ potuere genæ, riſusque Neæræ,
Et Nemeſis ſine labe pudor. vis altera ſeclî,
Et populi documenta tui, dilectaque Phœbo
Nomina; ſidereos Hyados qui ſcripſit ocellos,
Vritur in Morinis: Naugerius arſit Hyellam,
Caſtilio Hippolyten: redamantem Cotta Lycorim.
Stroza furit, ceſſit Batavo ſua Roſſa poëtæ:
Grotius erectos animos ſubmiſit amori:
Quique mihi toties genialia carmina dictat,
Barlæi foribus bis ter ſuſpenſa corona eſt.
Sunt tibi communes iſtis cum vatibus undæ
Caſtalidûm, ſunt & communia numina Muſæ,
Communes hederæ: ſint & communia vobis
Iura thori, facibusque ſuis præluceat Hymen,
Nec foliis marceſcat amor. plus nupta puella,
Quam cantata juvat: ſtimuloſque ferocius urget
In thalamos admiſſa Venus. quæ pagina prurit
Luſibus, in vanâ fingit ſibi gaudia ſcenâ,
Et fruſtra tua vota fovet; velut ille fugaces
Tantalus optat aquas, & ſævæ fercula menſæ
Appetit, & vacuo ſectatur gutture pomum.
Dixerat hæc facundus Amor, monitisq; Deorum
Conſtantes ceſſere animi, tedaſque peroſum

Pectus

Pectus inoffenſos altè jam concipit ignes,
Admittitque Deum venis: Hugenius ardet,
Clamabam, fietque pater. ſedet ille, novaſque
Incubat in curas, & priſcas negligit artes,
Et gaudet minus eſſe gravis. venerabilis aulæ
Exuitur facies, gravitas ſubſidit amori,
Hunc proprii mores, mores ſua verba ſequuntur.
Nil niſi molle ſonat, placidum, ſociale, remiſſum,
Nulla ſede manet. pendent oblita magiſtri
Barbita muta thoro, nec tactæ pollice chordæ
Dediſcunt reſonare melos, delapſaque tecto
Securos fidibus ſubtexit aranea caſſes.
Scandit equum; laxo ſonipes veſtigia freno
Lenta legit, dominique piger parere recuſat
Mitibus imperiis. illum ſperata voluptas,
Attentumque tenent ſpecioſæ virginis ora,
Et vultus, quos fingit amans. Si tempora Muſis
Commodat, in molles elegos deflectit amantum,
Totque poëtarum libris decerpit amator
Naſonis titulum, quærit que in amoribus artem.
Cum legit aſtuti fraudes & carmen Aconti,
Cydippen hac arte petat: jam carcere clauſam
Poſcat Hypermneſtram: jam terret Iaſonis uxor,
Exemplumque timet: jam Laodameja labantem
Erigit, exemplumque probat. jam rurſus amare
Deſinat, exemplo Canaces; niſi lecta modeſtæ
Littora Penelopes tam caſtæ conjugis illi
Spem faceret. fidei miratur nobile pignus
Hermionen; iterumque furens quid femina poſſit,
In Didone ſtupet, fatisque ruentis Eliſæ
Ingemit. at charam non ſic ego Phyllida ſpernam,
Demophoon iratus ait. tu Seſta puella,
Quæque ab Abydenâ tibi littore mittitur urbe,
Tota placet. quæcunque domi ſunt obvia, ſordent,
Meque etiam peregrina juvant. abſentis amicæ
Acrius eſt ſtudium, & rarò conſpecta furores

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Exacuit. vos Haganæ ſecedite matres,
Vicinæque nurus: mihi quæritur altera Seſtos,
Altera Abydos erit. terra ſejungar? an undâ?
Vnda nocet, nocuit Leandro fluctus & æquor.
Sufficiant mihi tuta meæ diſcrimina terræ.
Vrbs jacet inBatavis,totum celebrata per orbem,
Dives opum,legumque potens: ſi Pergama jactant
Autores antiqua Deos, hæc mœnia Divûm (dis,
Dic quoq; ſtructa manu. Venetos miramur in un-
Oceanoque domos, atque emergentia ſtare
Saxa mari: ſed & illa cavas fulcire paludes
Tecta vides, mollique exurgere culmina limo,
Et vaſtam niti ſylvis ingentibus urbem.
Hic ſua Neptunus tumidarum rector aquarum
Regna tenet, totique minax dat jura profundo.
Hic aperit portus, Gangiſque, & divitis Indi,
Hoſtiliſque Tagi ſpoliis exultat opimis.
Hic Arabes, durique Getæ, Cimbrique feroces,
Et Perſæ molles, & fertilis accola Nili,
Totque Afrûm populi, & braccati corpore toto
Lappiones, hoſpeſque Padi, potorque Suevi,
In commune forum coëunt. hic venditur orbis,
Hic emitur, merceſque ſuas extrudit & adfert
Mercator vagus, & longinquæ munera terræ
Vectat opes pelago. præſes Cyllenius urbi
Imperat, & multo locuples ſplendeſcit in auro.
Huc ubi corripuit greſſum, & ſurgentia paſſim
Tot cœlo delubra videt:nova mœnia condi,
Fervere ſtrata viris; diſtentas mercibus alnos,
Turritoſque apices, & victam compede Thetyn,
Amſtelioſque lacus. Non hæc mihi,dixit,amantur,
Speſque meas implent. luxum damnate coloni;
Hos ego nunc unà proſcribam virgine faſtus.
Dum loquitur, Barlæa venit, (ſeu caſus eunti
Obtulit hanc, ſeu fata pios moderantur amores,
Et thalamisDeus author adeſt)non turgida greſſu,
Demiſſis

Demiſſis pudibunda oculis. adſperſerat illi
Blandum aliquid Cytherea favens, moreſq; pudicos
Finxerat Euphroſyne. placidi reverentia vultus
Fecerat invidiam formæ. capit ille ſecundi
Augurium geniale thori, & læta ora pererrans
Virtutum ſimulachra videt, Charitumque labores,
Ingeniique notam, ſecumque hæc talia fatur:
Te ſequar Amſteliæ gentis decus, inque tuis nunc
Fixa pedum ponam preſſis veſtigia plantis,
Atq; umbræ ſpatia iſta tuæ relegamq́;, premamq;,
Ne cupidis oculis, ne quà elabaris amanti.
Tu patrios cynoſura lares, tu limina monſtra,
Mox adeunda mihi, primos cum Veſperus ignes
Extulerit, Phæbeque meos teſtabitur ignes.
Succeſſus doctrina juvat mellitaque tanti
Suada viri, variumque ſibi facundia ſchema
Fabricat, & gaudet ſic perſuaſiſſe puellæ.
Dixiſti: Sum virgo tuus. nihil illa regeſſit.
Dixiſti: Sum virgo tuus. ſubriſit amanter.
Ter dicis: Sum virgo tuus. penè annuit illa.
Moxq́; iterũ dicis: Solve hunc mihi virgo dolorem,
Et vitæ me redde meæ. ſuſpenſa labaſcit
Virginitas, & victa ruit conſtantia verbo:
Sum tua: me ſponſam, te ſponsũ eliminet Hymen.
   Felices animæ; quali ſocianda marito
Ingrederis Barlæa domum, pilentaque ſcandis
Aonidum vectura decus. tu conjuge in iſto
Pierin, & cunctas aufers pro dote Camœnas,
Ipſaque Thymbræum donant ſponſalia Phœbum.
Quæ propior Ducibus facies? quis gratior aulæ?
Quanta ſalutantum foribus præludit in ipſis
Turba petax; cui Naſſovii reſponſa benignus
Et reſcripta ferat. Iam te venerabitur Haga,
Nomina laudabunt vates: jam clara poëtæ
Vxor eris, decoriſque ſui dat jura Britannus.
Nec tu Sponſa minor propriis inſignibus annos

Illuſtras, ſexumque tuum. ſit Portia fortis,
Sit Caſſandra ſagax, venturi præſcia Manto,
Doctaque Papinii conjux, celebreſque Corinnæ,
Te noſtro pietas ſpectabilis eximet ævo.
Lætior intereà vicina per oppida tædas
Fama vehit, glacièque rigens pater Amſtela Tejæ
Nunciat, ille mari, lateque patentibus undis.
Non Tameſin Galatea, nec hoc neſcire Garumnam
Cymothoë voluit. Tyrrhena per æquora Triton
Inſonuit thalamos conchâ. quaſcunque per oras
Pierides vexere virum, communibus omnes
Applaudunt animis, votiſque faventibus adſunt.
Quod ſi Vere novo, & Zephyris perflantibus orbe,
Fœdera junxiſſent Superi; viridantibus Haga
Annueret foliis, cantataque porticus umbrâ
Par calidum gelidâ tegeret, tiliaſque ſuperbas
Glandiferoque cavas agitaret vertice quercus.
Nunc, quod ſola poteſt, pulchrâ veſtita pruinâ
Candet, & oppoſitos recreat candore penates.
Et licet inviſo rigeat ſub frigore cœlum,
Vult aliquà prodeſſe tamen. nova ſidera nuptis
Parturit, hybernaſque faces extrudit Olympus,
Innumeriſque micat flammis æſtate negatis.
At te felicis præſagia proſpera lecti
Conſtantine juvent, &, cum te Sponſa maritum
Mox faciet, poſcetque iſto de patre nepotes,
Amplexus inter faciles, riſuſque jocoſque,
Intempeſtivum poteris riſiſſe poëtam.

PHALEVCVS
ad Sponſum.

QVot tu carminibus canis puellas:
Quot laudas Batavûm Batavus urbes:
Quot taxat tuus ordines character:
Quot pulſas fidibus chelyn canoris:

Quot

Quot terras populoſque permeaſti:
Quot linguis loqueris diſerte vates:
Quot pernox numeras faces amator:
Quot te canziduli colunt ſodales:
Quot tu candidulos colis ſodales:
Quot leges veneraris Vlpianas:
Quot ſignas tabulas petacis aulæ:
Et quot baſia perlegis Catulli:
Tot jam baſiolis bea maritam;
Tot te baſiolis beet marita.
Et poſt millia baſiationum,
Poſt tot murmura, poſt leves ocellos,
Poſt flexus, heliceſque brachiorum,
Fac, quod fas tibi factitare Sponſo:
Fac, quod fas ſinit haud negaſſe Sponſam,
Vni dicere ſit pudor poëtæ.

PROPEMPTICON,

Ad Nobiliſſ. & Generoſiſſ. Dominos,

D. IOANNEM GEORGIVM,

ET

VVENCESLAVM CIGAN,

Fratres, quum relicta Batavorum Academia Sileſiam repeterent.

MAgne maris Nereu domitor, qui gurgite vaſto
Battavicis gelidā ſecludis finibus Arcton,
Et procul offenſi victrices Cæſaris iras,
Et debellatum ſpectas è fluctibus Albim:
Tuque, per æquoream pandens tua littora Thetyn,
Terra potens, mediumq; bibens Germania Rhenū,
Sumite depoſitum, Batavis quod reddimus oris,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Nec veſtros violate deos. compeſcite Martem,
Et ſtrictos geminis avertite fratribus enſes,
Si veniam meruit pietas, ſi neſcia fraudum
Pectora relligio eſt manibus temeraſſe profanis.
Nõ noſtrũ eſt, quod fertis, onus, ſed nomina vobis
Et patriæ ſperata ſuæ, quibus otia tellus,
Et conjurati ſpondent ſua commoda venti.
Sat pelago trux ſævit hyems, & bella minantes
Disjecit Iovis ira rates. hæc pacis alumnos
Cymba vehit, ſolumq́; ferunt pia carbaſa Phœbum.
Cædibus Europæ maduit caput, efferus enſis
Vangionum triſtes maculavit ſanguine terras,
Et Bojos fato domitos. ſua damna triumphans
Auſtriacus dolet, & victrix fortuna ſuorum
Morte cadit, proprioſque obitus ulciſcitur ultrix.
Hoc regum trahit ira nefas, ſceptrique furores
Inſons turba luit. ſed vos jam parcite dextræ,
Aſſuetæque malis animæ, tinctæque recenti
Cæde manus, donec tantum Sileſia pignus
Poſſideat, Viadruſque ſuas exponat in oras.
Ambulat innocuus candor, generoſaque mentis
Simplicitas, doctoſque agitans prudentia ſenſus.
Nec ſapiens, quæ vulgus amat. nil caſtra morantur
Aonides, neuterque ſuâ cum Pallade Apollo eſt.
Præſidium doctrina petit, nec noxia cuiquam
Nobilitas faciles poſcit per compita greſſus.
Ciganei proceres patriis conſidere terris,
Et reduces adolere parant altaria donis.
Magna loquar, migrant celebris chariſſima Leydæ
Corcula, & externæ clariſſima nomina gentis,
Et Batavæ telluris honos. agnoſcite Belgæ,
Quas dudum ſervaſtis, opes, quas Odera vobis
Credidit, & noſtris formandos miſit Athenis.
Scilicet eſt aliquid peregrinos viſere Soles,
Nec tantum ſapuiſſe domi. mens libera quærit
Exilia, atque foris poſitum miratur honeſtum.
Illa

la Deûm ſedes, Superûmque invita penates
Mortali mutavit humo, mox corpore rurſum,
arceribuſque abitura ſuis. cur horreat orbis
articulam mutare aliâ? cur ſemper in uno
tare loco, patriæque velit ſe affigere glebæ?
Undique, quà geminos tollit, vel deprimit axes
Naturæ mundique labor, quaque incubat undis
ornicibus domus alta ſuis, virtutibus ingens
Porrigitur ſpatium, nec fervens cura ſciendi
iſtitur, ulteriuſque cupit furor iſte vagari.
ndia bis geniti redimivit tempora Bacchi,
Argolicoſque duces, & Grajæ nomina terræ
Theſſàlicus pellexit ager. Tirynthius olim
Hoſpes in extremis conſedit Gadibus heros,
Alcmenæ matriſque ſatur. defoſſa metalli
Pondera in ignoto Batavûm ſolertia mundo
Quærit, & immenſum circumfert vela per orbem.
Non Ithacum tenuere lares, geminoſque Mycenæ
Atridas, abiit Latio dimiſſa Iuventus,
Cecropidumq; ſtetit tandem novus advena portis.
At vos Hercyniis vicinas ſaltibus arces
Liquiſtis fortes animæ, Belgaſque videndi
Cauſa fuit magno libertas Principe tuta,
Nec victæ regionis amor, ſacrataque Muſis
Limina, & in mediis naſcens ſapientia bellis.
Non hic fallacis ſcelerata inſania ſecli
Aſperſit labem generi, non improba Siren,
Nec Circe potuit caſtas inflectere mentes,
Aut ſcelerum ſuadere modos. dulciſſima vitæ
Otia Romanæ rapuerunt tempora chartæ,
Et modo ſurgentis Romæ, modo fata cadentis.
Quin ubi majores mens volveret ardua curas,
Socratica dulcis Sophiæ latuiſtis in umbrâ,
Aut Themidos ſacro didiciſtis jura receſſu,
Et veterum noſtro verſaſtis ſidere leges.
Nunc Patriæ vos cura vocat, blandique penates,
Bello-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Bellorumque immune ſolum. jam grande laborum
Terra parens deſignat onus, ſubductaque Marti
Imperia, & claros offert reſpublica faſces.
Illuſtres virtute viri, nec ſanguinis ortu
Degeneres, proavûm nulli ſplendore ſecundi,
Felici remeate gradu. nos proſpera vobis
Vota damus, fremituque afflamus vela faventi.
Cymothoë placidis calcans vada cœrula plantis
Sternit aquas, toto ſubſidunt æquora ponto,
Aſſilienſque rati proram levis alluit unda.
Et, quia ſacra Deis fratrum concordia, fulgent
Placatos inter Pollux cum Caſtore fluctus.
Ipſe etiam Æolio dimiſſus carcere ſentit
Iuſſa Deûm, laxatque ſinus, & vela ſecundus
Auſter, & à puppi ſurgens comitatur euntes.
Et jam læta novos recipit Sileſia vultus,
Et dominos vehit Elſa ſuos, jam Niſſa fluento
Luxurians ſociâ gaudens laſcivit in urbe,
Aggeribuſque excuſſus abit. jam Ciga triumphans
Civiles veſtro damnat ſub nomine rixas.
Illic conſiliis populos, & legibus urbes
Flectite, ad exemplum moderantûm cunctaDeorũ,
Seu pacem fortuna dabit, ſeu barbarus hoſtis
Inferet Hungaricis funeſtum finibus ignem,
Et turbata quies diſtrictos porriget enſes.
Illic Auriaci magna ornamenta Lycei,
Et ſeris victura etiam memorabitis annis
Nomina. ut, Auſoniæ decus immortale loquelæ,
Vindicet æternos Batavis Cunæus honores,
Et Latii genium, & priſcas promittat Athenas.
Illic Barlæi faciles in carmina Muſas,
Et Voſsî facunda mei narrabitis ora.
Mox ubi feſta dies hilari decurret Iaccho,
Auguſtos inter proceres, cognataque vobis
Stemmata, Battavicæ referetis robora terræ,
Hinc pelago cinctos populos, hinc milite tutum
Aut

Aut Moſa Vahalique latus: duo fulmina belli
Naſſavios: pulſum obſeſſis à mœnibus hoſtem:
Occiduis nuper victos in partibus Indos:
Et tandem captæ obſidium memorabile Bredæ.

Ad Nobiliſſ. Virum

D. CONSTANTINVM HVGENIVM, EQVITEM,

Febre correptum.

DI, quibus imperium eſt vitæ, Batavûmque ſalutis,
Tuque Deo prognate puer, quo vindice rurſus
Oſtendit laceros lætis mortalibus artus
Hippolytus, tantoſque potens medicina dolores
Leniit, & vanos obitus riſere quadrigæ:
Incolume hoc ſervate caput, quo ſoſpite gaudent
Aonides, hederamque comis, laurumque capillis
Implicuere Deæ; cujus Parnaſſia latè
Carminibus delubra ſonant: nec ſola diſertos
Addidicit gens noſtra modos; cui Gallus & ipſa
Mancipat Auſonias Cypris feſtiva Camœnas:
Nec generoſa ſuos vati ſubtraxit honores
Albion, & Latiæ permiſcens verba loquelæ
Vandalus indomitos juvenum dictavit amores.
Quid mihi fatales Lacheſis, feſtina nocendi,
Præcipitas irata colos? cur ſtamina velox,
Dignaque perpetuâ florentia fata juventâ
Mortiferis adflas odiis, & ſidera morbis
Et totum veſana malis adſpergis Olympum,
In charos violenta lares. arceſſite manes
Numina, & infeſti pateant tot febribus hoſtes,
Et ſecli ſecura cohors, quibus otia Soles,
Virtutumque trahunt lentas faſtidia luces.

Hi pereant, queis vita perit: queis fama vacillans
Ægrotat, marcetque levis flos integer ævi,
Nec patriæ ſapuiſſe placet. cur corpora conſtent,
Queis animæ vis celſa labat, viviſque fatiſcit,
Et moritur pars magna ſui? ſat juris in illos
Mors habet: hi tremulo ducent veſtigia greſſu,
Quos ſanos vixiſſe pudet. vos nobile pignus,
Vos Batavis ſervate virum, quo Belgica vate
Gaudet, & æternis inſcripſit nomina faſtis
Cattus, & antiquæ reparat diſpendia linguæ.
Hos vetuit ſua Muſa mori, fatique triumphis
Eximit, & cœli donat clementia ſeclo.
His naſcens Aurora jubar, primoſque jugales,
Commodat, his facilis pandit ſua lumina Titan,
Et vigiles demulcet equos: his provida ſeros
Continuat natura dies; inimica fugantur
Sidera; manſuetis famulatur nubibus æther:
Morbidaque avertunt memores contagia Muſæ.
Phœbe pater, totum medico cui ſufficit Hæmum,
Odryſiumque nemus, Patareaque rura miniſtrat
Terra parens, ægri ceſſas memor eſſe poëtæ?
Nec te docta chelys, totumque audita per orbem,
Trãs Ligerim, Rhodanũq;, Alpinaq; culmina, colles
Oxonios, tetigiſſe poteſt? cur noſtra moraris
Vota Deus? tu conſilio fulcire ruentem,
Tu ſanare potes. tu mitia ſidera noſti;
Totque ſoli cœlique vices; quæ tempora Lunæ
Deſignet fatale jubar: quo lumine proſit
Signifer, & quali Stygiis revocentur ab oris
Pallentes virtute animæ. non Lemnia tellus,
Aut Cretæ te gleba latet: non divitis Indi
Balſama, non pingues ſucci, quibus ipſa ſororum
Penſa trahas, ducaſque tuo ſub pollice fuſum.
Reſpice quà lætis frondet ſub saltibus Haga,
Et gelidam præbet turbis ſpatiantibus umbram,
Quà meus afflictos languens Hugenius artus,
Affectam-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Affectamque animæ ſedem, atque ignava tuetur
Membra dolens. blandum capiti circunde papaver;
Succurrat Panacea favens. ne turbida Morpheus
Objectet ſimulacra vagus: ne vanus inani
Phantaſus illudat ſpecie, vel ſæva Phobetor
Ora ferat: lenes reſtaurent robora ſomni,
Et medicis valeat ſerpens Epidaurius herbis.
Redde virum nobis, reddas tibi, redde Deorum
Concilio, Batavûmque duci. tu vota ſecunda.
Intereà abſentem mœrens affabor amicum.
Heu Patriæ ſpes magna jaces, pigroq́ue cubili
Languidulum demergis onus; nec gratia vultus
Priſtina, nec ſolitam generoſa modeſtia frontem
Explicat: immites urunt præcordia febres,
Diſtendit fera flamma caput, vicinaq́ue menti
Lancinat æthereis cognatam ſedibus arcem.
Hei mihi qualis eras, cum circumfuſa loquentem
Curia, cum læti ſpectarent ora clientes,
Dictaret reſponſa Themis: tibi plauderet aula,
Gauderent te roſtra viro. Iam dextera languet,
Cui toties deſcriptus amor, Veneresq́ue, jocique,
Et quicquid Cytherea probat, fallaxque juventæ
Ingenium: quæ laudet amans, quæque oderit idem;
Quæ cupiat, nolitque furens. vis tanta reſedit,
Nec vatem ſinit eſſè calor. pejorq́ue furorem
Obtũdit, Phœbumq; furor, flamma altera flammã,
Faxque facem. non labra ſiti tibi torrida fontes
Caſtalii, Cirrhæque liquor, ſed pharmaca mille
Simplicibus decocta rigant. nunc altera potas
Flumina, nunc tetricus tibi faſtidita Machaon
Fercla parat, dubiaſque docet dediſcere cœnas,
Aut Curii præſcribit olus: vel quale ſub ipſo
Fabricius conſulque bibit Serranus aratro.
Iam vegeti nutant greſſus: nec limina calcas
Auriaco calcata duci. jam Principis hærent
Et Domini reſcripta tui. ſuſpenſa canorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Iam damnat teſtudo melos, fidibuſque remiſſis
Triſtia languenti reſonat lamenta magiſtro.
Adſpice mortalis fugientia ſecula vitæ:
En fragile eſt, quodcunq; ſumus: dum vivimus, inter
Mille modos lethique vices verſamur, & unus,
Vel levis, ad mortem nobis ſuffecerit error.
Non tituli, gentiſque decus, non tacta Deorum
Colla manu, aut Tyrio ſaturatæ murice veſtes,
Non totam complexa Themin, non ebria Phœbo
Pectora ab ægroto deducunt corpore febres.
Diffluimus gens nata mori, pariterque ſerenum
Ordimur cum morte diem: quâ veſcimur aurâ
Fati cauſa latet, ſecretaque ſemina lentos
Conſtantine fovent obitus: ſua funera ſecum
Circumfert moriturus homo: ſuſpiria, tuſſes,
Et luctus, fomenta malis, & prævia præbent
Inſtantis documenta rogi. Mens ſola Deorum
Expectat ſecura domos, & conſcia cœli,
Quas optat, meditatur opes, nec noxia tabo
Sidera, nec diris minitantem afflatibus æthram,
Aſtrorumque timet vultus: capit illa laboris
Lenimenta ſui, & magni promiſſa parentis
Verſat, & ingentem volvit ſub pectore Chriſtum.
Hæ ſubeant animo voces, hæc ſenſa ſuperſtes,
Hoſce tuo languens monitus concede dolori.

Ad Apollinem, pro reſtitutâ

CONSTANTINO HVGENIO

valetudine,

Carmen votivum.

PHœbe pater, cujus triplici ſub numine numen
Et Claros & Tenedos coluit: cui carmina cordi
Et jaculis armata manus, victrixque labantes

Inſtaurat medicina dies, ac languida motus
Debet vita ſuos, ereptaque nomina letho:
Iam grati tibi thura damus, Rheniq́ue ſub ipſis
Finibus accenſis fumant altaria donis,
Et Batavûm tibi flagrat ager; dum læta renidet
Auxilio natura tuo, & properantia ſiſtens
Stamina, fatales hoc ſaltem in corpore luces
Deſpicit, & magno producit lumina vati.
Agricolæ lectis Cereri de rure maniplis
Sacra ferunt, placat Bacchum caper omnibus aris,
Odryſium taurus, magno centena parantur
Buſta Iovi, Triviæque truces deliniit iras
Cerva cadens. Tibi nos priſcos mactamus honores,
Taurumque, & raptas calidâ de matre bidentes,
Quoſq; ſacrat tibi Perſis equos. mihi Pegaſus alter
Fundit aquas, aperitque ſacri faſtigia montis
Vngula, quo totos deſpumet pagina fontes
In laudes Thymbræe tuas. tu carminis audis
Vota mei, ſoſpeſque tuis Hugenius herbis
Rurſus inoffenſo ducit veſtigia greſſu,
Iamque redux à morte valet, Muſiſque renaſci
Incipit, & lentas cantu proſcribere febres.
Qualis ubi æſtivas inſana Canicula meſſes
Verberat, inflexo nutant Cerealia collo
Pondera, & arentes ſuccumbunt ignibus agri:
Tum melior poſtquã aura diem, fecundaq; longas
Diſpulit unda faces, redeunt ſua robora culmis,
Vita ſatis; & quæ poterat periiſſe videri,
Spes dominum rediviva levat. non ſola vetuſtas,
Mæonideſque pater, vel ſacris nobilis hymnis
Callimachus tua facta canet; tibi tempora dicent
Votivum quoq; noſtra melos, tibi ſcribimus hymnũ
In Batavis, tanguntque pios tua numina Belgas.
Plus Deus Hippolyto ſanas, quem ludicra vatum
Diſcerptum commenta ſtupent, ſuperiſq; renatum
Mendaces cecinere tubæ. plorata reducit

Funera,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Funera, & extinctum falſis Epidaurius herbis
Excitat Androgeum, & Trojæ ſub mœnibus altis
Ficta Philoctetæ ſanavit crura Machaon.
Cedat Phillyrides, Amythaoniuſque Melampus,
Et Grajis qui præſtat opem Podalirius ægris.
Tu cunctis plus Phœbe juvas, diſruptaque penè
Federa tot vatum reparas. ſanantur in iſto
Corpore Pierides: afflictaque brachia lætæ
Permiſcent Charites. animâ Barlæus in illâ
Soſpes abit, vivitque iterum: communis utriq; eſt
Vna ſalus, commune decus: langueſcimus iiſdem
Deficimuſque malis: rurſumque juvamur iiſdem
Erigimurque bonis. hæc ſors redamantis amici eſt,
Hic Pyladem teſtatur amor, devincit Oreſtem,
Pirithoumque fides. En quanto patria plauſu
Lætitiæ dat ſigna ſuæ. venerabilis aulæ
Gaudia diſſimulat Princeps. dulciſſima mater
Non morbi ſpatia ampla dolens, ſed cuncta ſalutis
Expendit momenta tuæ. non Curia fratris
Tardari triſtatur iter. generoſa ſorores
Lumina detergunt lachrymis, nec fletibus ultrà
Ora rigant, lætæque queant placuiſſe puellæ,
Dum ſolitus redit ore rubor; caſtique lepores,
Blandaque ſperantes facundia flectit amantes.
Pandite vos Helicona viri, cantuſque ciete
Turba poëtarum; nec tu celebrata Camœnis
Anna ſoror ſuſpende lyram: licet iſta maritus
Ocia & ingratas forſan faſtidiat artes.
Oſcula tantiſper, tantiſper baſia differ,
Neglectuſque tuâ jam ſaltem parvulus aulâ
Luſitet Aſcanius, donec ſolennia Phœbo
Carmina & incolumi ſuſpendas vota poëtæ.
Traxerat Eurydicen Stygiis Rhodopeius Orpheus
Sedibus, unanimi Thrace cum barbara plauſu
Accinuit reduci. nec, cum pallentibus umbris
Exiit audaci Theſeus juratus amico,

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Et tremeret Styx atra duos, ſua gaudia preſſit
Græcia, at invicto ſuſpendit ſerta ſodali.
Nunc etiam ſua jura neci, Ditique triumphum
Abſtulit illa dies, ſpoliumque invidit Averno;
Quâ novus, & fractos reparans Hugenius artus
Ambulat, & ſolitis laſſat palatia curis,
Aut turbata ſuis accommodat organa cannis,
Aut doctum modulatur epos, vel ſidera ſpectat
Æqua ſibi, Superûmque domos metitur, & ortus
Flammarumque citos obitus, vel verba diſertus,
Et ſua in innumeras diffundit nomina gentes,
Linguarum fandiq; potens. Quid maxima ceſſas
Gloria Toxandrûm, Batavi vox prima Senatus,
Grande decus vatum, Catſi? ſi femina, virgo,
Si Memphis laſciva ſuos ſuggeſſit amores,
Si matres meruere cani, & ſua munia per te
Præclaræ didicere nurus, docilisque reperta eſt
Battavia, aſſerto potius jam barbita vati,
Et Clario concede Deo. Iam littora Nerei,
Naiadumque chori, vicinaque numina Fauni
Exiliunt, recubanſque aliquis ſub tegmine fagi
Exſtinctum nondum crudeli funere Daphnim
Ingeminat calamis Corydon, vel gutture Phyllis.
Quæque viri forſan thalamos Galatea ſubibit,
Sic gaviſa canit: Vos hoc venerabile Belgis
Depoſitum ſervate Dii: ſi ſidera poſcant
Indigetem, ſerò Superos & limina Divûm
Adſpiciat patrio proles contermina cœlo.
Spem faciat ſobolis, venturorumque nepotum,
Quem totum periiſſe nefas, nec clarior orbis
Incola languenti prorſus ſua ſubtrahat ævo
Nomina. quæ paribus patrem virtutibus æquet,
Progenies tantos decoret victura penates.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

LAVDATIO
HORTVLI,

ſiti in agro Leydenſi, extrà portam Rhenoburgicam, intrà primum ab urbe lapidem.

Hortule, Apollineos toties cui ruſtica cantus
Pieris ingeminat, foliiſque inſtillat amorem
Carminis, & lenes reſonant arbuſta Camœnæ:
Hortule, qui feſſæ toties ſolatia menti
Sufficis, & tetricas curis levioribus horas
Delinire ſoles, & poſt abrupta laborum
Ad ſecreta vocas, Zephyris perflantibus orbem,
Fecundos jam pande ſinus, almæque parentis
Depoſitum, meſſemque avido promitte colono.
Ceſſit hyems, ceſſere trucis faſtidia brumæ,
Sideraque in faciles nimium crudelia Belgas.
Occidit effuſa glacialis Aquarius urna,
Nec Piſces cum Sole meant; Ledæa pererrat
Aſtra Phlegon, laxiſque dies expandit habenis,
Et matutinam vocat ad mulctralia Niſam
Purpureis Aurora genis. fumantia tauris
Tergora laſſat ager, diſciſſaque vomere tellus
Solvitur, & cupidis admittit ſemina ſulcis.
Sic terris ſua vita redit, cœloque parente
Concipiunt animas, naturaque fœta laborat,
Et varium molitur opus. me conſcia veris
Vis agitat, pigrumque jubet ſecedere mundo,
Afflatum propiore Deo. nova gliſcit ab imo
Pectore Muſarum rabies, eademque poëtam
Tempeſtas annumque facit. cœlique calore
Pierides & Veſta calent. juvat ire per horti
Delicias laudeſque mei; poſitiſque coronis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

ec jam Daphnea redimitus tempora lauro,
raxinea tenerum carmen meditabor in umbra.
Hortule, non ego te gelidâ regione Trionum,
rcadiæque jugis, vel duri ad Strymonis undas
uæſierim, Scythicoque ſolo, quà verberat Arctos
roxima frigentes populos, frenoque coercet
ereides immane gelu, noctemve diemve
ontinuat cœli facies, & rectior orbis
achina partiri neſcit cum luce tenebras.
ec te Sole rubens, torrenſque caloribus Indum
ona tenet, non uſtus Arabs, non indigus undæ
fer, & ardenti tellus vicina Canopo.
e, cum vaſta ſuis terrarum corpora quondam
igereret Deus ipſe locis, diviſaque ſedes
cciperent elementa ſuas, Solem inter & Arcton
onditor in Batavis poſuit; ne fervidus Æthon
reret, & ſiccas radiis eliderct herbas,
ut frigus tardaret iners. tibi temperat æſtum
rigoribus natura favens. Tu languida Rheni
lumina, Teutoniciſque ruentem ſedibus amnem
iſtis, & hîc nullo metuendum vortice lambis.
unc ſitiens æſtate bibis; tibi pocula læto
ufficit, & tremulis ſtagnans allabitur undis.
ic Latiæ ſteterunt aquilæ, ſua caſtra Quiritum
e circum poſuere duces. te, miſſus in orbem
axo Britanniorum, Tameſinaque littora, preſſit,
ngiſto ductore redux. admurmurat undis
ceanus, propiorque ſuas advolvit arenas
hetis, & albentes circundat cærula colles.
ortule Hamadryadum requies, Fauniq; voluptas,
t Pani dilecte Deo, Corydonis amores,
elicium pueris, ſtatio ſecura puellis,
uam te læta Pales pratis viridantibus ambit
ndique, quam laxis ſuccreſcunt gramina campis,
t circum tibi ridet ager. quam plurima paſſim
aſcua tondet ovis, diſtentaque cernitur Io,

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Sed dudum neglecta Iovi. ſpatioſa vagantur
Flexipedes per prata boves, armentaque fervens
Taurus init, reparatque ſuæ diſpendia gentis.
Hîc, quibus in tenera jam ludunt cornua fronte,
Imbelles ſpectes vitulos, molleſque juvencas,
Erranteſque procul tenera ſine matre bidentes.
His permixtus equus campo ſeſe arduus infert,
Impatiens freni, & multum ſpumantis habenæ,
Lanigeraſque inter pecudes generoſa profuſis
Immergit ſua colla jubis, belliqúe furores
Concipit, & nondum conſpecto iraſcitur hoſte.
Vndique cæruleum ſpatioſo fornice cœlum
Incubat, & ſuperûm ſublimes explicat arces,
Flammiferumque globum Solis, Lunamq;, Deoſq;
Objicit, & vario labentia ſidera motu.
Nullæ oculos ſiſtunt ſilvæ, non lumina montes,
Laxa patent ſpatia,& vaſti pars altera mundi.
Non aliter Latiis Circæa cacumina ſurgunt
Littoribus, Bajæque nitent; ubi tramite longo
Tyrrhenos ultra fluctus, Siculumque profundum,
Imminet adverſis æther declivior Afris,
Italaque oppoſitum tellus adſpectat Atlantem.
Plus illum tu Leida beas, laudeſque tuorum
Pars ſentit tantilla tui. Tu mitia Muſis
Otia das, ſpretaque novos Libethride lympha
Diffluis in latices. mediis non Pallas Athenis
Quæritur, Aoniæ Cirrham liquere ſorores,
Ipſa Claros Phœbum Deloſque antiqua requirit.
Hîc habitant vates, hîc numina docta ſerenos
Doctrinæ poſuere lares. nova naſcitur in te
Græcia, Cecropidæque novi. nunc altera Belgis
Auſonia eſt. in te Latialis Roma renaſci
Incipit. hîc varias induſtria parturit artes:
Dictat jura Themis, diſtinguit crimina recto
Relligio, & lentis remoratur ſtamina fuſis
Parcarum Medicina potens. ſua viſcera pandit
Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

c cæcos natura ſinus, verique receſſus,
ncipiteſque aperit rerum Sapientia cauſas.
æc fundi laus prima mei eſt, hac ſorte ſuperbit,
t ſibi vicinæ præconia vendicat urbis
ot Muſis illuſtre ſolum. ſit milite fortis
eſperiæ pugnacis ager: ſit Gallia Baccho
obilis; illuſtret candenti marmore regum
ecta Ligur: niveum peregrinis India regnis
littat ebur: fundant molles ſua thura Sabæi:
æc loca venturis doctorum gloria ſeclis
onſecrat, & totum diffundit fama per orbem.
Dic mihi purpurei gratiſſima filia Veris
lora, quibus tenerum nuper conſeveris hortum
loribus, & quales pingant virgulta colores.
rboreos tu Faune ſenex ediſſere fetus,
icite laſcivæ Barlæi rura Napææ,
icite, Hamadryades, agreſtia numina, Divæ,
oſcida diſparibus naſcentia germina formis.
ſſurgant patulis argentea lilia labris,
uę violent candore nivem, vel odoribus Hyblam.
æc inter croceo pubeſcunt altera vultu,
uæ vincant fulgore diem, Soliſque laceſſant
umen, & Aſſyrio rutilantem murice pallam.
unt violæ molles; ſunt, quas clementior aura
ducat, at nullo nocituri vulnere dentes;
t crocus auricomans, & gloria veris adulti
rinitæ per colla roſæ, quas Cypris Adoni
ſpergat ſtudioſa ſuo, rapiendaque jamjam
egerat in Siculis gradiens Proſerpina campis.
îc quoque, Threiciis ad nos tranſmiſſus ab oris,
los viret, imperiique decus regale Coronæ
ceptrorumque notant facies. hîc lumina paſcit
ulparum venerandus honor, preciumque coloris
irantur tam grande ſui. ſtat margine quædam
iſcolor, hæc varia folium vibice flagellat,
anguineis hæc tincta notis, hæc cærula fundo eſt,

Hæc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Hæc umbone rubet, fulvumque intermicat illi,
Illi purpureum. totos facundia fontes
Laxat, & hac ipſa Batavus jam cernit in herba
Stultitiæ documenta ſuæ, digniſſima cenſens
Hæc luxus fomenta novi, curaque virili
Indignas telluris opes. appenditur auro
Immitis ſpolium Boreæ, brumæque rigentis
Opprobrium, & centum pignus violabile cauſis.
Non Veneri ſacræ myrti, ſeróque comantes
Narciſſi, nardique deeſt fragrantis ariſta,
Et cum luteolo rutilantia fraga hyacintho,
Cecropiumque thymum. criſpas de ſentibus uvas
Pendentes latè videas, totoque rubentes
Cortice, & è teneris tot pendula corpora ramis.
Hîc etiam ventres minuens lactuca tumentes,
Et molles malvæ, cichoreaque frigida laxis
Succreſcunt ſpatiis: fabrorum prandia betæ
Hîc ſapiunt, & quæ betis ſe jungere gaudent
Ventoſæ ſtant lege fabæ. quas expetat ipſe
Pythagoras, ſolaſque ſuis commendet alumnis.
Parte alia intortis erecto ſtipite piſis
Floret ager: juxtà gravida qui naſcitur alvo,
In ventrem cucumis, prægnanſq; cucurbita ſerpit.
Delia fatidicas ceſſent attollere lauros
Littora, Cæſareos quæ cingant ſerta capillos,
Hinc, Romane, petas. hîc versā amplectere Daphnē
Phœbe pater, cauſamque tui mirare furoris.
Et, tu Bacche, meis Acheloia pocula miſce
Vitibus, & plenis latices extunde racemis.
En ſucco vineta tument, ſuppoſtaque botros
Tecta levant, petiturque meâ vindemia curâ.
Hæc circum lentæ ſalices, tiliæque ſequaces,
Et nux juncta viæ ſpatioſis frondibus umbram
Explicat, & pando protrudunt frigora dorſo,
Oceanique gravem nocituram frugibus auram,
Et latus immitis Boreæ, multumque rigentem
Hiberno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Hiberno ſub patre Iovem. diſpendia cæli
Porrigimus Batavi ſtudio, ſylvaſque procellis
Objicimus, doctique truces eludimus Euros.
Hîc recubans magni miror fundamina mundi,
Autoremque Deum: quot ſe ſapientia formis
Pandat, & unde ſuas arceſſant ſingula cauſas.
Quæ vis cuncta agitet, quæ tot diſtincta figuris
Corpora, & æſtivos pingat ſolertia flores.
Cur huic cæruleus, cur ſit color aureus illi:
Hic bulbo, teneris alius radicibus agris
Hæreat; in mediâ cur creſcant colchica brumâ,
Anticipet ver helleborus; funeſta furentem
Expectent aconita Canem: cur flexus ab ortu
Tendat in occaſum, medio declivis ab axe
Phœbææ comes ille facis: cur præpete fato
Una dies natos hos cernat, & una peremptos.
Antè oculos ſtat cura Deûm, & venerabile cunctis
Numen ineſt foliis: ſtant circumfuſa Deorum
Munera: jam digitis prenſas, jam lumina ſpectas
Ingenii cœleſtis opus: jam proxima guſtat
Artificem natura ſuum. latet ipſa ſub herbis
Majeſtas Superûm, & mediis ſpectatur in arvis.
Quod ſi manè diem roſeis Matuta quadrigis
Vectet, & humanos opera ad conſueta labores
Invitet Thaumantis Eos, concentibus æther,
Et circum reſonant avibus virgulta canoris.
Triſte gemit ſocia viduatus compare turtur;
Paſſere vernat ager, qualis tibi Lesbia primos
Impetiit petulans digitos: perſtringit hirundo
Agreſtes laſciva lacus, & vertice in alto
Inſiliunt ramis imitantes omnia picæ.
Tu quoque, quæ medio pendes ſublimis inani,
Nuncia veris avis, pulchrâ ſub caſſide cantus,
Et dulces iteras modulos, ni carmina turbet
Turdus edax, picuſque loquax, & aquaticus anſer.
Et non Iſmariæ patitur clementia Divûm

Pellicis ore frui, (nec enim datis omnia Divi)
Quæ ſcelus infandum Terei, dirumque ſororis
Ploret torva nefas; gelidi non Phaſidis ales
Cernitur, aut Numidûm glocitâs gallina per agros.
In quorum ſubiere locum ranæque loquaces,
Veſpaque, & æſtivæ facundia rauca cicadæ.
Huc vocalis olor nitidis argenteus alis
Advolat, & totum cantu circumſtrepit hortum,
Fortè memor Ledæ, quærens, quam fallat, amator.
Heſperidum celebrant hortos præconia vatum,
Pomaque ſopito malè cuſtodita Draconi:
Theſſala laudantur Tempe: Baiæque tepentes,
Et quæ frugiferis Phæacum Autumnus habebat
Iugera culta locis: Helicon, & Adonidis horti,
Et quos ſublimi ſuſpendit in aëre dives
Aſſyria, & magnis cantata Semiramis auſis.
Audiat Ætna parens florum: ſit fertilis Hybla,
Spiret thuriferis Panchaia pinguis arenis:
Deſpiciant Siculos Pæſtana roſaria campos.
Hæc mea cantatis præſtant viridaria fundis;
Hæc Dryades, Dryadumq́; domus, villæq́; coronant;
Et propè inoffenſis VVarmonda tuetur ocellis,
Virginibuſque ſacer quondam locus, & ſceleratâ
Templa Deûm ſubverſa manu, quà proxima Rheno
Arx ſtetit, & veteres poſuere cubilia Catthi.
Illic rura jacent emptis celebrata caballis;
Nec procul à facili cantatæ Thaide ſedes:
Frondibus Endelgeſta latens, & flebilis, eheu,
Ruderibus domus alta ſuis. ſpectamus iniqui
Temporis invidiam, & veteris veſtigia belli
Poſteritas agnoſcit inops. mare, flumina, terras,
Oppida, tecta, lacus, celſoque minantia cœlo
Culmina ſemideûm tandem invidioſa vetuſtas
Deſtruis, & priſci laudes mala deprimis ævi.
   Hortule, jam fervet calidiſſima Solibus æſtas,
Et ſubit ardentem lampas Phœbæa Leonem,

Virgi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Virgineos ſubitura ſinus, & ſidera Libræ.
Da fructus, da fraga mihi, da mitia poma,
Iamque rubens ceraſum, mox autumnalia pruna.
Et pyra, & implexis pendentia vina racemis.
Hac colui mercede rudem: ſperataque de te
Spes hæc ſola fuit. nam poſtquam gratior orbi
Triptolemus pingui glandem mutavit ariſtâ,
Crevit cura gulæ, peperitque licentia luxum,
Tota nec in menſas ſuffecit terra ſuperbas.
Da requiem feſſo, poſtquam laſſata Sophorum
Vox mea voce fuit, poſtquam ſtrepuere penates
Murmure Socratico, & querulæ certamine turbæ.
Sic tibi ſit nullo nociturus Sirius æſtu:
Lenius inſurgant Cauri: non ſtrangulet herbas
Agricolis inviſa filix: non ſemina durum
Elidat perimatque gelu; non grandine florum
Colla labent: ſemper modicis deſtillet Olympus
Imbribus in Veſtæ gremium: ſic ſidera donet
Iuppiter æqua tibi, & venientes proroget annos.

In Rectoratum, ſive

PRÆFECTVRAM ACADEMICAM

Clariſſimi viri

PETRI CVNAEI, *Iuriſprudentiæ in Batavorum Academia Profeſſoris celeberrimi.*

QVIS Deus Auriaci clariſſima ſceptra Lycæi,
Et tantum tibi credit onus? num Delphica faſces
Aſſignant reſponſa novos, & præſcia fati
Deſtinat imperiis tacito cortina receſſu?
An, velut Eoas Medo conceſſit habenas,
Infremuit tibi lætus equus, fallaxque caballus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Auguſtum monſtravit iter: vel fixa parenti
Oſcula Palladiis ſacrarunt nomina regnis?
Num bello ubi partus honos, vel vindice dextrâ
Hos titulos fortuna dedit? num faſcibus hæres
Succedis, proavûmque capis moderamina rector?
Præficeris Phœbi laribus, dominumque ſalutat
Te ſupplex doctrina ſuum; nec juſſa minorum
Exequeris protrita Deûm. quin judice regnas
Naſſovio, tantique Ducis mandata capeſſis.
Scilicet aſſertor patriæ, terrorque Philippi,
Neptunum Veſtamq;domans,dum claſſibus æquor
Vindicat, & dubii librat diſcrimina belli,
Pieridum procurat opus, Martique miniſtrans
Expendit momenta ſcholæ: quò præſide in uno
Battaviæ ſtet tuta ſalus, nec fæda triumphet
Barbaries, placidaſque ferox exterminet artes
Odryſius, rudibuſque ruat facundia caſtris.
Inſedit labor iſte Ducem: geminiſque Batavi
Vincimus auſpiciis; & dum manus altera ferrum,
Altera Cecropiæ verſat conſulta Minervæ,
Arcetur maleſanus Iber, ſecuraque tollit
Pilea, & armorum captat ſolatia Belga.
Heu Pandioniæ Muſis patuiſtis Athenæ,
Doctorum fecunda domus; ſubverſa Cleanthis
Atria, Socraticique lares. mox priſca potentes
Eloquio roſtris donavit Roma Quirites,
Et Latii laus iſta fuit. migraſtis & illinc
Aonides, ſociaque vagus cum Pallade Phœbus
Conſtitit in Batavis, profugas ubi Leida Camœnas
Excipiens, placida tutas in ſede locavit.
Sunt regnis ſtudiiſque vices, pariterque curules
Et Muſas ſors cæca premit. tibi læta ſecures
Iam defert Schola noſtra ſuas, eademque poteſtas
Bis conceſſa viro, bis laudatura regentem,
Evehit, & dominum claris præfecit habenis.
Te rectore ferunt per amœnos Phocidis agros
Caſta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

aſtalios undaſſe lacus: gaviſa ſororum
tria felices tali moderamine faſtis
ſcripſiſſe dies. tu doctæ jurgia pubis
angere, tu fluctus, tempeſtatisque futuras
itare ſagax, facili ſermone mederi,
ritonumque minas poteras componere dictis.
c velut æquoreis prudens Palinurus in undis
ſidet intrepidus clavo, torquetque carinam,
decimis ſubducit aquis: ſeu fervida qualis
axat anhelanti moderator colla caballo
utomedon, calidæ nunc contrahis ora juventæ,
unc ſapiens laxas. nunc ſpernitur ira tacendo,
t rabiem mora parva domat: nunc efferus horret
ſſa furor, vultuſque timent reſponſa ſeveri
lcinoi, Lapithæque truces. ſi ſidera tentet
nceladus, ſuperiſque Iovem detrudere regnis
itanum fera corda parent, jamque ipſa vacillet
ajeſtas auguſta Deum, trepidique Senatus
egia, fulmineo audacem Typhoëa telo
ejicis, & natos cœlum reſcindere fratres.
on alium Latiæ gradientem clarius arces
onſpexere ducem, quoties capitolia conſul
canderet, & rigidæ tremerent antè ora ſecures.
e quoque, Apollinei generoſa inſignia regni,
ceptra beant, decoriſque micat regalis imago
mula. ſunt Phœbo trabeæ, ſubſellia, faſces,
uique Deum teſtetur, honos. tu pilea donas
meritis: tu ſudatis das præmia curis
rbiter, & claris precium decernis alumnis,
alladiæ tot jura togæ. tu juſſa Senatus
ranquillâ ratione regis, tantique ſuperbum
ominis officium, majeſtatemque verendam
iſſimulas, vultuque premis tua ſceptra modeſto.
dvolat ad tantæ totus præconia famæ
rbis, & in Batavo naſcentes littore Muſas
uævis terra colit. veniunt, qui muſtea Celtæ

Pocla bibũt, quos mittit Arar, rapiduſq; Garumna,
Velivoluſque Liger. picti venere Britanni,
Quoſque ferox longis abigit Germania bellis,
Pannonius, potorque Padi, Dacuſque, Gothuſque,
Vandalus, & nobis jam mitia nomina Cimbri.
Dat dextram, juratque fidem vicina Sicambrûm
Progenies, Friſiique, & qui ferus innatat undis
Toxander. pacemque tuis ſub legibus optant.
Ipſa Palatinæ majeſtas debita terræ,
Proles celſa Ducum, ſub te jam Præſide captat
Otia, & imbelles præclaris artibus annos
Mancipat Heroum ſoboles. his pulpita turgent
Vultibus, Aoniique lares: hæc purpura faſces
Irradiat veneranda tuos. ſic regia ſceptris
Parent ſceptra tuis, mandataque prælegis oſtro.
Ecquis Theſpiadas tali rectore ſorores
Reſpuat? aut quando ſtudiis meliora patebunt
Secula? quis vecors adeò, qui jungere tecum
Verba neget? cui victricem facundia palmam
Deſtinat, & priſcos Hellas tranſcripſit honores.
Nam velut immenſas lampas Phœbeia terras
Illuſtrat, pariterque fovet, lumenque coruſcum
Vtilitate probat, titulis illuſtribus addis
Doctrinæ documenta tuæ: quas dirigis artes,
Ipſe doces, ſociaſque tuis tot commoda curis.
Nonne vides quantis Academia læta triumphis
Emicet, & pleno doctorum fama theatro
Proſtet ovans, lambatq; altum invidioſa cacumen
Gloria? Iam clarus Themidos delubra ſacerdos
Ingreditur, querulique aperit ſpectante corona
Iura fori, lauroſque refert. Iam ſecta Galeni
Vadit iter laudum, & Coo ſolennia jurat
Verba Deo. jam quadrijugo Sapientia curru
Invehitur, vociſque tuæ ſuffragia ſperat
Terrarum, pelagique ſagax ſcrutator, & æthræ.
Quique ſalutiferum terris commendat Olympum,
Æthe-

thereoſque ſonos, & magni nomina Chriſti,
ıb tua ſigna venit. nunquam majore Lycæum
ıoventu Batavis tot doctæ pignora mentis
lidit. in cunctas meſſis tua funditur urbes.
xcipit hunc trabeata domus, roſtriſque diſertum
ræficit, ille levis caſtigat crimina vulgi,
ıque adytis, Superûm antè aras, oracula pandit
t cœli deſtillat opes. ſolatia morbis
landa Machaonia præbet ſolertia dextræ.
uſpiciis hæc cuncta tuis, hæc voce reguntur,
ıdiciisque vigent, deſpectaque rurſus Apollo
igna levat. mox fatorum currentibus annis
alladios iterum ſpondent tibi ſidera faſces,

OPERVM

Clariſſimi, Doctiſſimique Viri,

D. GERARDI IOANNIS VOSSII,
Heydelbergenſis,

Eloquentiæ, Chronologiæ, ac linguæ Græcæ apud Batavos Profeſſoris celeberrimi,

PANEGYRIS.

FElices Nemetum populi, tuque optime Nicri
Accola, cui placidas veteri de ſede Camœnas
Diſpulit Auſtriacæ furor implacabilis aulæ,
Cæſareaſque ciens aquilas & nixus Iberûm
Intrepidâ virtute Ligur; tot damna, viceſque
Imperii, & profugum mutato Principe Phœbum
Hoc uno ſolare viro: quem matre cadentem
Ipſe tuo fovit puerum Thymbræus in antro,
Vangionumq́ue Deæ. Iam deſine triſtior atros
Sollicitare dies, & quæ tibi ſecula currunt

Dura queri. ſparſæ rurſus coiëre ſorores,
Et reduces mens iſta capit. Permeſſus & omnis
Hac Helicon ſub fronte latet, ſociataque curas
Conglomerat doctrina ſuas, & fundit ab uno
Pectore Romanæ quicquid facundia linguæ
Grande loqui, aut Grajûm potuit ſapuiſſe vetuſtas.
Quo Batavus ſe jactet, habet; quo Gallus alumno
Surgat, & æternis inſcribant nomina faſtis
Hoſtiles Grudii. Latiis celebrata Camœnis
Scaligero Verona tumet, magnoque ſuperbum
Cæſare nomen habet. memores tibi *Voßius* annos
Scribit, & ingentis pandens proſcenia famæ,
Clara Palatinæ reparat diſpendia terræ.
  Oſtentare ſuos Memphis ſtudioſa labores,
Et Peluſiacâ potuit ſignare papyro
Arcanas veneranda notas, latuitque ſub umbris
Pallas, & Iſiacæ ſtupuit ſacraria lenæ.
Cum Memphi jam Perſa ſilet, veteriſque Minervæ
Ignorat Chaldæus opes, nec barbarus artes
Medus, & Eoos ſurgens Aurora magiſtros,
Brachmanaſque colit. tepuit Sapientia, fervens
Quam latè ſpatiatur Arabs, & neſcia veri
Incubuit priſco gravis ignorantia mundo.
Cecropidum viguere lares, & docta Cleanthis
Porticus, & dulci ſapiens vicinus Hymetto.
Deſipit & Latium, numeroſque Oenotria tellus
Pythagoræ meminiſſe nequit, Druidumq; loquaces
Conticuere ſcholæ. Tu prima Batavia Muſas
Colligis, & fractæ tabulas ac fruſta carinæ
Naufragio ſubducta tenes. Tu cincta profundo,
Armorumque inter ſtrepitus, lituoſque tubaſque,
Tranquillum meditaris opus, criticumque tribunal
Erigis, & Latiæ reſtauras jura loquelæ.
Adſpice Leida virum, quo judice victa fatiſcit
Barbaries, mordetque ſuas irata catenas:
Quique renaſcenti germana vocabula ſeclo
Suffi-

ufficit. hic ille eſt Phœbæi cenſor honoris,
egaſidum vindex, tot rerum ſcriptor, & ævi.
uid dignum memorare ſuo primæva vetuſtas
oſſit Atlantiadæ? qui culti vocibus oris
allentes nigris animas emancipat umbris,
utaturque reos, vel triſti merſit Averno
amnatum ſub lege caput, cum dura clienti
ntonuit mediis victrix facundia roſtris,
erſuaſitque Deus cauſas. mentitur in illo
abula; nos alias, *Voßi*, te Rhetore, leges
ccipimus, doctumq; forum. quibus artibus aſtris
nvehat Auguſtum, vel magni Cæſaris arma,
cipiadaſque orator ovans: qua voce furores
ncrepitet Catilina tuos: Syllamque ferocem,
t Senonum furias, ſævique incendia Brenni.
ut quæ Suada togam clypeis, quæ claſſica poſſit
gnavis præferre togis; Aſiæque potentis
ompeio decernat onus; quæ proxima morti
Colla levet, flectantque leves reſponſa Quirites,
Et victo trepidas eludant judice ſcalas.
Hæc Lyſias, Siculuſq; Corax, hæc Antipho quondam
Accîdit præcepta ſcholæ. vidêre priores
Vile rudimentum, & teneræ cunabula linguæ
Verſavit tum Stoa gravis: mox aucta Lyceo
Gloria, dicendique labor: fluxere diſerti
Hermagoras, Grajuſque Molon, & conditor artis
Hermogenes, Phalereuſq; loquens, & pagina Tulli,
Et Fabii clamantis opus, luſuſque Theonis.
Tu veterum cœcâ nitidam caligine lucem
Elicis, & ſcriptor priſcos irrumpis in annos;
Eloquiique decus, turbataque nomina rerum.
Et fandi formas, collapſaque jura reponis.
Tu Latium, voceſque ſuas formare Pelaſgos,
Argivoſque doces: geminis exordia pandis
Gentibus, & tantorum aperis elementa laborum.
Quemq; legat primum titubans induſtria callem,

Diſcendique viam. faciles Scauroſque Caproſque
Ire facis, curiſque tuis reſpirat Apollo,
Et nova Palladiam ſolantur commoda gentem.
Cedite Grammatici, magno quibus ilia faſtu
Inconſulta tument, delapſaque littera ſede
Sufficit ad bellum, vel iniquum comma minaces
Exacuit calamos, & tanti ſcena paratur
Nominis. hoc cunctas abſolvite judice lites,
Et veſtros ſedet melior cenſura tumultus.
Hic dictator erit. faſces ſubmittite tandem
Invidioſa cohors: dum vecta poëmata plauſtris,
Et tragicum caſtigat epos, veterumque cothurnos,
Mœſtaque Medeæ detergit fecibus ora.
Hippolyti properant alio temone quadrigæ,
Et Troas purgata nitet: ſua vita Iocaſtæ
Redditur, & Latio clamat ſermone Thyeſtes,
Adſpectatque diem pulſis orcheſtra tenebris.
Quælibet huic nota eſt propriis inſignibus ætas,
Seclorumque patent facies, diſtinctaque magnis
Nomina temporibus; ſeu cum puerile loquendi
Robur erat, traxitque rudem doctrina juventam,
Scipiadumque gravis totum ſe involveret armis
Ennius, & tenui Plautus veſtigia ſocco
Figeret, & vates Satyræ lutulentior iret:
Seu cum crevit honos linguæ, ſcabroſque fugavit
Majeſtas Romana ſonos, & adulta Catulli
Capta lepore fuit: ſeu cum labentibus annis,
Quo Latium, fato cecidit, Romæque ſenectâ
Symmachus Auſonias offendit durior aures.
Ingeniis diverſa placent: huic abdita pandit
Abſtruſos natura ſinus· hic floribus artes
Irradiat: lapſas alius reſtaurat Athenas:
Ille Cleantheæ neglecta palatia turbæ:
Hic in Ariſtippi ſolum præcepta relapſus
Socraticas evolvit opes: hic ſcribere faſtos
Ad famam ſatis eſſe putat. Sed cuncta coërcet
Voſſius,

Voſſius, atque omnes fecundo pectore Muſas
Parturit, & latè titulos arceſſit honorum
Immortale caput. non te veneranda ſilebo
Relligio, veterumque fides, & ſanctius ævum,
Huic perſpecta viro. quantis erroribus actæ
Chriſtigenûm ſteterint acies, quo caſtra Pelagî
Vindice tuta diu fuerint: quibus occidat armis
Contemptrix natura Deûm, delapſaque cœlo
Gratia ſubnixos claris doctoribus Afros
Traxerit in partes, & grato fœdere perſtet
Libertas, Superûmque favor; ne crimina Divis
Imputet impietas, rectique ignara voluntas
Audeat audaces vultus opponere cœlo;
Ille docet, totumque pius propugnat Olympum.
Ac veluti tacito ſubterlabentia curſu
Flumina diffundit Nereus, hîc gignit Orontem,
Hîc ſeptemgemino turgentem gurgite Nilum,
Non tamen ipſe minor, nec divitis indigus undæ
Vſque fluit, terriſque ingentibus ingerit æquor,
Atque alias largitur aquas: ſic ille perenni
Haurit fonte libros, & claris ſecula ditat
Muneribus, ſemperque novis, quæ donet, abundat.
Dumque ſibi variâ contexit fronde coronam
Mens aſſueta operi, per mille volumina ſolers
Ambulat, atque ſuos aliquid ſeponit in uſus.
Sic ubi Grajorum calamos, & prodita docto
Enumerat monumenta ſolo, momentaq; ſcriptor,
Et rerum ſummas aperit, nunc abditus ævo
Anteit Olympiadum palmas, jam Perſica radit
Tempora,&Herodoto multum narrante ſuperbit,
Nec dulci Xenophonte minus. jam ficta Daretis
Pagina mentitur ſenium, jam Dictyos horret
Fabula: Pellæis vates arceſſitur annis
Chœrilus: hinc Phariis ſcriptus ſub regibus orbis,
Auſoniæque Ducum faſtis ſignata papyrus.
Conveniunt doctorum operæ, Chaldæus & Aſſur,
Phœni-

Phœnicum labor, & calidi ſecreta Canopi,
Atque Arabum tabulæ, & victuri induſtria Perſæ,
Seraque grandiloquis turgens authoribus Hellas.
At non una tuas, doctor celeberrime, laudes
Terra capit, parti Latio dicuntur honores,
Geſtaq;Romulidum,& magnorum fata Quiritum.
Non ego, ſi lympha madeam Permeſſide, vaſtos
Ire per annales, digeſtaque tempora poſſim,
Tantorumque queam titulos memorare laborum,
Victoriſque dies populi. Iam Roma renaſci
Incipit, atque ſuæ legit incunabula gentis,
Hiſtoriæque gradus numerat. ſpectate Batavi
Terrarum Belgîque Deos, cantataque quondam
Bella Latinorum, magniqúe exordia regni,
Abdita Pontificum foliis. veſtigia Nævi
Ponè premit Calabrûm vates, & carmine docto
Inſtruit armatas acies. Fictoribus Afer
Militat, & primi ſtudiis aſperrima belli
Carthago, Italiam contrà. ſcripſere Catones,
Odryſiique rudis tunc formavêre juventam;
Accepitque furor legem, rabieſque docentis
Admiſit præcepta viri. mox maxima Scauri
Fama fuit, Syllæque labor, Catulique Siſennæque,
Et clari Varronis opus. ſua prœlia dictat
Cæſar, & ingenti fortem munimine Gallum
Exuit. agnoſco trabeas, auguſtaque latè
Nomina, & Æmathiis diffuſa poëmata campis,
Et magni lituos Sillî, contractaque Criſpi
Verba,gravem monitis Tacitum.tu Flore diſertum
Os aperis, vati propior. tu grandia Livi
Orſa legis, mediaſque ferum deducis in Alpes
Hannibalem, Pharioq; necas ſub Principe Pœnum.
Nec Meſſala latet, doctique Rabirius oris,
Non Tubero, Macetûmq; audacia prælia narrans
Curtius. imperio donec languente fatiſcens
Victricem melius meminit ſe Roma locutam.

Hæc

Hæc ſcribis, pariterque doces, tantiq; per orbem
mperii faſtos celebras. veneratur honores
elga tuos; poſcitque ſibi tam grande Britannus
epoſitum. ſpatioſa tuæ Germania famæ
nnuit. Euganeas tangunt tua nomina ſedes;
t cœlo ſublime decus. te Rhenus & Albis
uſpicit; in Druidum doctas illaberis urbes,
t cupiant te poſſe frui. ſi Gallia plorat
Turnebos, Latium Alciatos, diſpendia fati
Tanta levas. toto mœſtas Helicone ſorores
Barbarie pulſa recreas. tibi tempora debent
Et rerum memores anni: luceſque renatæ,
Et linguæ Latialis honos: te ſera loquetur
Poſteritas, te clara vehent præconia vatum,
Iſtaque venturi relegent monumenta nepotes.

IN OBITVM
Clariſſimi Viri, & Mathematici incomparabilis,
WILLEBRORDI SNELLII.

QVæ nova ſidereos abſcondunt nubila vultus?
Cur facies mutata poli eſt? mundi ne fatiſcit
Machina? & æthereis orientia ſigna maniplis
Fatales metuunt obitus? num priſtina cœlum
Improbitas facit eſſe reum? rurſumque rebellis
Terra fuit, Tityuſque ferox iraſcitur aſtris?
Stellarum cur languet honos? retroque jugales
Phœbus, & attonitos perterrita Cynthia currus
Raptat, & ardentes trepidant formidine flammæ?
Palleſcunt cuncti *Snelli* cum manibus ignes,
Et Superi ſua damna dolent; Atlante remoto
Aſtra timent. primi Boreæ ſub parte Triones

Per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Permiſcent pelago lachrymas: vicina Bootes
Plauſtra fugit, pavidoque Helices cuſtodia pernox
Negligitur, radiiſque Draco levioribus ardet.
Ipſa Ariadna ſuos capiti ſubducat honores,
Gnoſiaque Arctoæ decedat ſtella Coronæ,
Sed vetat Arctophylax. mediis Ophiuchus in aſtris
Contrahit ingentes humeros, & ſegnius Anguem
Continet hîc illîc manibus: mœrore ſolutus
Scorpius inviſæ condemnat vulnera caudæ.
Excutit exuvias, & victi terga Leonis
Engonaſis, turbatque Lyræ modulamina Vultur.
Mœret Olor, cantatque melos jam flebile, quale
Ad vada Mæandri fatis inſtantibus olim
Præcinuit lugubre ſibi. Tuque optime recti
Arbiter, & Themidis cuſtos ſanctiſſime Cepheu,
Stamina Parcarum repetas, ni numina ſummi
Plus timeas veneranda Iovis. planctura decoras
Tendit Caſſiopeja manus, nec fulgida longè
Andromede excuſsâ plorat nova funera pallâ.
Non ſolitus vultu candor nitet, emicat ore
Antiqui luctus facies, cum brachia monſtro
Panderet, & rigidæ vincirent membra catenæ.
Adſtat Equus, guttiſque humectat grandibus ora
Pegaſus, & juxta lachrymantem Perſea ſpectat.
Frendet Erichtonius, nec lugens amplius hircum
Ferre poteſt humeris. obtuſa cuſpide Telum (get.
Labitur, Antinoumque Aquilę dolor improbus ur-
Iamque ſuis iterum vellet Delphinus in undis
Mergier, & ſpatio majore Triangulus optet
Poſſe capi, vitiatque poli ſors iſta figuram.
Aſt Aries cunctos inter venerabilis ignes,
Sede ſua locat indigetem: quà circulus alti
Solſtitii mediam populis diſterminat æthram,
Ingenteſque habitant animæ, cum Cæſare magnus
Soſigenes, ſtelliſque ſuis permixtus Aratus,
Alphonſuſque ſenex, & Cimbrûm maxima Tycho
Gloria.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

loria. tota trucis mugit vicinia Tauri,
leiadeſque latent, & cum ſuſpiria fundunt,
lectram ſoror Alcynoe, Meropemque Celæno,
'aygetam Aſterope & Majam ſolatur amicè.
)ùin Geminos dolor vnus habet, ſubit ille Leonẽ,
helarumque minæ fracto jam robore languent.
'irginei ſquallent habitus, & longius Arcton
pica fugit, buſtumque viri: divortia mundo
.ibra facit, trutinæque æqualia pondera jamnunc
)eſpicit. at tenſum Arcitenens dum ſurgit ad arcũ,
ntentat telum Lacheſi. natalibus iſte
'rincipis Auguſti celebris Caper ingemit umbræ,
t ſua percuſſus Ganymedes pocula fundit,
'iſcibus Oceano merſis. dic cætera nobis
/ranie, quoſque Auſter habet declivior ignes.
Hic timidum videas nimboſi Orionis enſem,
Lapſaque ſcuta manu: fugiunt Procyonq;, Lepusq;,
Quique furens urit ſitientes Sirius agros.
Hinc Cratera ferens Corvo diſcerpitur Hydra
Acrius. ecce pius Chiron, præceptor Achillis,
Fortius adverſum (dolor huic exaſperat iras)
Tranſadigit mucrone Lupum. Iamque omine lævo
Thuribulum triſtes ratibus denunciat Auſtros,
Velaque & extenſos rumpit ferale rudentes.
Eſt etiam ſub ventre Capri ſemotus ab Arcto
Piſcis, & effuſas jam largius imbibit undas,
Triſtitiæ documenta ſuæ. Titanius ales
Hunc iterum flammiſque ſuis atque igne renaſci,
Et veteres reddi, ſeclis redeuntibus, annos
Gaudeat. At totum terret clangoribus orbem
Infauſti Palamedis avis. Nèreia Piſtrix
Andromedam trepidare vetat, ſociataque Tauro
Illæſum ſinit eſſe bovem. Phaethonta ſuperbum
Fleverat Eridanus; nunc, qui ratione magiſtrâ
Flammiferos direxit equos, cœlique meatus
Noverat, has ipſas latè defletur ad undas.

Non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Non rota præſcriptos Ixionis occupat orbes:
Tardius Argolicæ ſubeunt apluſtria puppis,
Læſaque languidulis Argo ſtat pallida remis.
Tiphys abeſt, docuitque ipſum qui tendere vela
Tiphyn, & incautis monſtravit ſidera nautis,
Heu, fuit,atque ultrà Batavam non dirigit Argo.
Hæc Superos fortuna manet, nec neſciit iſtos,
Quà radio vaſtum deſcripſit gentibus orbem,
Inferior Natura obitus: dumque atria plangunt
Attica, Cecropidumque ſcholæ, præclara Canopo
Memphis, Arabs, paribuſque Afer felicior horis,
Quæque levat feſſos Phœbi Carteja jugales,
Occiduæ Gades, Atlanteique receſſus,
In Batavis longo ſtupuit Facundia luctu.

In ejuſdem obitum

EPIGRAMMA.

Sidera quæ pernox æternaque lumina mundi,
Et didicit totum mens ſtudioſa Iovem,
Iam propius viſura Deos, Divûmq; penates,
Odryſios ſub ſe Mercurioſq; videt:
Stellarumque alios vultus miratur, & ignes;
Totaque ſpectanti machina facta nova eſt.
Non dolet ingrato fœdari veſpere cœlum,
Præcipitemque alto labier axe diem.
Oceano nuſquam mergi, vel ſurgere Solem
Adſpicit, aut tantum delituiſſe jubar.
Quin ſtupet ipſa ſuos nuſquam ſe cernere Belgas,
Cunctaque ſub puncto regna coire brevi.
Non illic rabido fervens Canis æſtuat ore,
Aut nocet inviſo Parrhaſis urſa gelu.
Non dextrum ferit umbra latus, non ulla ſiniſtrum;
Omnia ſpectantur ſidera, nulla latent.
Non hic Eoæ Atlantides abſconduntur,
Humidaq; Autumnos Pleïas orta facit.

on levis effuſas occultat Aquarius undas,
Aut latitant iſtis Gnoſia ſerta locis.
ſtra meant pariter, nec Tauro Scorpius exit
Rectior, aut Cancro lentius Ægoceros.
nthia ſub pedibus magno cum fratre quadrigas
Flectit, & hîc rectum Signifer urget iter.
uſquam ſtat librata dies, nec ſplendida nocti
Lumina Phryxæi velleris æquat ovis.
ic diſcit periiſſe ſibi, quas ſcripſerat, artes
Snellius, *atque aliis legibus ire Deos.*
ed veri ſatur ipſe Dei jam vultibus, artem,
Quam docuit, tanti dedidiciſſe putat.

Ampliſsimo, doctiſsimoque viro

D. MATTHIÆ OVERBEQVIO,

Hamburgi ad Albim moranti.

ALbi pater, cujus latè per littora miles
Vandalus, & Cimbrûm poſuit tentoria rector,
Saxonicamq́; ciet vicina per oppida gentē;
Si tibi pugnacis placuit vetus accola Rheni,
Et Batavos bellator amas, ſi noxia non ſunt
Fœdera noſtra tibi, & cauſis certamus iiſdem;
Quem ſervas, mihi redde virum. tibi pignus amicū
Creditur, & doctæ decus haud ignobile Leidæ.
Dum procul à patria peregrino fertur in orbe
Dux Ithacus, caſtæque dolet ſe vota morari
Conjugis, excelſo Pallas Tritonia tandem
Supplicat una Iovi. reddi ſibi Theſea ventis
Creſſa puella petit. tardiſque obmurmurat undis
Phyllis, & abſentem plorando carmine mœrens
Demophoonta vocat. lenes in carbaſa Cauros,
Et faciles fluctus magno Venuſina Maroni

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Muſa vovet, precibuſque Deos, geminoſque fatigat
Tyndaridas. hic noſter amor mihi queritur abſens,
Hunc ſeræ poſcunt, hunc poſcunt mane querelæ.
Vos precor, Hanſatici currus, celeresque quadrigæ,
Vos precor, Hanſaticæ puppes, alnique, rateſque,
Accelerate virum. qui currus vexerit, illum
Curribus anteferam Solis, Veneriſque Ioviſque,
Quæque vehunt te, Iuno, rotis. qua puppe redibit,
Illa meis vivet, ceu quondam nobilis Argo,
Carminibus celebrata ratis. non Æolus illi
Iratis inſurget aquis, infeſtaque Thetys
Illidet trepidam ſcopulis. æterna Favonî
Otia, placatasque ſibi perſentiet undas.
O, mea ſi Superis conſors fortuna teneret
Frena poli, ſubito vaſtum Iovis armiger ales
Hoc raperet, per inane, caput: vel grãde per æquor,
Qualis Agenoream Tyrio de littore Sponſam
Abſtulit, in noſtras ſecurum tranſvehat oras
Taurus, & Europa plus dignum virgine nobis
Portet onus! quin Dædaleas mea fingeret alas
Dextera, & hinc humeris illas, hinc figeret armis,
Præcipitesque darem Zephyros. ſic præpete curſu,
Vatis ad imperium, cœlos tranaret & auras
Pierii dux ille chori, & ſublimior iret,
Virtutum quà vergit iter, ſuffultaque laudum
Fama patrocinio magnis enavigat auſis.
Tu, qui juſſa Deûm celeri trans æquora motu,
Plutoniſque domos, cœlique palatia defers,
Atlantis Tegeæ nepos, talaria plantis
Indue, Teutonicamque celer delabere in urbem,
Atq; hæc verba refer: Quid in his, vir maxime, terris
Protrahis egregios Soles? cur ſidera brumæ
Sideribus vicina placent? Germania diſcors,
Rixanteſque Ducum populi, commiſſaque magnæ
Balthica ſigna Aquilæ, atque Albi contrarius Iſter?
Siccine te Batavæ ſubiere oblivia terræ,

Auria-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Auriacæque ſcholæ? ſic claram Palladis urbem
Dememiniſſe potes? nec te dilecta tuorum
Nomina, magnificique lares, Sophiæque ſerenum
Numen, & ancipiti tangunt reſonantia vero
Pulpita? crede, tui dudum poſſeſſor amoris,
Perpetuuſque comes lateri, cui ſæpè ſolebas
Pectoris arcanos motus, tacitoſque fateri
Alterno ſermone ſonos, jam ſolus inerrat
Hîc illîc Barlæus agris, ceu raptus Oreſti
Si Pylades foret, aut Theſeus ſolviſſet amico
Vincula Pirithoo, vel charo ſpretus Achilli
Caſtra Meneciades pavidis luſtraret Achivis.
Dixerit hæc Atlantiades, facundaque pandat
Ora prior. Iam tu, Iunonis nuncia magnæ,
Nimbo cincta latus, propera Thaumantias Iris,
Femineaſque ordire preces. dic qualia pigro
Oenone dixit Paridi, vel Seſtos Abydo,
Deianira viro. caſtæ ſuſpiria narra
Conjugis; ut lentæ ignorent ſua gaudia noctes,
Neſciat officium thalamus. dic multa perire
Oſcula, dic vanâ amplexus ſub imagine fingi,
Et Veneris languere faces; velut orba colono
Officium dediſcit humus: dic mœſta vagari
Pignora, & Aſcanium, foribus dum ludit in ipſis,
Incuſare moras, & lentum poſcere patrem.
Si minus hæc moveant, pendentis ab ubere matris
Innocuos riſus Agathæ, frontemque genasque
Objice. dic ſpatiis flores marceſcere cunctis,
Nec foliis decus eſſe ſuum, vix colla papaver
Tollere: candidulum vultus mutare liguſtrum,
Fraga mori, nullum violis conſtare colorem,
Aurea nec ſolito gaudere roſaria cultu,
Liliaque è calathis altè flacceſſere canis.
Dic genus aligerum, nullo jam Præſide, magnis
Inter ſe committi odiis, crebreſcere pugnas,
Nec ferri peregrina domi, pipire palumbes,

Tot modulos ceſſare avium: Pandione natam
Priſtina fata queri: non laſcivire columbas,
Nec ſpem venturæ ſobolis promittere miſſas
Phaſide Barbarico volucres: Meleagrides abdi
Gallinas, laxiſque Afras veſtigia pennis
Ducere tarda ſatis: dominoque abſente, nec agris
Lætitiam, ſolitoſque animos conſtare caballis.
Intereà, dum noſtra Deos arceſſit Olympo
Pagina, lene tibi ſternant, Vir magne, profundum
Najades, & faciles veniant ad carbaſa venti.
Scande ratem, properat Tiphys, quæ ſurgit ab Ortu
Ducet ad optatam jam te levis aura Creuſam.

In nuptias

Nobiliſsimi, præſtantiſsimique Viri,

ADRIANI BLYENBVRGII,

Civitatis Dordrechtanæ Prætoris,
ſecundùm Sponſi;

ET

Caſtiſsimæ, lectiſsimæque Virginis,

SARÆ ROVERIÆ, Sponſæ.

Conjuge miteſcit prætor, rigidæque ſecures
Imbelli ceſſere thoro; Themidiſque ſeveræ
Vultus, & admiſſo ſubridet Curia Sponſo.
Nec, velut antè, reis fatalia ſcribit amator
Nomina, funereoſque dies; ſed Cypride plenus
Dat miſeris veniam, & faciles perſentit amores.
Blanda, Dionæis paſſim permixta puellis,
Circumſtat jam turba virum, mutataque tanti
Scena fori eſt. tetricum petulans Erycina tribunal
Occu-

Occupat: amoto ſepteno judice cauſas
Dicit Amor: ternæ pulſo lictore ſorores
Anteferunt geniale jubar; facibuſque miniſtrat
Officioſa Paphos. nec, ſacri conſcia juris,
Intentat ſtrictos jugulis peccantibus enſes,
Caſtigatque Aſtræa nefas. non faſcibus horrent
Roſtra, nec horrendas edunt Capitolia voces.
Flammea cum peplis, & tinctum murice ceſtum,
Cingulaque Idaliæ Veneris, tunicaſque fluentes
Contrectat metuenda manus, crineſque beatæ
Virginis, & teneros frontis percurrit honores.
Non pænas delicta luunt, ſcelerique paratur
Supplicium, triſtique rigent ſpectacla theatro;
Non ſpolium ferale refert, duroſque ſuorum
Ferre poteſt ſontum gemitus, dum ſanguinis hæres
Quæritur, & facilem promittunt tempora ſponsã.
Sic, ubi Iunonis gremio ſe maximus abdit
Iuppiter, aut Tyrias inter mugire juvencas
Cogitur, & mediis Europam vectat in undis,
Majeſtas veneranda latet, grandemq́ue Dione
Abſcondit laſciva Deum, non fulmina Lemnos
Fabricat, aut hominum vitiis iraſcitur æther;
Cuncta Panomphæo laxantur jura Tonanti,
Nec terras Iovis horror agit. ſic arma graveſque
Depoſuit Mavors clypeos, vultusq́ue minaces,
Dardana cum tali ſub bellatore ſacerdos
Femineum pateretur opus. nec crimina Minos
Scrutatus vitaſque fuit, cum læta ſeverum
Paſiphae complexa virum, ſolenne mariti
Poſceret officium, & ſocialis præmia lecti.
  Vix Batavûm terris iſtos accenderat ignes
Idalius puer, & Roverî de ſtemmate prolem
In thalamos ducebat Hymen: cum protinus undis
Extulit os pelagi rector, (ſeu proximus Hagæ
Percepit ſecreta thori, ſeu fœderis index
Merva fuit, ſeu cuncta Deos præſcire putandum)
Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Et Dordrechtanam conchâ circumtonat urbem.
Ilicet Æolii compreſſo murmure fratres
Tranquillo ſiluere mari: viſoque tridente
Cuncta repurgato fugerunt nubila cœlo,
Nigranteſque globos, obſcuraque ſidera claro
Mutavit natura die: quæ carbaſa latè
Sulcabant vitreos audaci remige fluctus,
Quæque ſuis hæſere vadis. illi hiſpida mento
Barba fuit, viridiſque caput diſtinxerat alga,
Et tremula æquoreas aſperſit cauda ſorores.
Venit & ipſe ſenex Vahalis, Moſamque ſecutus
Lingam Merva trahens, placido ſed gurgite Linga
Lenior obliquis Vahalis ſe miſcuit undis.
Circum Nereides, circum ſedere biformes
Glaucus, & Arctoo ſubvectus piſce Palæmon,
Inque novos ſemper Proteus mutabilis artus.
Vt pater Oceanus vultum, frontemq́ue ſerenus
Explicuit, qualis ſocia cum conjuge quondam
Lætus ad Æmonii properavit fercula Pelei,
Talia diſpoſitis fremuit præſagia menſis:
Non triſtes tibi Sponſe dies, non triſtia Sponſæ
Verba loquar, blandis etiam me amplexibus ambit
Æquoreæ regina domus, & frigida quamvis
Regna colam, gelidoſq; lares, ſum gnarus amorum,
Incaluitque meis vitalis flamma medullis.
Quam memini, cum laxatis fera Thetys habenis
Hos circum popularet agros, & fœdere rupto
Neſcirent elementa fidem, Veſtæque patenti
Turgidus iratis Nereus incumberet undis!
Omnis Hamadryadum fugit chorus, arvaq; latè
Deſeruit miſeranda Pales, & paſtor Alexis,
Et merſis ovibus Corydon. veſtigia rerum
Cernimus. avulſæ ſunt iſtæ à mœnibus arces,
Quæ pelagi cinguntur aquis. en ſaxa, minaſque
Murorum ingentes, æquaraque culmina cœlo.
Hanc proceres tenuere domum, Mervæq́; potentes;
Iuge-

Iugeraque incurvo Batavus ſcindebat aratro,
Tondebant ſalices dumoſaque prata capellæ,
Omnia cāpus erant, nunc omnia pontus & æquor.
Iam furor iſte mihi, jam priſca relanguit ira,
Iam pacē tibi Belga damus, jam clauſtra procellas
Arcta tenent, ſenſimque meo ſe gurgite tellus
Exerit, & veteris reparat diſpendia ſecli.
Corrigitur clades thalamo, fatale reſarcit
Diluvium Lucina thoro, & melioribus aſtris
Proſcribit Cytherea metum. quibus occidit oris
Battaviæ pars magna meæ, nova gaudia cœlum
Concipit, & noſtra firmat connubia voce.
Felices, *Blyburge*, dies, nec iniqua tuorum
Fata, nec indignos tali genitore nepotes
Te Superi ſpectare volent. venerabile Belgis
Parturet tibi mater onus: quæ pignora fundet,
Adſpiciet trabeata pater. puer auctus in arctum
Virtutis ſe trudet iter, creſcenſque per artes
Ingenium & magno ducet ſua pectora motu.
Conſulet hic populis, juriſque graviſſimus auctor,
Et Themidis cuſtos, majeſtatiſque Batavæ,
Accipiet patris exemplum, quod ſumet ab illo
Filius, & pariter titulis ſtudiiſque Minervæ
Splendida continuo numerabitur ordine proles.
Nec ventura minus maternos filia mores
Imbibet, & famam poterit pietate mereri.
Virginitas ſine labe fluet, permixta nitebit
Forma pudicitiæ, referet plus dote bonorum,
Quiſquis amator erit; qui baſia figet in illâ,
Pandoræ continget opes. atque omne ſtupebit
Femineæ probitatis opus. non illa repellet
Dura procum, non blanda volet, ſed tota parentum
Hauriet inſolitos tantis auctoribus ignes.
Vix ea fatus erat ſenior, cum dicere plura
Donantem gremio complectitur Amphitrite,
Baſiolis intenta ſuis. præludia Sponſis

Iſta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Iſta paramus, ait. diſcas nova conjugis uxor
Talia ſollicito ſolatia ferre marito,
Et ſimiles furor inſolitus deſpumet amores.
Felix, quæ viduum conſcendis nupta cubile,
Et tepidos ab amore thoros. in Cypridis artes
Molliter erudienda jaces. tibi gnarus amandi,
Quæ facias, præſcribet amans. non oſcula figet
Dura nimis, non blanda nimis, non Veſpere primo
Crebra nimis, non rara nimis, verùm omne Diones
Officium docta peraget ſolertia lege.
Ceſſerit ille pudor, cupidi qui gaudia lecti
Tardat inexpertis, & ſpes eludit amantum,
Et metuit, quod poſcit, iners: trepidatque petita
Virginitate frui. lætis adoperta tenebris
Quæret anhelantem ſecura audacia Saram.
Ac velut inſolitis trepidantem cernimus undis
Tiphyn, & ignotis luctatur fluctibus excors
Navita, nec timidis paret rectoribus Argo,
Sic rudis horret Hymen. metuit certamina miles
Nunquam viſa prius, bellique pericula ſentit
Territus. haud aliter primos amor exerit ignes,
Et friget pudibunda Venus, vixque ægra medetur
Ipſa ſibi, thalamique audet ſecreta fateri.
Hoc etiam Paphias moderari conjuge curas
Et diſces flagrare minus. ſed robur adultum
Decerpes fecunda thoro, magnumque putabis
Adſueviſſe viro. primas inſania tedas
Arguit; hæ ſola poſſunt ratione probari.
Antiquum quodcunque placet, preciumq́; vetuſtas
Grande refert; cunctis novitas inviſa Batavis;
Nec niſi trita juvant. noto ſe calle viator
Expedit: indoctam fugiunt conſulta juventam;
Perque ſuos uſus artem rimatus amandi eſt
Infelix vates. hîc hîc ſapuiſſe maritis
Proderit, & gravibus documẽta petuntur ab annis,
Optimaq́; in thalamos manant exempla ſecundos.
Naufra-

aufragus amiſsâ jactat ſua fata carinâ,
i victam pelagi rabiem, Boreæque furores
eputat in lucro. viduatus compare conjunx
epè ſuos memorat caſus, & mente revolvit,
roſpera quæ fuerint, quæ nubila tempora nuptis.
omanis rerum Dominis, gentique togatæ
ox aliæ placuere nurus, facibuſque potentum
gregiæ rediere vices. Iuſtina Severæ,
auſta Minervinæ, ſucceſſit Galla Placillæ,
uoque Creuſa prior, jacuit Lavinia lecto.
lia cui primùm, mox Meſſalina marito
ungitur. Auguſto peperit Scribonia. nec tu
ivia protritos faſtidis Cæſaris ignes.
pſa ego, ni Superis immortalique Deorum
onjugio fruerer, tales Neptunia conjunx
uderem ſperare faces. te læta coronant
ignora, te matrem ſoboles jam nata ſalutat,
t non facta parens alieno jure ſuperbis.
Non tibi primitiæ teneri libantur amoris,
t meſſis matura tua eſt. non fallet amicam
lis ſacris operata manus, riſuſque, jocique,
erbaque. cognoſces veteris veſtigia flammæ,
nque tuos clarus thalamos deſcendet amator.
Dixerat hæc regina maris, plauſuque ſecundo
Aſſenſere ſenes, Triton, & lucida Phorci
Canicies; verùm Batavûm per littora ſparſi
Nereidum riſere chori, repetitaque ſpernens
Fœdera, non tacto cupiam concurrere Sponſo,
Clamat Leucothoë petulans, ſubmiſſiùs inquit
Cymothoë Spathaleq; procax. mox gurgite ſurgens
Lætior, & muſco ſpumantia pectora tergens,
Bellator loquitur Vahalis: Duo numina cœli
Terrarum jam ſceptra tenent, invictaque mundo
ura ferox ſocia ſcribit cum pellice Mavors.
Me, Rhenumque patrem ſcelerata compede vinxit
Odryſius, nec Moſa ſuis mea carbaſa vectat

In Tungros diffuſus aquis. tibi vincula nectit
Laſcivus, *Blyburge*, puer, geminoſque catenis,
Te pharetratus amor, me belliger urget Iberus.
Servit, quiſquis amat, ſed mitia gaudia ſpondet
Servitio Cytherea ſuo. perit omnis amanti
Libertas, meliorque redit; fit juris amator
Alterius, diſcitque ſuum, dum diſcit & illud.
At tu, quæ Batavi ſuffragia prima Senatus
Vrbs antiqua legis, pulcræque inſignia præfers
Virginis, & priſcâ patriam virtute tueris;
Adſpice, quàm clari coëant in federa cives,
Quæ nova dotetur conjunx, quo ſanguine ſperet
Progeniem jam Belga ſibi. ſociantur in unum
Blyburgî Roverîque domus, reſpublica quorum
Imperiis ſecura viget, trabeæque poteſtas
Emicat, & faſces ſtringit prætura verendos.
Ille decus quondam juvenum, & florentis imago
Battaviæ, generiſque ſui, diffudit in omnes
Doctrinæ ſua ſenſa gradus; interque juventæ
Vagitus, tenerum ratio ſubtilis alumnum
Grandævo dedit ore loqui. mens ardua fulſit
A pueris, potuitque ſenum conſulta morari
Iudicio. jam tunc gemini ſolertia juris,
Et probitas, & cura vigil, prudenſque loquendi
Gratia cunctorum tabulas promiſit honorum.
Nunc hæc ipſa tenet, quæ tunc gaviſa ſpopondit
Patria, nunc rigidæ radiant poſt terga ſecures,
Et defert ſua ſceptra Themis, nunc facta nocentum
Excutit, & ſcelerum formas expendit ad unguem.
Penſat juſtitiâ crimen, pœnaſque relaxat
Supplicibus. dum punit, amat, lenique ſeveros
Edulcat ſermone patres; quos cauſa nocentes
Arguit, & ſpretæ damnant oracula legis,
Quàm cupiat non eſſe reos! dum funera poſcit,
Pauca probat. non ſæva placent edicta Draconis,
Spartanuſque rigor. placidos clementia mores
Sugge-

ggerit, & cunctos facilis ſe fundit in actus.
unc amat, & metuit, quiſquis peccare veretur,
quiſquis peccare poteſt. Prudentia factis
randis ineſt, dictiſque fides, & Suada, ſuuſque,
d ſine felle, lepor. jures candore Batavum.
oſte caret, nullique gravis devincit amicos
bſequio: neſcit turpi livore moveri,
aſcique diu. ſociat concordia, quicquid
iſſidet in nobis. gaudent hoc vindice Muſæ,
anguenteſq; ſcholæ, neglectaque numina vatum;
ec ſua præclaræ deſperant præmia mentes.
ptime juſtitiæ cuſtos, legumque benigne
rbiter, amplexu, quà nunc dotabere, Sponſam
ccipe, virgineumque novis decerpe pudorem
aſiolis. jam tempus adeſt, quo debita victus
audia ſperat amor, lentaſque incuſat & odit
mpatiens Erycina moras. tibi ducitur uxor,
Quæ thalamos pietate beat: virtutibus ornat,
Quas illis impendit, opes. cui nubilis ætas
eminea plus forte ſapit, vultumque venuſtas
ormat, & inſigni gravitas perfuſa decoro.
udite jam gemini, Veneriſque licentia tardas
re ſinat tenebras, geniales ſegnius ignes
Occultet Phœbæa ſoror, procul atra faceſſant
Nubila, decurrant venientes molliter anni,
Nec vobis alias decernant ſidera tedas.
    Sic pater Oceanus, ſic dixerat Amphitrite,
Dixerat & Vahalis, dicturus & ipſe fuiſſet
Merva, ſed, ut dixit Vahalis, ruit Oceano nox,
Dumque proceloſi merguntur in æquore Divi,
Pendula cantatos cortina abſcondit amantes.

VENVS
Α'ΝΑΔΥΟΜΕ'ΝΗ,
Sive
Epithalamium in nuptias
Generoſiſs. Fortiſs. Doctiſsimique Viri,
LAVRENTII REAEL,
Equitis, rerum Indicarum nuper ad Orientem Præfecti, & ad Daniæ Regem Legati.

QValis de patrio ſurgens Venus alma profundo
Extollit geniale caput, ſpumanſque, madenſque
Æſtuat, & mediis Liparæ fornacibus (ardet
Baſia ſperanti mox ſurripuiſſe marito:
Talis Hyperboreis vixdum ſubducte procellis
In Batavis bellator amas, & damna, *Reali*,
Naufraga, & ingentes ſolaris conjuge caſus.
Nec, velut ante, Deûm furiis, in littore, rerum
Indigus, & grandi poſitus diſcrimine, ſola
Involvis virtute Ducem; ſociiſque, ratique
Ingemis, & nudo verſas in corpore Belgam,
Tunc etiam patriæ memorem. ſed numine læto
Mutant fata vices; tempéſtateſque, minaſque
Æquoris, & tumidum placari Nerea cerno,
Amſteliis dum lenis aquis ſe miſcet, & ipſis
Fluctibus advolvit Paphios uxorius ignes.
Non Batavûm jam juſſa procul, gelidaq; ſub Arcto
Auriaci mandata aperis, non Cimbrica tangis
Sceptra manu, regumque pavens palatia ſcandis,
Vexataſque Ducum bellis feralibus aulas
Sollicitas. totum flammis & amoribus inſons

Ab-

ꝺſorbet Cytherea virum. ſibi mancipat unum
ꝺſequio regina Paphi, faciendaque mandat
mina. quam prona veneraris fronte tiaram,
ius eſt. quas cernis opes, ſubſellia, faſtum,
ria, ſunt magnæ Veneris. non aurea collo
ndera, non auguſta humeris donaria Princeps
ligat, atque ſuum teſtantur regna favorem:
puero ſervire Deo, captivaque ferre
ꝺrda tuum eſt, tactæque ſemel ſufferre puellæ
genium, & totum gremio ſubmittere Martem.
Iam, Batavûm gaviſa malis, Fortuna carinas
egerat, & reducem Cimbris illiſerat oris:
ic tranſtra, fori, mediis diſperſa jacebant
uctibus, hîc lacerâ puppis compage ſaburræ,
oſtra alibi, tabulæque, & circumfuſa natabant
uaſſæ membra ratis: nondum ſatiata furorem
xplerat vis ſæva Deûm. te longius Iſter
annonios inter populos, & regna tenebat,
aptivoque gravis ducebat tempora Cæſar:
um Cytherea, tuos tandem miſerata labores,
ic infit commota Iovi: Quid, maxime rector,
Iumanis pateris nequicquam illudere rebus,
uæ vaga per cunctos nullo diſcrimine fertur,
ſtabilem, cœcamque Deam? cur omnia nutu
erſat, & inſanæ virtus Rhamnuſidis iræ
uccubat? & proprias neſcit prudentia partes?
um latè ſors iſta furit, conſultaque turbat,
ngenio laſciva ſuo. Si crederis orbis
ſſe pater, totumque tuo moderamine mundum
lectis, & ex alto mortalia facta tueris;
Ie ratio ſit ſorte minor, nec caſibus anceps
endeat, & dubio vadat ſapientia motu.
Cur maris & terræ faſces, cur omnia fallax
Arbitrio fortuna regat? nec livida magnis
Parcere nominibus diſcet, poteritque jocari,
Cum volet, atque audax regum reſponſa morari?

En ubi Parrhaſio tumidum devolvitur axe
Æquor, & Arctois rector Chriſtiernus in undis
Arma quatit, celebrem egregiis virtutibus auſa e
Naufragio damnare virum. tibi nota Batavûm
Nomina, quos inter titulis illuſtris & armis,
Grande decus Phœbi, generoſa *Realius* ora
Explicat, & patriæ ſe plus debere fatetur.
Hunc eadem Auſtriacæ ſors implacabilis aulæ
Alligat, & lentis remoratur vocibus Iſtri
Arbiter. hîc pigros queritur ſibi currere ſoles,
Et ſiſti virtutis iter, damniſque ſuorum
Miſceri ſua damna dolet: flacceſcere priſcos
Pectoris impavidi motus: tenebriſque laborum
Materiem famæque premi, cumuloque malorum
Obrutus hos ſola caſus ratione refellit.
Quàm memini, cum tela Duci Gradivus, & arma
Porrigeret, clypeosque illi formaret & enſes
Mulciber, & dites inter Bellona Moluccas,
Intrepidum ferri, Iavæ nec dira timentem
Fulgura, victricis pugnæ inflammaret amore!
Quàm memini Eoum latè duxiſſe per orbem
Auriaci vexilla ſui, mandata dediſſe
Gentibus, ac vario latrantem gurgite Gangen,
Et formidatos placidis ſub faſcibus Indos,
Et Solis rexiſſe domum. mens docta per omnes
Imperii micuit partes, populique feroces
Non armis bellique minis ſua regna, ſed acri
Ingenio ſenſere regi; gladioque maritans
Pagina Palladiæque artes fecere potentem.
Illum etiam, extremis Tameſis dum Gadibus atrox
Inſtat, & Heſperiæ trepidant penetralia terræ,
Vidimus Herculeis ferrum oſtentaſſe columnis,
Et *Caroli* mandata ſequi. jam juſſa ſuorum
Vandalici per regna ſoli, pavidisque ferebat
Vrbibus, & Gothici librabat pondera belli.
Huic thalamos jam, magne Pater, lectiq; paramus
Gaudia,

audia, ſi partes in tanto vindice dudum
nplevit Fortuna ſuas, ſi noxia tantis
ladibus una fuit; diſcat meliora Dionem
rincipibus conferre viris. non illud abibit
ectus inacceſſum Veneri. mox liber amores
entiet, & noſtris molleſcent corda ſagittis.
ic ubi Dardanium Siculis exercuit undis
neam regina Deûm, ſocioſque, rateſque,
elliquias Danaûm, cœcis illiſit arenis,
olamen Cytherea fui, Lavinia curas
iluit, & Phrygius tepidis amplexibus heros
Hæſit, & adverſos æquarunt baſia caſus.
ic quoque poſt fluctus, tumidique pericula ponti
Medeam Pagaſæus amat, claroque Creuſæ
Conjugio pertexit iter. cum barbara Memphis
Actiacæ gemeret feralia funera pugnæ,
Et Peluſiacis pugnans Antonius undis
Viveret, excepit profugum regina maritum,
Et Phario pepulit belli diſcrimina ſiſtro.
Totaque poſt Troiam victrix jam Græcia per me
Arſit, & Argolicos ſperatæ conjugis œſtro
Fregi ſola Duces. alius Briſeide ductor
Incaluit, ceſſit ſpolium Caſſandra potenti,
Phyllide Demophoon, lentoque potitur Vlyſſe
Penelope. cunctis pelagi poſt tædia feci
Otia, & imbelli damnata ferocia lecto eſt.
Hinc dicor Venus orta mari. quia, quiſquis in undis
Navigat, acer amat. ſtimulat præviſa voluptas
Fortius, & quem non licet inſanire furorem,
Exacuit concluſus amor. quin ipſa calentes
Parturit unda faces, quantumq; remotior igne eſt,
Æſtuat illa magis. veluti, cum frigidus æther
Et gelidæ cingunt fumantia corpora nubes,
Fulgurat, & celeres extrudunt frigora flammas:
Sic Batavus jam noſter amet, captivaque dudum
Nomina, & æquoreis fato ſervata procellis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Conjugio, pater alme, bea. fac MORIA charos
Currat in amplexus, dilataque gaudia conjux
Acceleret. tu namque ſoles miſcere ſereno
Nubila, tu mœſtis ſocias ſolatia rebus.
Ipſa faces ſubdam geminis. bis diſcet amare
Illa, potens matrona viri, rerumque peritis
Irruet in thalamos oculis, veteremque labellis
Vim dabit, atque iterum poterit formoſa placere.
Ille ſupercilio, adverſos quo terruit hoſtes,
Auroræq; graves dominos, adſperget amicum, &
Molle aliquid, cupietque illi non miles haberi,
Sed placidus, ſed lenis amans. certamina, cædes,
Et Martis dediſcet opus, ſaturataque Iberûm
Sanguine Acidaliis accendam pectora flammis.
Annue, quæque peto, totis connubia votis,
Perfice. non magnæ Veneris ſors invida cœptis
Obſtrepat, aut Paphiæ violet decreta magiſtræ.
Dixerat illa Venus, tremulis cum Iuppiter aſtris
Annuit, & juſſus Legatum emancipat Iſter,
Belga videt, reducemque ſuis amplectitur ulnis
Vxor, & accenſis fumant penetralia tedis.
Sic lætos tibi fata dies, ſic fauſta, *Reali*,
Tempora conficiunt Superi. non deſerit æther,
Quos patriæ commendat amor. non gratia cœli
Deſtituit cœlo genitos, animaſque capaces
Mortis, & æternæ captantes præmia famæ.
Crede equidem, nec te pietas ſuprema fefellit,
Nec ſceptris ſolum illa placet. facundia Divûm
Pro te verba facit. potuit tibi tanta mereri
Æneadum genitrix, & magni filia Nerei.
Quàm gratæ rediere vices, quàm nulla marito
Æquora, quàm nullis obſtant Borealia nimbis
Sidera, quàm placidos Virgo tibi porrigit ignes,
Auguſtuſque tuis plus jam fervoribus ardet!
Plaudunt cuncta tibi, nivei lætantur Amores,
Quiq; thoros juvenis dudum jam ſpreverat, audet
Exemplo

xemplo ſperare tuo, nec ſera putare
audia, quæ ſeris prudentia carpit ab annis.
ulgida quæ variis texuntur ſtamina formis
rritant fulgore diem. tibi quicquid ab Ortu
Miſit Eos, vultu jam nunc meliore renidet.
plendet gemma magis, niveiſque monilia baccis
Conjugis irradiant manibus. per eburnea colla
ucet, at occultis minus eſt virtutibus aurum.
am tibi, quæ facilis ſenſit moderamina freni,
ndia vota facit. credas hæc regna moveri,
Et fatis gaudere tuis. tibi ſacrat odoras
Banda nuces, meliuſque piper miſere Moluccæ.
Bangala donat ebur, dites dant vaſcula Sinæ,
Cinnama largitur Ceylon, ſua thura Sabæus,
Seres fila parant: fundunt opobalſama Sponſis
Proni Arabes; Perſæque, & divitis accola Gangis,
Quæ placeant,tibi dona ferunt. quę candida nuptis
Lux nitet, hoſtilem poterit placare Malaccam,
Et belli meruiſſe moram. ſed proximus Arcto
Amſtela, blandenti ſtrepitu, levibusq́ue ſuſurris
Pulſat honoratos, genialia tecta, penates,
Ominibusq́ue favet. quà te Doctrina per omnes
Deduxit ſpacioſa gradus, Phœbumq́ue, Themimq́;
Miſcuit, & facili patefecit jura poëtæ,
Stridet Apollineo Barlæi tibia cantu.
Tu, qui bella ferox alium longinqua per orbem
Geſſiſti, nunc illa cave. quam vincis amando,
Dediſces pugnare magis. quantum arma repoſces,
Addiſces adamare minus. cui tempora circum
Caſſis, & excelſæ fulſerunt vertice criſtæ,
Pilea bellaci præfer civilia lauro,
Et clypeos poſtpone togæ. cui dextera ferrum
Strinxit, & Hiſpanum gladiis ultricibus hauſit,
In molles deſcende ſinus, & flammea Sponſæ
Diſcute, ut adverſo pateant læta ora marito.
Non fragili te crede rati, jam tutior illâ

Vxor erit. ſi vela placent, ſi carbaſa, venti,
Vela parabit Amor, diſtendet vela Cupido.
Ille dabit Zephyros, clavum moderabitur ille.
Ille per obſcuræ tranquilla ſilentia noctis
Longè aliud monſtrabit iter, quod maſcula Bruto
Porcia, monſtravitque ſuo Cornelia Graccho.
Et tu, conjugio conjux dignata ſuperbo,
Magnanimos conſcende thoros, & vincula necte,
Qualia blanda ſuo ſtrinxit Cithereïa Marti.
Quotque tuus dicet ſeſe tranaſſe procellas,
Quot terræ ſpectaſſe ſinus, quot ſidera noctu,
Quot formidatum ratibus vexaſſe Philippum,
Oſcula tu totidem numera, tot mutua rurſum
Oſcula delibare jube; numerumque malorum
Baſia, & admotis tranſcendant murmura labris.
Sin referet, qua ſorte trucis per tempora brumæ
Vandalicos inter ſcopulos, Cimbrûmq; Charybdes
Hæſit, & æquoreis madidum caput abdidit undis:
Tu portum præbe facilem, totumque ſub ulnis
Abde virum, madidumq; abſtergas, *Moria*, corpus.

Ad Illuſtriſsimum

DOMINICVM MOLINVM,

Patricium & Senatorem Venetum, Querela, *de Poëmatum meorum libello, cum ob fila ſerica contagii ſuſpectus, in Lazoretta apud Venetos detineretur.*

PArve liber, magnam Venetûm dum tendis ad urbem,
Illuſtres ſubiture lares, & docta Molini
Atria, & Adriacis immerſas fluctibus arces;
Quæ miſerum te fata manent? quæ dura moratur
Suſceptum Rhamnuſis iter? nec conſcia fraudum
Car-

Carmina, & inſontes damnant edicta Camœnas?
Sit ſatis, infidis oneratas mercibus alnos
Illyricos merſiſſe ſinus. abſorbeat atrox
Inſanas Neptunus opes, dignamque furori
Materiam putet eſſe ſuo. fera militis ora,
Aſſuetaſque manus ſceleri, dextraſque rapaces
Sors inviſa premat: placido tibi pagina verſu
Currit, & in nullas armata eſt Belgica cædes
Calliope. nec dira meæ præſagia chartæ
Aut omen ferale canunt. quid neſcia pravi
Numina Pegaſidum, quid tot meruere ſorores,
Progenies dilecta Iovi? dignataque cœlo
Nomina? cur ſanis non parcunt morbida ſaltem
Limina Virginibus? cur quas Parnaſſia rupes
Educat, & purâ Permeſſus proluit undâ,
Includit *Lazoretta* Deas. non turbida peſtis,
Aut mala cœleſtes adſtant contagia mentes.
Quique ſuis fixit ſævum Pythona ſagittis,
Telaque in Argolicas torſit funeſta phalanges,
Dat Muſis veniam Phœbus. pater ipſe medendi,
Qnod ſcripſi, dictavit epos. quin Phocidos omnes
Caſtalioſque bibi latices, epotaque nobis
Omnia, quæ fœdas abſtergunt flumina ſordes.
Iſta canes rabies, hic lethifer occupat æſtus
Palantes per prata boves, hominumque per artus
Tranſudat violenta lues. ſi carmina peſtis
Corripit, inverſus miracula parturit orbis,
Pluſque Dii nocuiſſe volunt. perterrita quondam
Semivirum ſtupuit ſoboles Minoja juvencum,
Aut lapidum pluvias Latium, tinctoſque rubenti
Sanguine Romulidûm puteos: aut triſte gementes
Tarpeja de rupe lupos. plus Adria jamnunc,
Plus Venetus, plus illa timet, quæ cingitur undis,
Vrbs, Divûm fabricata manu. timet illa poëtæ
Carmen, & occulta nocituram tabe papyrum.
Heu pudor! adverſam populus qui terruit Hellen,

Cæſa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Cæſareaſque aquilas, & tot victricia latè
Signa tulit, vaſtoque patens dat jura profundo.
Quem leges longisque probant exercita ſeclis
Imperii decreta ſui, faſceſque vetuſti,
Aonidum jam dona pavet, cauſamque timoris
A foliis chartiſque capit. quam fulmina belli,
Nec circum tumidis terrent irata procellis
Æquora, ad imbelles trepidat gens Martia cantus.
Parve liber, mea cura liber: cur vincula membris
Implicui precioſa tuis? cur corpora byſſo,
Aſſyriosque tibi ſtrinxi malè cautus honores?
Ah, nocui, dum pulcher abis: & veſte ſub iſta
Crederis infeſtum populis abſcondere virus,
Et taciti fomenta mali. ſi nudus abiſſes,
Securus poteras claros ſubiiſſe penates,
Et magni pia tecta patris, venerandaque jamjam
Fortè meas placidè tetigiſſet dextera Muſas.
Non aliter propriæ ſentit diſpendia formæ
Hoſpes, & illuſtri quiſquis ſpectandus amictu
Alpinas calcare nives, & inhoſpita tentat
Pyrenes juga; quæ ſocio latrone viator
Nudus adit, ſola tunc paupertate beatus.
Nunc atrum te limen habet, formidinis aula,
Et funeſta domus, pavido quam pectore luctus
Exanimeſque habitant animæ, morbique fluentes,
Et dolor, & quicquid damnat maleſana tenebris
Suſpicio, rabidique premunt faſtidia cœli.
Hîc aliquis tibi thura adolet, myrrhamq;, crocūq;,
Balſamaque, & ſpiſsâ totus caligine fumas,
Infectumque ſcelus medicis exuritur herbis.
Qualibus Æëtem Colchis ſcelerata recoxit,
Hippolytoque diem laceroſque ſalutifer artus
Reſtituit Phœbi puer; aut juveneſcere poſſis
Auroræ, Tithone, tuæ: vel priſtina Circe
Corpora, & annoſum reparet Cytherea Phaonem:
Impurum ſic luſtrat opus, vitiumque vetuſtas

Ex-

Expiat, & vivo purgat delubra Deorum
Sulphure, & accenſis ſolennia pocula tædis:
Aut ſalſas adſpergit aquas: vel ab ubere matris
Raptat anhelantem calido ſub ſanguine porcam.
Quod ſi Romano Venetus mea pignora ritu
Expurgare volet, foliiſque avertere peſtem:
Eja age, ad Eoi converſus lumina Solis,
Expediat fruges calathis, ſal torreat igne,
Et liquidas modò libet aquas, cæpamque rubentem
Porrigat, & toſtis crines admiſceat ovis:
Terque meum circa felix eat hoſtia librum,
Spargens rore levi, & ramo viridantis olivæ.
Sic nitidus, ſic purus erit, ſic criminis expers
E tenebris tantis iterum donabitur aſtris.
Parve liber, charis nimium ſemote Batavis,
Nec domino jam tute tuo, ſine labe libelle,
Hóſne ego te genui in caſus? ut ſordida laudes
Depreciet Lazoretta tuas? & ludicra damnent
Fila reum? ut ſordes inter, merceſque doloſas
Deliteas, cœlique luas innoxie culpam?
Ah querere, & magno referas mea verba Molino.
Et loquere hæc: Non hic ſolum, venerãde Senator,
Me tangit dolor, aut noſtras infamia Muſas
Deterit. en Regem, majeſtatemque Britannam,
En, Carolum Lazoretta tenet. captiva tenentur
Nomina; Naſſovii, & tantæ præconia gentis
Clauſtra premunt, Myliiq́ue decus; quo vindice ſolo
Audent ecce meæ trans ſaxa Alpina Camœnæ
Ferre gradum. graviora queror. damnata tenentur
Numina, Pierides, & vatum fautor Apollo,
Quæque meis plauſit ſtudiis Tritonia Pallas.
Dîq́ue, Deæq́ue latent, vanæque piacula peſtis
Exercent ſuperos? quænam hæc veſana jocandi
Sævitia eſt? etiam ſacros fortuna poëtas
Vexat? & innocuas audax bacchatur in artes?
Vnum hoc, Aonii cœtus celeberrime vindex,
Hæc

Hæc paſſus jam fata, precor. Da cernere vultus
Poſſe tuos, & cum luſtratus carcere ſolvar,
Perlege, ſed facilis, purgatam à peſte poëſin.

Ad eundem

EPIGRAMMA.

PAlladii dux magne chori, quo vindice Muſæ
 Clarius in terris exeruere caput:
Cur inviſa meum purgat Lazoretta libellum?
 Et nocet inſonti ſuſpicioſa domus?
Si vitium, ſi crimen habet, ſi barbara vox eſt
 Vatis, & ingenium ſimplicitate cadit:
Nil fumi flammæq; juvant; non thura, vel herbæ
 Verſibus abſtergent horrida verba meis :
Ne veniat, quæ luſtret anus mea carmina, vel quæ
 Præferat indignâ ſulphur & ova manu.
Tu ſolus luſtrator eris, tu, docte Senator,
 Percurras oculis pignora noſtra tuis.
Omnia decedent ſubitò contagia, poſtquam
 Illa tua fuerint tacta, Moline, manu.

PROPEMPTICON,

Ad nobiliſſ. ampliſſ. doctiſſimumq; virum,

D. FOPPIUM ab AISSEMA,

Equitem, Ill. Ord. Generalium apud Hanſeaticas urbes Delegatum, cum Hagâ Leidam tranſiens Germaniam repeteret.

DVM Batavos, vir magne, tuos, ſpoliiſque triumphans
Heſperiis illuſtre ſolum, prædaq; recenti
Et debellato felices Veſpere terras
Deſeris, & patriis iterum ſubduceris oris:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Nec jam te magni dudum exſpectata Senatus
Conſilia & lentis remoratur vocibus Aula:
Auguriis, votiſque ſequor; facileſque Camœnæ
Quà properas, ſocio ſubeunt veſtigia greſſu.
Quippe nefas & turpe reor, ſine vate poëtam
Deſertas calcare vias, ſine teſte laborum
Ferre gradum, ſummoque decus venerabile Phœbo
Tandem etiam noſtro non inclareſcere cantu.
Dicite Pierides, tenerumque arceſſite carmen,
Veſtraque qui toties ſubii delubra ſacerdos,
Et medio merui textas Helicone coronas,
Tollite me Superi, cupio per regna, per undas
Ire comes, reducemque ſequi; & diſcrimina terræ,
Tantaque Palladio ſolari tædia luſu;
Dum longum molitur iter, juſſiſque Batavûm
Inclyta per veteres transfert ſua nomina Chaucos,
AISSEMA, bellacemque parat ſuperare Viſurgim.
En tibi transactæ nequicquam ignara juventæ
Ingeminat jam Leida, Vale. tua, maxime *Foppi*,
Colligit haud uno præconia judice Pallas,
Inque tuas geſtit plaudens Academia laudes
Doctorum ſociaſſe ſonos. te ſenſit alumnum
Rhenus, & Aonios inter celeberrime cœtus
Tot titulis ſublimis eras: cum gloria pigrâ
Intrepidum te ferret humo: facundia præcox
Venturos patriæ juvenem formaret in uſus:
Dictaret conſulta Themis: curamque virilem
Suaderent exempla tibi: cum gnara futuri
Maſcula primævis Prudentia luxit in annis.
Nec minus, Auriacos, Mavortia fulmina, jactans
Haga Duces, tibi vota facit, Belgîque Potentûm
Auſpicio jam quiſque favet. dum Neſtor, & alter
Ceu Cineas, reſponſa capis, momentaque belli,
Grandiaque Hanſaticas defers mandata per urbes.
Ipſe procelloſis jampridem ſævior undis.
Componit tibi Flevus aquas. obnoxius æther

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Frigora, & immites cœli clementia Cauros
Temperat, inviſumque gelu caſtigat Olympus.
Terra omnis pelagusq́ue patent, nec ſegnis eunti
Emollit natura vias. ſi vaſta viator
Æquora, & Arctoos ſulcabis remige fluctus,
Spirantes aderunt Zephyri, & tranquillior Auſter
Carbaſa ſperatum tutò propellet in Albim.
Sin Friſiæ loca grata tuæ, patrioſque penates
Oceani ſecurus adis; Amaſiſque lavabis
Vorticibus defeſſus equos, populoſque videbis,
Et circumfuſis paſſim trepidantia caſtris
Oppida; ſæva aliis, ſtrictos Bellona recondet
Et gladios, & tela tibi. te neuter Apollo
Vindicat; Auſtriacaſque aquilas, Iſtrique furores
Pierides placare queunt. innoxia Marti
Cauſa tua eſt. inſons mediis legatus in agris,
Dî cujus violare timent ac fallere jura,
Ingrederis. veniam belli doctrina meretur,
Si vel cauſa neget. procul hoc à pignore miles
Hoſtiles averte manus, neu peſſima charo
Inſultes Fortuna viro, ne gaudia triſtis
Polluat hora mihi. in ſuperos, divoſque redundat,
In Muſas, Phœbiq; caput, Charitesq́;, Theminque,
Damnorum quodcunque dabis. ſi læſeris, en, ſunt
Arma mihi, culpamq́; feris ulciſcar Iambis,
Et tua mordaces proſcindent numina chartæ.
Hæc inter, vir ſumme, tui meminiſſe poetæ
Ne pigeat, rapidisq́ue rotis ſubvectus, & altis
Curribus, hæc tecum reputa. & quem dura ſuorum
Iuſſa premunt, tu lenis ama; noſtrisq́ue remotus
Sedibus, in mediis Batavos qui laudat Athenis,
Barlæum plus crede tuum, Cimbroſque per ipſos
Mitia naſcenti dona ſuffragia vati.
Quod ſupereſt, reddam ſoboli; doctaſque per artes
Ingenium, & Sophiæ ducam juvenile per hortos
Pectus, & Auſoniis tingam præcordia lymphis.

Tu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Tu pavidas Cimbrûm terras, & ſceptra diſertus
rige, tu Gothicæ Belgas Cimbroſque tiaræ
onſocia, tu certa favens regalibus adde
obora conſiliis. ſic te Chriſtiernus amicum,
ic victor Guſtavus amet. ſic longa viarum
ecurras ſoſpes ſpatia, & deſuetus amator,
Vt non illepidum credas ſcripſiſſe poëtam)
ætior in charæ amplexus deſcende Creuſæ.

In ampliſsimi, doctiſsimique viri,

ROCHI HONERDI,

Supremæ Curiæ Conſiliarii, Tragœdiam ſacram, quæ MOSES NOMOCLASTES *inſcribitur.*

LEgiferi vatis furias, perculſaque tanto
Pectora flagitio, & ſceleratæ crimina turbæ,
Funeraq;, & grandes æterni numinis iras,
Vndantemque reo deſertum ſanguine Sinam,
Dum tragicis, Honerde, ſonis, ac vultibus aptas:
Òbſtupui Batavum Latia ſub veſte Sophoclem,
Euripidemque mea rurſum de gente renaſci.
Deſinat Argolicæ carmen ferale puellæ,
Et perſonatum populo oſtentare Thyeſten
Græcia, vel tumidâ Electram producere ſcenâ,
Hectoraque, Ajacemque, Duces. nec ſola Latino
Se putet ore loqui vilem Ciſſeis ob hircum.
In Batavis orcheſtra tremit, quaſſatque cothurnus
Pulpita, & atratis depictus fecibus ora,
Iratum tonat ore Deum; Moſenque, Duceſque
Belga, nec in fictis loquitur lachrymoſa tragœdis.
In rabiem impietas, & cœco concita motu
Relligio primæva ruit. præfertur Olympo
Stulta Pharos, laudeſque Dei ſibi corniger Apis
Poſcit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Poſcit, & inſanum plebes veneratur Oſyrim.
Quæ Peluſiacis jampridem mugiit aris,
Se credit jam vacca Deam: quod geſſerat aurum,
Iudæus pro numine habet: quod fecerat ipſe,
Et cuperet fregiſſe, colit; cœlique creator
Fit dextræ pereuntis opus. concluditur ære
Majeſtas ſpacioſa poli. Nec jam ipſa furori
Impoſuit mens ſancta modum. ſe vindicat ultrix,
Atque aliquà peccat pietas. franguntur honeſti
Vocibus inſignes tabulæ, pereuntque ſalutis
Federa, & humani monumenta æterna laboris.
Legum verba cadunt, & magno prævia Chriſto
Ex alto doctrina ruit, mutandaque tandem
Pacta docent, fideique probant præcepta ruinæ.
Interea inſanos miſerandis cædibus auſus
Expiat, & jugulos ultori commodat enſi
Iſacides, diſcitque ſuæ deliria vitæ
Abſentem ſpectaſſe Deum; numenque veretur,
Quod pœnâ ſe tale probat. Memphitica nec jam
Saxa vocat, fractæque colit ſecreta juvencæ.
Hæc canis, & ſtreperæ curis interſeris aulæ,
Aonii Dux magne chori, placidumque tribunal
Fari mœſta doces, & ſacris induis iris
Pectus, & attonitum ſocias cum judice Theſpin.
Poſt Thamaram das iſta legi. quæ femina fundit
Verba furens, ſcis eſſe minus. plus pulpita ſurgunt
Hebræo percuſſa Duci. ſi filia regis
Æſtuat, in ſexu vicium eſt. cum legifer ipſe
Intonat, & rabido pulſat proſcenia greſſu,
Auditor tacitiſque ſtupent ſubſellia linguis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Ad doctiſſimam virginem,

ANNAM MARIAM à SCHVVRMANS,

Trajecti in Batavis habitantem.

QVæ tibi Diva parens generis? num docta Batavis
Te peperit Carmenta tuis? tituloſque virorum,
Doctrinæque decus debet natura puellæ?
Scandis Apollineos colles virguncula. priſcâ
Excidimus jam laude viri. vileſcimus ultrà,
Feminaque ingenio noſtros tranſcendis honores.
Mirabor magis? an rerum portenta dolebo?
Num dicam peccaſſe Iovem? vel maſcula miris
Inverti ſimulacra modis? Sempronia nobis
Altera, & Arctoo melior ſub ſidere Sappho
Naſcitur, atque novam protrudit Pallada terris
Iuppiter, & veteres mulier ſcrutatur Athenas.
Non Latium, non Roma ſatis, non ſufficit uno
Ore loqui, minor eſt ſimplex facundia votis
Virginis. Argolicas etiam (proh numina) voces
Anna legit, ſociatque ſuum cum Cecrope Belgam.
Si mirum antiquæ committi ſcripta Corinnæ,
Hæc etiam, quod ſcribat, habet. ſi conſcia rerum
Prodidit exactis Manto ſua carmina ſeclis,
Egregiumque aliquid grandes cecinere Sibyllæ,
Et Mariæ mens iſta poteſt. ſociata marito
Polla fuit, juvitque ſui commenta poëtæ.
Nec minus illa virûm ſtudiis ſuccurrere poſſet,
In ſocios admiſſa thoros. quid Belgica jactas
Belligeraſque rates, & magno Principe fultas
Imperii creſcentis opes? quid didita famâ
Prælia? barbaricis oneratas mercibus alnos,

Tot-

Torque novis paſſim laxatas mœnibus urbes?
Hîc majora ſtupe. rarum Battavia nomen
Conficit una tibi. præſtat facunda virago
Tot titulis, faſtuſque leves virtutibus anteit.
Nec precium jam ſexus habet. cum virgine, docti,
Communes animos geritis. viliſſima noſtri
Portio noſtra manet. ſolis diſcernimur, eheu,
Corporibus, geniumque viris confundit & artes,
Et, qua nos ſapimus, vir dici parte meretur.
Quid dignum te, Virgo, loquar? veneranda pudori
It juxta doctrina tuo, caſtiſſima mores
Vita probat. doctam ſubmiſſa modeſtia mentem
Flectit, & ingenuos decorat reverentia vultus.
Quis thalamos, formoſa, tuos conſcendet amator?
Ridebis cui ſponſa viro? cui nupta marito?
In Batavis ſi Phœbus amet, te conjuge Daphnen
Negligat, & tali cupiat ſe jungere Divæ.
Dos tua tot fuerint artes, prudentia, virtus.
Dos tua tot fuerint linguæ, tua gratia, candor,
Simplicitas, & quicquid amant ſciviſſe Camœnæ.
Anna, (fatebor enim) non me tua nomina tantũ
Afficiunt, vatemque trahunt; ſed quicquid in iſta
Virginitate queat ſummum flexiſſe Tonantem,
Suſpicimus, Muſiſque placens me tangit honeſtas.
Scribimus hæc, loquimurque tibi. ſi dicere coram
Cogerer, hærerent forſan ſuſpenſa poëtæ
Verba, nec ad ſolitas fluerent mea carmina leges.
Sin minus illa placent, & ſi magis oſcula veſter
Sexus amat, nos illa domi debere putabis.
Invenies alium, ſi te hic faſtidit Alexis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

AD
IACOBVM VOLMARIVM,
Philoſophiæ Magiſtrum.

Carmen juvenile.

QVid pulvis Caveæ? victumque ſaburra cruorem
Priſca bibens? quid Cæſarei ſpectacula circi,
Et circunductis Daphne ſuſpenſa theatris?
Quam laudis mala materies, triſtiſque palæſtræ
Turpe patrocinium, penſataque crimina recto,
Iuſq; datũ ſceleri? quid honorum prodiga Memphis,
Et Mauſoleum conjunx mirata ſepulcrum,
Quàm lapidi decus, aut fragili dat præmia ligno?
Poſthuma quæ ſtupeat demireturque propago.
Vſque adeo vili natum de ceſpite nomen
Vivax fama vehit, vaniſque excita trophæis
Dextra tubam memoreſq; emit poſt fata nepotes;
In ſaxo quærens titulos, in pulvere vitam,
Nomen in exequiis. Quin tu Tiberina labores
Adſpice Roma tuos, Latiis decerne triumphis
Curruſque tumidaſque rotas; da carmine feſto
Militis ora fremant, dominaſque ſecuta curules
Turba triumphantes Capitolî ad limina ſiſtat
Scipiadas: victis patrem ter clamet Achivis
Æmilium, patriæque ferocem funere Syllam
Aſpiciat, tutata reum. Quin gaudeat unus,
Cædis Cæſareæque, & nominis ultor Iulî,
Iungere magnanimos primo temone leones.
Indignum meriti ſpacium, cui ſanguine, rapto,
Cæde, latrociniiſque & acerbi fulmine Martis,
Tot matrum lacrymis, & fœmineo ululatu,
Conſtat honos, faſces, trabeę, monumenta, coronę.

An

An tanti pomum fuit, aut prælata Diones
Filia, Tyndaridumve ſoror, Caſſandra prophetans,
Anna ſoror, regina furens, conjunxque Tonantis
Invida? num tanti foribus dimiſſus eburnis
Omnis ab irato furor eructatus Achille?
Poſteritas ut & illa ferat; victuraque ſemper
Figat in æternis vatum mendacia faſtis?
Scilicet antevenit veræ virtutis honorem
Fabulaque & vicium; fucato ſplendida vultu
Poſt tumulum, & cineres, & longi ſecula tractus,
Emicat improbitas, magni mentita poëtæ
Ingenio, tenebriſque alti damnanda ſilentî
Narrantem decimo ſobolem ſibi ſufficit ævo.
Non ita Palladius laudum faſtigia miles,
Aut trabeam faſceſque capit: non purpura Phœbi,
Auguſtoque umbroſa virens in limine laurus,
Non hederæ, & ſeros diductum nomen in annos,
Degeneri virtute datur: melioribus auſis
Doctrinæ ſuccreſcit honos, vitæque meretur
Præmia, qui vitam ſeclis fugientibus adfert,
Pieridumque inſtaurat opes: cui tota receſſus
Cyrrha ſuos, ſenſuſque aperit grandæva vetuſtas.
Talis ades, quem Leyda pios attollere vultus
Aſpicit, & celſa decus oſtentare curuli,
Volmaria de ſtirpe Puer, cui regia pridem
Victori dominos fixit Sapientia faſces,
Doctaque Sidonias ſuſpendunt limina veſtes.
Non tibi mendacis fecunda licentia vatis,
Non precium recidiva dabunt, non funeris atra
Solvet ab invidia, & pallentis dente ſenectæ
Pulverei ſudoris opus, veteriſque palæſtræ
Dura rudimenta, aut magnæ congeſta parentis
Oſſa, rudis terræ ſoboles, deſpectaque laudum
Materies, ſed Socraticis mens dedita curis,
Quæque Stagiræi tecta inſidioſa Lycæi
Preſſit, & humanos prorſus deſueta labores,
Vidit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Vidit in obſcuræ gremium ſubtile Minervæ.
Non tibi plebeio ſudatum pulvere nomen,
Non ſenium, non fama datur; verùm ardua rerum,
Et nulli, aut certè paucis tentata priorum
Luſtraſti ſpacia; immenſorum plena laborum
Area prima tuæ pandit tentoria laudis.
Te gravior valido preſſit Sapientia niſu,
Ipſa Cleantheæ denudans ilia turbæ,
Ingenio monſtrante viam. tibi vaſta ſophorum
Atria, Cecropiæ miranda arcana ſenectæ,
Rixanteſque choros, & non placabile Grajûm
Agmen, & ancipites oſtendit diva catervas;
Quicquid in antiquis contendit Pallas Athenis,
Inventum quodcunque tuo ſchola priſca receſſu
Prodidit. Hæc magni dedit aſpectare Platonis
Communes rerum facies, abſtractaque mundo
Formarum genera, æthereos agitata per orbes.
Illa tibi Samiæ veneranda ſilentia turbæ,
Migranteſque animas, nec dilanianda ferarum
Tergora, & innocuæ præſcripſit pabula menſæ.
Iamque ætas prior, & ſapiens obſtruſa vetuſtas,
Cunctaque difficilis patuerunt oſtia ſecli;
Cum per Avenroen, faciliſque inventa Iavelli,
Per gravis Alphonſi folium, per inhoſpita Scoti
Tecta, per Occami latebras, decreta Pererî,
Occultoſque ſinus Thomæ mens ignea rupit.
Non latuit Fonſeca pater, non docta Toleti
Pagina, non dubios verſans Mirandula ſenſus.
Triviſti Gabrielis opus, quæſita Lovanî,
Et Cajetani Scholion; perque abdita Suaræ
Scripta, laboranti tantum perſpecta cerebro,
Perque theſes Durande tuas, ſinuoſaque dicta
Ægidii, Bedamque ſenem, perque omnia raptus,
Immenſum Sophiæ tranaſti ſedulus æquor.
Qualia terrenum fugiunt molimina vulgus,
Vix hominis ſortita modum. ſibi congrua poſcit

Limina,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Limina, nec craſſis animorum naſcitur atriis,
Sed genium res iſta cupit. mens illa deorum eſt,
Semideiſque immixtus agit, quicunque ſagaci
Ingenio naturæ obices & clauſtra relaxans,
Tantarum potis eſt cauſas evolvere rerum.
Hic terram, ſed ut exul, habet. ſecretaque mundo
Pectora fert, quin ſolũ anima eſt, dũ ſimplice mot
Spirituum puros meditando conficit actus.
Obſtupuere viri, & totus (ſacer ordo) Senatus,
Palladiâ cum gente, novam miratus honorum
Materiam, quoties rationum umbone coruſcans
In varios docto te ferres ordine gyros,
Hoſtiles acies emiſſaque tela retundens.
Ipſa inimica phalanx tanto ſe faſſa minorẽm
Principe, devictas aquilas, inhonoraque ſigna
Ante pedes poſuit. neque enim victoria major,
Quam quę confeſſos animo quoq; ſubjugat hoſtes.
Tale tenes meriti ſpacium, cui curia Patrum,
Et Procerum veteres hodie vox juſta triumphos
Aptat ovans, cui poſthabita Tritonia Cyrrha
Servit, & antiquo decernit pilea ritu.
Iuſtior hæc laudum ſeges eſt, hoc pulvere currat,
Quiſquis ab ignavo ſenium defendere mundo
Tentat, & æternæ captat ſolatia famæ.
Quare age, magnorum teſtis præclara laborum
Aſpice Leyda virum, juvenem quem dixerit ætas,
Mens grandæva virum; quem vult natura minoré,
Majorem grandæva ſuis induſtria curis.
Aſpice, totus adeſt oculis, dum tempora triſtis
Præteriere moræ, Pallaſque exporgere frontem
Noſtra venit, poſtquam attonito delubra Senatu
Muta diu, ſolitis iterum reſerata loquuntur
Vocibus, & ſacri pandunt oracula vates.
Lætitiæ da ſigna tuæ, gratiſque verenda
Imperiis, lachrymaſque piæ miſerata Minervæ,
Iura ſimul ſceptrumque refer, venerare clientem,
Qui

ui novus incedit Sophiæ per templa ſacerdos.
cere jam dignos tantæ certamine laudis
eta choros, quantumque tuis facundia pollet
genii, expande decus. Stat certa merenti
ercedis menſura, juvant præcognita quemque
œmia, & egregiis gliſcit Sapientia donis.
a ſuis licet aucta bonis vix extera curet
dicia, & ſtrepitus vulgi, facileſque ſuſurros,
agnificaſque trabes, & honoris negligat arcem;
ſque tamen ſocios tacite ſibi poſcit honores,
pompæ plauſuſque aliquid, gratique favoris,
ſtrepitus patitur, quamvis non prœmia tantum,
uam curas, ſtudiumq; ſuum & ſe digna moretur.
At tu Pegaſeas tandem conſcende curules,
uò laudum ſe tollit apex; da cernere doctum,
d ſocia virtute, caput; tibi nomina tandem,
rincipibus conceſſa viris, & debita claris
genii, tardæ famulis inviſa Vacunæ,
ranſcribit ſenior venerando Snellius actu.
m votis menſura tuis, quæſitaque dantur
unera, dum plenis proſtat tua fama theatris,
ternum latura decus. nunc undique laudum
ingeris agminibus. jam te meruiſſe videmus,
um plauſus tituloſq; refers. jam dextera concors,
m placidæ prætexta togæ, jam pilea priſcum
igna decus, digitiſq; auratum inſigne coruſcans,
celſæ ſedis facies, tactumque volumen
ebita naſcenti decernunt jura Magiſtro.
ce novos Phœbo pubes dilecta triumphos,
tantum comitatur opus, tibi plena Lycæi
tria denſatis fervent devota catervis.
pplaudit ſimul æqua cohors, gratoque coronas
currus tibi corde parat. defertur amicus,
oncordi ſed voce, favor. tibi gratia Patrum
eſtit ovans, gaudet ſacra cum gente Senator,
otaque Pieridum cumulant plebeja favorem.

Iam Leydæ communis amor, jam maximus audis
Antiſtes Sophiæ, de te miracula quiſque
Colligit, inque animis plauſu meliore ſuperbis,
Scilicet hoc meritis præclari nominis addit
Annexus pietatis honor, tantamque rependit
Relligio tibi culta vicem, dum criminis inſons
Virtutis pura veneraris mente tribunal.
Euge, movent tua facta Deos, Parnaſia læto
Murmure templa ſonant; & te naſcente magiſtro,
Vndique Pegaſea Phœbus ſtipante caterva,
Carmina feſta fremit; tremulis quæ fluctibus inter
Luxurians fluidos Aganippe concitat amnes.
Pallas Cyrrhæa thalamum tibi ſternit in aula.
Calliope viridis contexit brachia Daphnes.
Melpomene tibi læta boat, ſed concinit illi
Dulcior Euterpe modulis. te cœlica vellet
Vranie celſa cœli regione locare,
Sed Iovis illud erat. quin laudis conſcia Parca,
Non rumpenda tibi promittit ſtamina Clotho.
Nec ſatis hoc. nimis arcta tuis ſūt noſtra triumphis
Regna, nec ingentes metitur Belgica laudes.
Trans pelagi ſpacium curris, dum nuncia rerum
Fama Britannorum velox ſe accingit ad urbem,
Natura famulante Deæ, quæ vincta reſolvens
Clauſtra maris, portus aperit, quò libera puppis
Poſſit oloriferas effundere nomen in undas.
Tuque mihi, titulis gravis, & fama ubere prægnans
Salve progenies, ſeris quæ debita ſeclis
Battavicis ponis laudum ſpectacla tuarum
Porticibus. lætare tuis mens ſplendida curis,
Quę dominum mercede beant, dum baſia jungunt
Hinc labor, hinc meritas texens Aſtræa coronas.
Sed dum per magnos graderis ſpectādus honores,
Vnum te Pietas & cœli filia poſcit
Relligio. ſacros ſtudiis invade penates,
Ipſum ordire Deum, pateant ſecreta Tonantis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Abramidum, priſcique patres oracla loquuti.
Cui tantum Natura patet, donataque cœlo,
Tota ſalutares mens imbibat enthea ſenſus.
Sic te, quem gravior fecit doctrina magiſtrum,
Relligio perfecta beet, ſic nobile lucrum
Chriſtiadum Pietas celſo te inſcribat Olympo.

Ad nobiliſſimum virum,

D. GERARDVM THIBAVTIVM,

Libros ſuos de Gladii uſu edere parantem.

HActenus indoctis Batavi pugnavimus armis,
Et ſimplex Bellona fuit; quum vindice nullo
Tuta Salus celeres nimium procedere mortes
Indoluit, vitamque truci committere Marti,
Et bellatrices exhorruit anxia dextras.
Pugnantum laus vilis erat, robuſtaque ſolum
Pluspoterat nocuiſſe manus, forteſque lacerti,
Fixaque fatali heroum veſtigia campo.
Perdomuit vis una viros, & gloria victrix
Naturæ, non artis, erat. Sic neſcia legum
Græcia privatas gladiis ulciſcitur iras,
Priamideſque ferox venienti occurrit Achilli,
Et falſis Patrocli animam depoſcit ab armis.
Nec Latium priſcique magis ſapuere Quirites,
Romulidumque pater; tunc, cum crudelibus auſis
Armaret geminos veſana ſuperbia fratres,
Æmulaque ingentis caderet pars altera Romæ.
Ignari noſtrorum operum pugnare Sabini,
Et vinci potuere patres, & freta duello
Agmina: nec tales credam vibraſſe machæras
Albanos, Tullîque duces: cum fœdere ſancto
Rixantes populos victor conjungeret enſis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Quid juvat è fragili pendentia retia filo
Artificem rexiſſe manum? quæ verbere vano
Currentem totâ juvenem deriſit arenâ?
Vos Threcum infames ſicæ, falceſque ſupinæ,
Parmaque, nec faciles avertere vulnera peltæ,
Et Myrmillonum pugnæ, rudibuſque ſuperbi
Cedite victores: quos quondam Martia circis
Et circumductis incluſit Roma theatris.
Nunc alius manet arma labor, delapſaque cœlo
Decrepitum felix induſtria perficit orbem,
Nec notum molitur opus. ſublimior enſem
Cura rotat, neque jam validæ vis effera dextræ,
Sed ſapiens doctrina ferit. ſuccumbitur arti,
Cum cadimus, ſolaque hoſtem ratione necamus.
Ipſa novos auſus, & tanti pondera veri
Miratur natura parens; quæ rara Thibautî
Sedulitas noſtro pandit mirabilis ævo.
Ipſe ſibi vitæ ſpatium mortisque futuræ
Scribit homo, & proprio metitur corpore ferrum.
Ars circo depicta jacet, ſimilique figurâ
Ingentis terræ faciem, divûmque penates,
Et noſtrum conſummat opus. ſignatur in illo
Littera; quò tutos poſſis defigere greſſus,
Et lethi vitare vias: ubi vulnera cautæ
Infligant funeſta manus: ubi deneget ictus
Semita, & hoſtiles ſpernat ſecura furores.
Area parva patet, totus quam ſuſpicit orbis,
Ignorata diu terris. hîc abdita ſenſus
Occultæ doctrina ſuos, generoſaque pandit
Dogmata, & humanæ miracula plurima mentis.
Quo gladio ſe munit, habet momenta ſalutis,
Pugnandique gradus. non ulla licentia ferri eſt,
Nec, quà velle poteſt, libertas tuta vagatur.
Lex motus immota regit. ſtant certa nocendi
Tempora, nec fruſtrà mucro mucronibus inſtat,
Aut gladius gladio premitur. jam vincere tactu,

Iam viſu ſuperare potes. nunc parvula tollit,
Nunc ſervat menſura virum. nunc occupat hoſtẽ,
Nunc fugit arte ſuum. nunc linea rectior enſem,
Nunc obliqua capit. nunc hoc, nunc eligit illud
Anxia dextra latus; totoque ſequacia circo
Brachia verſat ovans. Procul hinc fortuna faceſſe,
Bellorum Martiſque comes. pugnare parati
Ad numeros ſtabili tentamus prælia normâ.
Hæc mundum, Belgaſq; tuos, & regna Thibauti
Noſtra doces. ſtupuit tantæ molimina mentis
Auriacus: ſtupuere duces, devotaque bello
Nomina Naſſavii; queis cum committere dextram
Et pugnare datum. ſic quæ proſtraverat hoſtem
Sæpè manus, vir magne, tuas exercuit artes;
Victricíſque tibi conceſſit præmia palmæ.
Iam tua Cæſaream graſſatur fama per aulam,
Et reges tibi vota ferunt. Germania ſupplex
Expectata tui poſcit monumenta laboris.
Nos quoque, quos tantis dudum virtutibus ęquas,
Et neſcire nefas credis tam grande ſalutis
Præſidium, pariter magnis applaudimus auſis:
Quemque tuis cultum ſtudiis & voce dediſti,
Laudatum pariter grati tibi reddimus enſem.

QVERELA LVCRETIÆ

à Sexto Tarquinio violatæ, ad Collatinum, patrem, & amicos.

QVod ſum paſſa nefas, tibi, quos ſum paſſa dolores,
Collatine, querar. non jam Lucretia credor
Eſſe tui conjunx thalami, dum rapta pudoris

Prœmia Sextus habet, gremiumq; invaſit amator
Improbus, & noſtro deceſſit gloria lecto.
Si ſcelus eſt hæc ipſa pati, ferroque coactam
Cedere flagitio, dicat me fama nocentem,
Me Latium peccaſſe puta. ſi crimen habetur
Armatas ſenſiſſe manus, timuiſſe tyrannum,
Dic ſontem, dic, Roma, ream. ſi ſola voluntas
Arguitur, culpaque caret violenta voluptas,
Abſolvar, te teſte, pudor. mihi corpore læſo
Mens ſupereſt illæſa, nec hoc à pectore priſcus
Conjugii defluxit amor, mutataque caſti
Cauſa thori eſt. non Tarquinio dilecta rependi
Officium; miſeræque mihi non geſtus amantis,
Sed facinus damnantis erat; non brachia vecors
Injecit cupidæ rabies. adſpeximus hoſtem,
Et placui infelix, cui diſplicuiſſe volebam.
Græcia Pergamei luxit raptoris amores,
Ægyſthique nefas, Agamemnoniumque cubile:
Me Latiæ lugete nurus. ſunt altera vobis
Pergama, Romanuſque Paris, nec crimine tanto
Troja nocens ſolum eſt. ſerpunt exempla potentũ,
Improbitaſque etiam noſtram deſcendit in urbem.
Heu quid agam? neque enim ſtupro violata pudicis
Matribus annumerer: nec, cum ſim neſcia culpæ,
Damnari matrona queo. licet eſſe maritæ,
Intactæ non eſſe licet: ſociavit adulter
Corpora, non animos: rapuit vis ſola pudorem,
Non ratio; conſtanſque mei reverentia lecti eſt.
Ne dubita, Romane. mei mox certa pudoris
Argumenta dabo, nec in hæc ego fata ſuperſtes
Eſſe diu cupiam. quod ſi bona fama vacillat,
Morte luam ſcelus alterius, proprioque piabo
Funere. non erit, ut digito Lucretia monſtrer,
Non ego ludibrium nurubus debebo Latinis,
Nec quod ſuſpicio fallax ſibi fingat, habebit.
Omnia magnanimâ ſolvam diſcrimina dextrâ.

Me

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Me robuſta manus, violentaque Principis arma
Implicuere malis: rurſum violenta poteſtas
Eximet, & ſtricto tot rumpam incommoda ferro.
Non erimus patriæ indecores, exemplaque de me
Nulla petet mulier ſceleris. non ſemine regum
Progeniem tibi Roma dabo, aut invita tyrannos
Producam genitrix. forſan ſperata Quirino
Libertas per me dabitur, ſceptrique faceſſet
Terror, & inviſi ſcelerata potentia regni.
Quin pia poſteritas iratæ nobile factum
Conjugis, & juſti referet documenta furoris,
Et, ſi non patiens, ſaltem ſic fortis habebor.
Fraterno primi maduerunt ſanguine muri:
Succeſſit funeſta ſoror, Sponſique cadentis
Victima. femineum rurſus Tiberina cruorem
Terra bibat, diſcatque meo jam quælibet auſu
Illicitas odiſſe faces, & ſancta putare
Vota pudicitiæ, & ſocialis vincula dextræ.
Tu genitor cape tela manu, tu Brute viriles
Vltriceſque animos & grandes indue curas,
Vindictæque ferox ſtudium: nunc tempora ceſſent
Stultitiæ ſimulata tuæ; cui femina vinci
Inbellis potuit, timeat concurrere vobis
Dextra viris. hæc ſola meis ſolatia fatis
Collatine feras. pœnas perſolvat adulter,
Nec veniam donet ſpreto clementia recto.
Peccantem celeres Metium rapuere quadrigæ,
Et manſit ſua pœna reum, ſpretorque Deorum
Morte luit. fœdæ quondam perjuria matris,
Et ſpretos patris thalamos, vetitoſque hymenæos
Enſe Thyeſtiadæ clarus fuit ultus Oreſtes.
Viximus inſontes; titulo moriemur in illo:
Me pudet amiſſo vitam ſervaſſe pudore.

ORATIO MVTII SCÆVOLÆ

Ad

PORSENAM CLVSINVM *regem, poſtquam pro rege ſcribam obtruncaſſet.*

ADſpice, quem juvenem ſolum fortuna fefellit,
Bellorum jam jure reum. Rex, adſpice ſolo
Has ſontes errore manus. ſi Scævola pœnas
Debeat, abſolvet Romanum patria civem,
Ipſaque poſteritas. perii, quem ſenſimus hoſtem,
Et Capitolinis inimicum ſedibus hoſtis
Aggreſſus virtute fui. cur abnuis æther?
Cur, Superi, faviſſe pudet? num ſceptra tuetur
Rex hominum, Divûmq; pater? regumq; verenda
Majeſtas dilecta Iovi eſt? num fata triumphis
Incolumem ſupereſſe volunt? num noſtra ferocem
Terrebunt exempla ducem? aut gravioribus ultrà
Servaris Porſenna malis? quodcunque placebit,
Erratum ratione fuit. tamen, audiat æther,
Hanc doleo peccaſſe manum, conſultaque Divûm
Deteſtor diverſa meis. Etruria ſpecta
Romanæ virtutis opus, tantique laboris
Auſpicium, Latiæque animos mirare juventæ.
Non deerit cœptis alius, longo ordine poſt me
Regis in exitium feſtinat & alter, & alter,
Deque tua cunctis ſperatur cæde triumphus.
Caſtra vacent bello, lætus per jugera miles
Ambulet. haud petimus vili de ſanguine laudem,
Nec locus eſt pugnæ. juratum in viſcera regis,
In jugulos Porſenna tuos. unum omnia contra
Tela Latinorum. ſolum regale tribunal

Arma

Arma notant, condetque tuo ſe pectore ferrum.
Veſtibulum ante ipſum, primoque in limine ſicam
Sica premit, mixtuſque tuis Romanus inerrat
Militibus, tua circunſtat tentoria, regem
Qui feriat. te poſci unum, tua corpora quæri,
Te ſignari oculis video. fit funeris hora
Quælibet hora tui, momentaque ſingula claræ
Partitur jam Roma neci. tu mænia cingis,
Intentaſque famem populis: ſed gnara nocendi
Dextera circumſtat pavidum, & cervicibus enſis
Imminet. in mediâ fulgent diademata fronte,
Sed ſpolium ſperata meis: quæ purpura cocco
Iſta rubet, bibet illa tuum funeſta cruorem:
Quodque geris ſceptrum, fatalis polluet ictus.
Hoc fato Rex eſſe potes, ſemperque, quod unus
Extimeas jugulandus, erit. Iam ſæviat in me,
Cui vacat eſſe truci. ſpernunt Romana dolores
Pectora, nec, regum quiſquis percuſſor habetur,
Supplicium timuiſſe poteſt. mihi fortia, crede,
Conari & perferre datum. nec gloria diſpar
Vel mortis, vel cædis erit. ſuſpiria, planctus,
Et gemitus odiſſe, virûm eſt. mens conſcia recti,
Libertatis amor, patriæ tutela ſalutis,
Infractos ſubdunt animos, & præmia famæ
Proſcripſere metum. quam cernitis, ara, focuſque,
Teſtis erunt, quantis ſeſe conſtantia factis
Explicet. en flammis ultricibus uritur illa
Romanis minus æqua manus, quæ dextra fefellit
Me dominum, Porſenna, tuis jam tota favillis
Arſit, & hanc noſter pœnam mihi debuit error.

ORATIO VETVRIÆ,

Ad CN. MARTIVM CORIOLANVM *filium, armis patriam impetentem.*

QVò maleſane ruis? patriæque haud tale merenti
Hoſtiles infers acies, & tela Latinis,
Infeſtoſque tuis intentas mœnibus enſes?
Quid Latium, quid Roma in te committere tantũ,
Quid cives potuere? tua eſt Volumnia conjunx,
Quam ferro ſcelerate petis; tua pignora, Marti,
Natorumque feris jugulos, ultorque malorum
In mea victricem convertis viſcera dextram.
Vſque adeóne tuo concedis frena furori?
Nec ceſſas certare odiis? tantumne licebit
Invidiæ? patriæque tibi venerabile nomen
Sub pedibus, ceu vile, jacet? jam filius hoſtis
Eſſe cupis, materque tui cum conjuge belli
Materies feralis ero? quas eripis urbes,
Eripis & nobis, & quos graſſaris in agros,
Hos credam quoq; jure meos. quæ mœnia perdis,
Sunt matris, ſoboliſque tuæ. periere Novella,
Corioli, Satricumq; potens, Trebiumq;, Pedumq;,
Et Labici, ſupplexque tuis Polluſtria caſtris;
Meque tuoſque malis demens involvis iiſdem.
Sit plebes Romana nocens, proſcripſerit illa
Inſignem virtute ducem. non illa probare
Innocuæ potuere nurus. damnavimus uno
Ore nefas. ſontes incuſent jura tribunos,
Hi belli decreta luant. ego mater iniquas
Sum nati miſerata vices, lachrymiſque peregi
Officium, verbiſque fui ſolata dolorem.
Hoſtibus immixtæ, conjunx, ſoboleſque, parenſque
Vivimus, & noſtro petitur vindicta periclo.
Ex æquo furor iſte nocet. complexibus hiſce

Cur

Cur hærere cupis? quæ me complectitur hoſtem
Dextera? nec genitrix nocituris eximor armis.
Hæc facies irata mihi eſt: quæ baſia figis,
Das inimica mihi. nunc omne hoſtile putandú eſt,
In Romam dum caſtra moves, dum claſſica matrem
Sollicitant, teneroſque cient tua bella nepotes.
Hac ego, quam genui peperique Veturia, jamjam
Abducar captiva manu: devicta triumpho
Deſtinor: ante tuas incedam vincta phalanges.
Brachia numellæ; qui te geſſere, lacertos
Vincula conſtringent: quæ ſæpius ubera flenti
Porrexi puero, nunc improbus hauriet enſis.
In cunas rabies, proprioſque inſana penates
Arma ruent, &, quos habitaſti mitior olim,
Evertet tua dextra lares. depoſcitur inſons
Ad pœnam puer, & culpâ mactabimur unâ.
Hos ego te in caſus, & in hæc te fata Quiritum
Progenui? ut noſtro natus de ſanguine Romam
Perderet, & Volſcis creſcentem traderet vrbem?
Heu tanti ſum cauſſa mali, ſum, Romule, nomen
Imperio fatale tuo. jam naſcitur ex me,
Cui vix nata ſuam debebit Roma ruinam.
Cur turpi me morte mori, cur crimine tanto
Coriolane cupis? generique adnectis & umbris
Opprobrium tam grande meis. miſerabilis, exul
Eſſe velim: ſolùm, per te periiſſe, ſceleſtum eſt.
Conduplicat tua cauſa malum: mihi cerneris idem
Hoſtis, & extorris patria. ſors utraque matrem,
At magis illa premit. res ſcilicet altera fati eſt,
Arbitrii res una tui. depone feroces,
Et nobis placare, minas. quin adſpicis illa
Romulidûm conſtructa manu, & jam didita fama
Mœnia, Mavortiſque domos, veterumque celebres
Relliquias Danaûm, atque novæ faſtigia Trojæ.
Si non illa movent, ſaltem miſerere parentis,
Natorumque, pater. pudor eſt, tibi, conjuge ſerva,

Deque triumphatâ promitti matre triumphum.
Irarum decerne modum. malè bella miniſtrat
Impetus. humanis etiam ſuccenſet Olympus
Criminibus, ſed thura Deos, ſed vota, precesq́ue,
Sed flectunt lamenta Iovem. num patre rogante
Hectoris exuviis atrox ignovit Achilles?
Quamque prius rapuit Priamo Tirynthius urbem
Reddidit, ultriceſque Deos placavit Oreſtes?
Quod ſi nec gemitus, mea nec ſuſpiria frangunt
Præcipites animos, tibi ſi contemnitur uxor,
Roma, Deûmq; locus, tot nomina blanda tuorum,
Infulaque, & Patrum referentes juſſa Quirites:
Impete maternos jugulos, in conjuge ferrum
Abde ferox, ſobolem patriis à mœnibus arce:
Sæviat in ſocios cognata potentia cives:
Rideat hoc Volſcus, Vejenſque, & iniqua Faliſci
Nomina: crudeles placeant Samnitibus iræ:
Solaque Romano ſuccumbat Roma furori.

ORATIO CATILINÆ,

milites ſuos ad pugnam cum Antonio hortantis.

HOc ſtamus, Fortuna, loco; nec patria ſegnem
Experiere Ducem. preſſi ſervire Quirites
Si cupiant, mihi bella magis, tentandaq́ue ferro
Libertas, ac fama placent. plus deſide vita
Clareſcet morientis honos. ſi dura ſecundos
Succeſſus mihi fata negant, at fortibus auſis
Et cœptis illuſtris ero. ſpes ſola triumphi
Audacem intrepidumq; facit. non Conſulis enſes,
Non metuit mandata Patrum, qui ficta Senatus
Nomina, qui cunctis trabeas Latiaſque curules
Deberi ratione putant. cur tota Catonem

Roma

Roma tremat? cur Auſoniæ terriſque ſuperbus
Arpinas mandata dabit? cur horreat orbis
Piſonem, Catulumque, & ditis jugera Craſſi?
Hoc plures, Romane, ſumus. cur tanta poteſtas
Paucorum, cur tota manet? nos ſanguine eodem
Eneadum ſtirps clara dedit. non Romulus illis,
Non ſolis Mavors pater eſt, nos ſemine ab illo
Fluximus, & veterum titulos ſervamus avorum.
Cur aliis diti turgeſcant ſcrinia cenſu?
Paupertas nos ſæva premat? ſtipendia gentes
Penditis, hi rapiunt. dant vectigalia reges,
Dat populus, nos æra gravant, alienaque perdunt
Nomina. nos, tetrico paſſi ſermone repulſas,
Iudiciis debemus opes. illuſtribus illi
Imperiis totum ſtringunt ſub faſcibus orbem;
Obſequii nos cura manet, famulique laboris
Depremit officium. noſtris Reſpublica juſſis
Cur parere neget? cur me, cur, patria, cives
Deſpicis hos, tantiſque indignos credis habenis?
Ludibrium tibi Roma ſumus, contemtaque turba
Negligimur. præeunt aliis antè ora ſecures,
Hos grandis prætura beat: locupletior iſtos
Illuſtrat quæſtura patres: rapit ille ſacrorum
Iura ſibi, & circum pendentibus infula vittis
Circumdat gemmata caput: faſtigia laudum
Terrarum dictator habet: timet ipſe tribunos
Conſul, & emeritas aquilas emancipat alter.
Nos numerus ſumus,& viles cõtemnimur umbræ,
Degenereſque animæ. Pariis exſtructa columnis
Limina conſpicitis paſſim: nos paupere tecto
Claudimur. ingentes ſternunt ſeſtertia montes,
In fluctus jam luxus abit; rabiemque profundi,
Oceanumque patrem Romana ſuperbia vinclis
Alligat. En cœlo ſublimia ſaxa minantur,
Stultitiaque petunt Superos. nos indiga rerum
Pauperies, atque æris inops affligit egeſtas,

Et

Et ſcelerata fames. num vos hac ſorte novercans
Progenuit natura parens? hac vivere triſtes
Conditione cupit? ferro decreta Deorum
Rumpite, præſcribat fatis induſtria legem;
Et quales nos eſſe volunt, non eſſe velimus.
Audaces ſors ipſa juvat, quin imperat aſtris
Sedulitas, & cura vigil. jam deſinit eſſe,
Cui dolet eſſe, miſer. patimur, ſervimus inertes.
Macti animis, ſubeat tanti fiducia regni,
Et Latii decus, & potiundæ gloria Romæ.
Vos patriæ tangat pietas, & dulcis amœnæ
Libertatis amor; multi ſpes erigat auri
Languentes animos. leges calcate timendas;
Quemque ſuæ rapiant generoſa in prælia cauſæ,
Sed potior merces. hæc belli præmia proſtent
Antè oculos, magni vobis auguſta Senatus
Nomina, & hos ipſos Tullî promittite faſces.
Dux, mileſve ſiem, nullo diſcrimine habebo.
Dicite me ſocium: tanti collega laboris
Aggrediar clarum facinus, flammiſque penates,
Enſe viros, dominoſque ulciſcar Roma ſuperbos:
Aut ſignate ducem. patriæ devota ſaluti
Bellatrix eſt illa manus. qui militat enſis,
Militat hic vobis. hic Divûm vindicat aras
Perdendoque dabit vitam; per funera, cædes,
Ad magnas graſſatur opes, aviduſque cruoris
Sanguine reſtituet patriam. jam tecta, penates,
Roſtra, lares, noſtraque ruant Capitolia dextra.
Nobilitas inviſa cadat, feriantque curules
Tela, nec à claris revocetur faſcibus enſis.
Libera mutato gaudet ſic Roma renaſci
Conſule, ſic pulſo dabitur pax tuta Senatu.
Ite viri, Latiiſque truces occurrite caſtris,
Victores ſperate Deos. jam fortibus eſſe
Expedit, ignavis noceat. jam parcere cives
Civibus hora vetat. veniam clementia victrix,
Sed

ed poſt bella, dabit. primas audacia partes
ffreniſque furor teneat. diſcrimina, pœnas,
xitium, mortes timeant, quos arguit atrox
Cauſa reos. quotquot metuunt, jam proxima morti
Regna tenent, ſoluſque timor pars certa pericli eſt.
Nec ſpes ulla fugæ eſt. gemino circumdamur hoſte,
Stant ſterili mea caſtra loco, faſtigia circùm
Aëriæ attollunt Alpes. hinc ſigna Metellus
Gallica, parte alia adverſis Antonius armis
Bella movet. ſtricto ſternenda eſt ſemita ferro,
Viſque viam inveniet. certæ momenta ſalutis,
Qui pugnabit, habet. quod ſi moriemur, inultos
Turpe mori. cernat populi ferale cadaver
Roma ſui, madeatq; ſuo quoque ſanguine, quiſquis
Hunc bibet, & belli ploret diſpendia victor,
Vindictæque furor manes deſcendat ad ipſos.

IN NVPTIAS
Ampliſſimi, doctiſſimiq; Viri,
PETRI C. HOOFT,
Poëtæ Batavi, ac in Tragico dramate ſummi, ſecundum Sponſi.

HActenus à tragico Vates celeberrime cantu
Idalium meditaris opus; grandemque cothurnum
Exuis, & Paphiis diſſolvis tempora (curis.
Iamque truces iras, & ſævi crimina Velsî,
Vltoreſque Deos, caliganteſque profundæ
Tiſiphones thalamos, excitaque ſedibus imis
Numina; confoſſumque Ducem, tantoq; piandum
Funere flagitium, tot triſtis nomina ſcenæ
Dediſcit tibi Muſa loqui; tenerumque Diones
Ingenium, moreſque procans addiſcit amantum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Ad ſoccum deflectit Amor, cupidiſque maritam
Occupat officiis; nec jam tua fecibus ora
Dedecoras, vultuſque tuos abſcondis in illis:
Sed cunctis noſcendus ades, pulchroque decorus
Corpore fragrantes thalamis inſpergis odores.
Non fuſis per colla comis, verbiſque ſeveris
Machtildem præbes populo. ſtant lege capilli,
Comtaque cæſaries, & lætæ frontis honores,
Pellaceſque oculi, voceſque in amoribus aptæ,
Atque inter molles lucentia lumina riſus
Efformant geniale caput, Sponſumque loquuntur.
Non Theſpis tibi verba gravis, mœſtumq; tragœdo
Dictat epos, ſed blanda ſuos Cytherea lepores
Suggerit, & feſto reſonant proſcenia cantu.
Flebilis orcheſtræ facies & pulpita læto
Mutantur funeſta thoro: nec veſtra loquacem
Admittit cortina chorum: quin fabula ſolùm
Actores capit iſta duos, longeque remotus
Hac ſcena ſpectator abeſt. ſic omne tenebris
Officium moderatur Hymen, poſitoque pudore,
Iam tibi, jam Sponſæ ſociandos dividit actus.
  Dum loquor, ecce gravi regina *Tragœdia* greſſu
Ingreditur, foribuſque meis ſeſe altior infert,
Sed priſcos exuta habitus: non longa trahebant
Syrmata funereæ veſtes, piceaſque rotabat
Dextra faces, qualis furias recitavit Oreſtis,
Aut Hecubam fari docuit, dirumque Thyeſten.
Vtque per Aonios ſpatiantem ſuaviter hortos
Me videt, atq; aliquam capiti prætendere laurum,
Nec vatum averſum ſtudiis, Batavique poëtæ
Ludere per thalamos, totamq; arceſſere Cyprum:
Et noſtrum, Barlæe, tuis intexe Camœnis
Carmen, ait; Clarios à me pater Amſtela fontes
Accipiat, Pimplamque ſuis permiſceat undis.
  Diximus Ægyſthi facinus, ſpretamq́ue Pelaſgo
Colchida, & ingenti Troas ſubnixa cothurno
Per

er me bis raptam fuit execrata Lacenam.
icta mihi Phædræ rabies, inceſtaque mater
ippolyti, fictiſque ſtuprum mentita tabellis.
oc dedimus ſceleri precium, famaque nepotum
ivit adhuc crudelis amor, fœdoſque Hymenæos
undunt perpetuæ ventura in ſecula chartæ.
m libet in caſtum deducere carmina lectum,
t vatem cantare meum; ſcenæque magiſtrum,
randiloquamque ſuis animam donare Batavis.
ndique jam feſtis collucent atria tedis,
t picturatis fulgent ſpatioſa tapetis:
ſolle lyræ blandumque ſonant, dum ſuſcitat ignes
ponſus, & ad veteres ſubridet Sponſa labores.
la maritali, tunicas diſcincta, cubili,
t voti jam certa jacet, pictoque ſub oſtro
Tota latet, niſi quà roſeis formoſa labellis
Ora micant, ſpectantque virum. non ulla beatos
Stringunt vincla pedes, nec gemmea ſerta cubantis
Colla gravant. fluidas laxavit fibula veſtes,
Vt ſic virginitas poſſit deprenſa timere.
Nec timor omnis abeſt illi, ſed docta timorem
Caſtigat matrona ſuum, diſcitque pudere
Cum ratione pudor. lachrymas non fundit inertes,
Non ſimulat bis nupta metum, ſed lenis amari
Se patitur, lectique licet reverentia cordi
Inſideat, placet illa tamen, petiturque voluptas,
Quæ neque Scipiadum matres, ſponſamq; Catonis,
Andromacheſque thorum, majeſtatemq; Deorum
Dedecuit, quamque ipſa Iovi non exprobret uxor.
Hippomenes illam ſi ſic ſpectaſſet amator,
Optaſſet ſe poſſe frui, pernixque virago
Languidius dilecta foret: Briſeida Achilles
Sperneret, infidis fugeret Leander ab undis,
Nec quicquam chara Patroclus in Iphide pulchrum
Eſſe putet, Thisbenque ſuus dimittat amator,
Nec Phœbus Daphné, nec Gnoſida Bacchus amaret.
Stant

Stant ternæ circùm Charites, natasque ſub Ida
Adſpergunt thalamo violas, coſtumque, roſaſque,
Cinnamaque, & quidquid meſſes miſere Sabææ,
Almaque odoriferis donavit flatibus Eos.
Geſtibus Euphroſyne blandis irritat amorem,
Et pulchras reſoluta comas, nudata papillas,
Lene ſalit. juxta modulis cœleſtibus Ægle
Furta canit Paridis, Batavæ jam Phyllidis ignes,
Auriacique faces, vel qualis nuper ab hoſte
Ille redux, victi ſpoliis inſignis Iberi,
Obvia ab Ameliæ decerpſerit oſcula labris.
Tertia Paſithee dextris innexa ſororum
Conjugibus ſua fata canit: fecundaque lecti
Otia, nec mœſtis temerandos ſolibus annos.
Parte alia lentis deducit ſtamina fuſis
Præſcia fatorum Lacheſis: cætuſque per iſtos
Omnis Pieridum currit chorus, ipſaque dum ſe
Melpomene multùm Sponſo debere fatetur,
Ingeminat geniale melos, facundaque narrat:
Heleonora quibus poſſit contendere donis,
Amſtelias prægreſſa nurus, quæ gratia vocis,
Quantus in ore lepos, quæ circumfuſa facultas
Ingenio, quales formet prudentia mores,
Quàm thalami veneranda fides: ut neſcia fuci
Candida ſimplicitas cunctos intermicet actus.
Ipſa leves manibus ſtringit Cytherea ſagittas,
Telaque, queis vatum potuit læſiſſe maritas.
Hanc circum pennata cohors, atq; omnis amorum
Turba volat, gratiſque onerat connubia donis.
Pars offert feſtiva jocos: pars altera riſus,
Et doctos in amore oculos: pars blanda *Secundi*
Baſia: pars magno cantatas *Cæſare* quondam
Mellifluas largitur Apes: pars carmina *Catzi*,
Pars bellatoris modulos, luſuſque *Reali*
Antè pedes poſuit: pars deſudata miniſtrat
Otia *Conſtantis* Batavi. jacet illa, ſtupetque

Munera

ſunera totDivûm,atq; oculos ad ſingula confert.
At tu, grande decus patriæ, cui ſidera tranſit
.rdua vis animi: cui nil facundia tritum
.ut loquitur vulgare, tuis qui verba Batavis
.ræformas, farique doces; qui proximus undis,
)ceanique inter ſtrepitus & regna, cothurnum
.nduis, & tragico metiris pulpita greſſu,
.d laudes aſſurge tuas. ſi Graja Sóphoclem
.erra tulit, tu Belgarum proſcenia genti
.ternis, & æquoreis præbes ſpectacula terris.
.u, ſibi quem vellet jam Gallia mœſta renaſci,
.enricum doctè celebras, tu prælia ſcribis,
.am belli, jam pacis opus, tantique verendum
.rincipis imperium, claroſque ediſſeris auſus.
Nunc aliud tibi dictat amor, nunc conjugis Hymen
Exigit officium. deterſis fecibus, ora
Myrtus amica tegit. veteres, Vir magne, furores
Concipe, Veſper adeſt; dilataque gaudia rurſus
Auſpiciis ordire novis; exercita mox te
Sentiat eſſe virum conjunx: tituliſque parentum
Illuſtret fecunda domum. ſic vita duorum,
.ſtaque, ſed læto, tibi plaudat fabula, fine.

PROPEMPTICON,

Ad Ornatiſſimum, præſtantiſſimumq; Iuvenem,

IOANNEM SCHOTERBOS,

Convictorem meum, cum Britanniam adiret.

SIccine Battavicæ chariſſima corcula terrę,
Et natale ſolum, nec faſtidita tuorum
Nomina, maternoſque lares, & littus amicum
Deſeris? & toto diviſos orbe Britannos
Belgarum ſecurus adis? vocat æquor euntem,

Naia-

Naiadumque chorus vitreis te vectat in undis,
Sedibus avulſum patriis. & nobile pignus
Excipit infidâ fragilis fortuna carinâ.
Hîc medios inter fluctus, dum regna Deorum
Adſpicis, & celſo rutilantes fornice flammas,
Non ultrà arboreis viridantem frondibus Hagam,
Sed maria ampla vides: non magni Principis arces,
Sed formidatas inimico in littore portus,
Hoſtileſque rates Morinûm, & feralia cernis
Claſſica: non inter tumidos Academia fluctus
Apparet; non illa domus, quâ ſæpè ſolebas
obria convictor partiri prandia mecum,
Nec multum dubiis obſonia poſcere menſis.
Antè tuos oculos grandes jam corpora Phocæ,
Aut piſtrix ſquamoſa movet, vel turgida ſpectas
Carbaſa, quaſque ſuis oneravit mercibus Eos,
Aut redolens Aurora rates. pro matre ſalutas
Thetida, & abſentes quoties ſubiere ſorores,
Spectantur tremulis Nymphæ Oceanitides undis,
Et Nerei laſciva cohors. jamque æquore in ipſo
Miraris magni miracula plurima mundi;
Vt refluis Neptunus aquis ſubſidat, & amplos
Diſtendat vis cœca ſinus: cur pocula Triton
Salſa bibat: quo Luna regat moderamine fluctus,
Et ſibi præſcriptas metuat tranſcendere metas
Ingentis rector pelagi: quo numine in Arcton
Dirigat incertas virtus magnetica puppes:
Vnde fluant ipſum terrentia flamina Tiphyn,
Et redeant toto tranquilla ſilentia ponto,
Alcyonumque dies. illic flammantia noctu
Sidera, & errantes æterna lege tueris,
Demerſo jam Sole, Deos: ut magnus in orbem
Orbis eat, proprioque adverſum lentius axe
Corpora nitantur ſeptem. cur cornua languens
Vertat in occaſum, mox creſcens vertat in ortum
Cynthia: quid rutilos maculis deturpet honores:

Nunc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

unc totos ſpiſſa involvat caligine vultus,
ſtraque retrogrado faciat procedere greſſu.
Hæc ubi perpendes tacitus: mihi dicta revolves,
t prælecta tibi veteris ſuffragia ſecli,
t Grajæ decreta ſcholæ. tunc fortè ſubibit
arlæi vox rauca tui, clamataque noſtris
ogmata porticibus, doctique oracla Lycæi.
ox ubi te Celtas inter littuſque Britannum
ura feret, Batavis quondam celebrata triumphis
quora, & Heſperiis inimicas claſſibus undas,
t debellatum Belgis mirare Philippum.
lic merſæ periere rates: hic vecta carinis
ætica caſtra jacent: hic bellatricia roſtra,
eliferaſque arces, tot tranſtra minantia cœlo
Disjecit gravis ira Deûm, portuſque remugit
ccius, & vaſti tremuerunt regna profundi.
Tunc patriæ fortuna tuæ, caſuſque tuorum,
Primaque felicis ſubeant molimina belli,
Armaque, quæ noſtris pepererunt otia Muſis.
At poſtquam feſſam fundaverit anchora puppim,
Et certus telluris eris; Tameſina viator
Oppida & inſignem ſceptris regalibus urbem
Lætus adi, regumque domos atque atria ſpecta,
Et mihi cantatas Caroli venerare tiaras.
Suſpice Pieridum columen, quo dante, beatum
Aurea iampridem laſſarunt pondera vatem,
Et lauro potiora tuli, cunctæque canenti
Sordeſcunt hederæ, &, doctorum præmia, frondes.
Hic ſua Romulidûm poſuit tentoria ductor,
Et bellatrices aquilas; ſenſitque Quiritum
Imperia & Latios generoſa Britannia faſces.
Illic permixtam peregrino Saxone gentem
Adſpicies, pulchroque procul candore nitentem
Albiona, & forti contermina littora Scoto:
Oxonios etiam colles, montanaque circum
Paſcua, regaleſque ſcholas, & docta videbis

Limina

Limina Pegaſidum, nec non, cuſtode remoto,
Lanigeros errare greges; ut viſcera terræ
Subruat, & pallens ſcrutetur dextera ſtannum.
Sic novus externis hærens in ſedibus hoſpes
Et mores hominum,& populorum crimina diſces;
Quid fædum factu, quid cum ratione ſequendum,
Quid magis expediat, quid poſſit inutile credi,
Optimaque in patrios referes exempla penates.
Grande decus Iuvenum, propera felicibus Euris,
Et longum, dilecte, vale. tibi vota ſecundet
Æolus, & faciles impellant carbaſa venti.
Ille tibi frenet Cauros, Auſtroſque catenis
Stringat, & Arctois Zephyros emancipet undis.
Nulla tuam vel Scylla ratem, vel cœca Charybdis
Sorbeat, aut diræ ſidus ferale Lacenæ
Fulgeat. iratum placabunt verba Tonantem,
Maternæque preces, & ſi quid carmina poſſunt,
Illa etiam cœli poterunt lenire furorem.
Si minus illa juvant, ſaltem ſecura per æquor
Inveniet doctrina viam, perſpectaque Divis
Ipſa tibi tua jam probitas, laudataque virtus
Sternet iter. cœlum, tellus, mare, ventus, eunti
Cuncta favent, faciliſque tibi ſe commodat æther.
Hoc unum primumque precor, ſeu portus habebit
Incolumem, Tameſiſque ſuas te ducet in urbes,
Seu procul à patria tumidis jactaberis undis,
Seu quadrupes te tollet humo, ſeu tergore ſuras
Tectus eas, feriantque tuas calcaria calces,
Seu ſitias, ſeu pocla bibas, ſeu Veſpera feſſum
Excipiat, vigileſque tibi matuta caballos
Aptat; ut abſentis (nec enim labor iſte gravabit)
Digneris meminiſſe mei, nec vilis amici
Ingenuos memori verſes in pectore vultus.

AD

AD
WINANDVM RVTGERSIVM.
Philoſophiæ laurea donatum.

Carmen Iuvenile.

VLtima Palladii ſumunt exordia faſces,
Cum trabeis creſcunt tituli, rurſusque triumphans
Ardua Pierios laſſat Sapientia colles.
jam Pegaſeo late veneranda Senatu
octrinæ delubra patent, foribuſque Minervæ
clyta victrices ſuſpendit Leida coronas.
ıque ô, qui patrium claris virtutibus orbem
uſtras, tantos inter ſpectande triumphos,
urgerſi, procedis ovans, ac judice Phœbo
oveheris, ſignaſque novis inſignibus annum.
t non indecorem claris te, magne, Sophorum
ſeris ordinibus, nec te veniente dolebit
uriacæ regina ſcholæ; per grandia rerum,
r clauſos naturæ obices, per quicquid ubique
ire poteſt mens docta, vel ignorare recuſat,
adis iter laudum, & vaſtas diffuſa per artes
requieta ſuos virtus exuſcitat ignes.
ima tibi gravibus trita eſt diſcurſibus ætas,
ſapuit de matre recens. tibi contulit idem
genium vitamque dies. præſaga futuri
rdua mens, vix paſſa parem, feſtinaque laudum,
npatiensque moræ, ſocias vigil antè cohortes
ertit ovans. ſemper Pallas perſpecta priores
rget, & à tergo venientum deſpicit agmen.
ox ubi firmarunt pleni præcordia ſenſus,
gnovit natura ſuum, complexa miniſtrum
œcundo matrona ſinu; mundique labores,
linc varios animæ genios, hinc fertile terræ
genium, tot rerum obitus, tempuſque locumq;,
Mate-

Materiæque informis opus, miranda Deorum
Atria, & aurato rutilantia ſidera vultu
Prodidit, & magno dominum dignata theatro
Abdita tantarum patefecit ſemina rerum:
Quis celſi convexa poli, quis limina Divûm
Suſtineat verſare manu: cur cornua Phœbe
Mutet, & auricomi velox veſtigia fratris
Ponè premat: nunc ipſa prior contendat in ortum
Nunc ſociet dirimatque faces, medioque recedat
Æthere: corporibus quæ ſint elementa caducis:
Quam diſtet natura Deûm; quæ cognita monſtrent
Angelicos documenta choros: quam diſcrepet orbi
Angulus, & pulchro vitium ſecedat honeſto.
Non ita judicio Minos commiſſa ſevero
Factaque fortunaſque animarum & crimina diſcit
Nec vitæ pars ulla perit: ſed tempora curis
Cuncta vacant diviſa ſuis. quos otia perdunt,
Non credis fluxiſſe dies. ſi prævia Solis
Nuncia purpureo Pallantias exit amictu,
Tot mundi ſecreta legis; ſi veſper Olympum
Induat, emerito ſubducens lumina mundo,
Te tuus urit amor. vulgoque ereptus, & umbris,
Adſpicis æternis habitatas mentibus arces.
Iamque tibi feſſam firmaverat anchora puppim,
Cum titulis decorandus ades, generoſaque ſprevit
Privatos doctrina lares, teſtiſque laborum
Leida fuit: cum jam trepidum gaviſa Sophiſtam
Riſit, & exactis clamavit pilea curis.
Palladii ſtupuere ſenes, attentaque Phœbi
Conticuit domus, & ſancti delubra Senatus.
Tam celer ingentes explevit curſus honores.
Currus Pegaſei ſtrident, Sophiæque curules
Approperant, geſtitque novo jam vindice Pallas,
Ingenii mirata decus, tantique ſuperbum
Pectoris officium, doctæque exorſa juventæ.
Quare age Socraticos inter celeberrima cœtus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Scande triumphalis culmen venerabile ſellæ,
Edita mens, proceresque inter ſpectanda togatos
Iura ſuperba tene. geniis donata Sophorum
Principibus, magnis animum nunc laudibus exple
Victor, & æternas capta tua præmia lauros.
Panduntur laudum portæ, tibi buccina mugit
Pegaſidum, feſtoque fremit tibi carmine vates,
Nec tanto dubitat plauſum conferre triumpho.
Ante tuos currus doctæ ſeptem ordine divæ,
Quarum barbaricas ſolertia deſpicit artes,
Incedunt, gratoque ducem ſermone ſalutant.
Prima Palæmonios oſtendens virgo labores
Ingreditur, calathiſque effundit lilia plenis,
Phocæis allata jugis. hanc pone ſequuta,
Amplificam pandens chlamydem, Facundia palmã
Explicat, & ſuavi ſolvit præconia voce.
Mox contracta ſubit Ratio. quartumque Galeni
Ridet opus, tanto deſtructum præſide diva.
Hinc quæ diſcreti diſponit munia quanti
Ad numeros dea vota facit, Pyliamque ſenectam
Suppetat, & ſeros excurrens nomen in annos.
Quam radio totum deſcribens gentibus orbem
Inſequitur regina, tuoſque expandit honores,
Et vaſtum laudis ſpacium. tibi ſidera ſexto
Ordine & ipſa Deum deſignat tecta virago.
Vltima dulciſonis victori concinit hymnis.
Felix, cui tantæ præconia ferre catervæ,
Et precium cœleſte datur, cui docta dearum
Agmina, & Aoniæ deſpondent vota puellæ.
Nec tamen immodicus proprii jactator honoris
Aſpectandus ades. generoſa modeſtia laudem
Diſſimulat, tituloſque ſibi mens candida demit,
Quos pudibunda capit. non ſe meruiſſe fatetur
Quiſquis adhuc neſcire putat, geminoſq; triumphos
Victor agit, quicunque ſuos dum perdomat hoſtes,
Demiſsâ ſe mente domat, lauroque togâque

Fit minor, & tumidos calcat bis victor honores.
At tu Battavicæ qui ſurgis gloria gentis,
Emeritus mundi ſtudiis, caſtriſque Minervæ,
Thura Deo laudeſque refer; perſolve Tonanti,
Qui novus intrabis Chriſti delubra ſacerdos,
Vota preceſque tuas. jam te cœleſtia poſcunt,
Et ſancti vates, & primæ ſenſa loquelæ,
Ipſaque Relligio. ſophiæ deſcende theatris.
Sat mundo terræque datum: deſueta prophanis
Vna Palæſtinos mens ſacroſancta prohetas
Imbibat, & magnum deſtillet ab æthere Chriſtum.

In obitum laudatiſſimæ matronæ

MARIÆ de IONGHE,

Vxoris ampliſſimi præſtantiſſimiq; viri

LVDOVICI KINSCHOTII.

Conjugis extinctæ cineres, raptumq; cubili
Pondus, & irriguis madidam ploratibus urnam
Dum quereris, Kinſchote, tuis diſſolvor in undis,
Et mea ferales humectant carmina guttæ.
In foribus fumant taxi, nigrumque reducit
Immitis Libitina diem. ſtat triſte feretrum,
Plutoniſque domos, &, quo propellimur umbræ,
Laxat terra ſinus. atratis limina ſquallent
Porticibus, parteſque dolor ſe fundit in omnes,
Et mediis lacrymant etiam tibi marmora tectis.
Conjunxit Cytherea duos, divellit amantes
Parca ferox, viſumque iſtâ de conjuge ſummis
Diſſentire Diis. rapit inclementia Fati,
Quã thalamo donarat Hymen, teneroſq; per annos
Occurſat Veneri Lacheſis, tedæque recentes
Præluxere rogo. vix nomen dulce mariti,
Vix notum tibi dulce patris; vix blanda Diones
Otia, & inſolitos lectus perſenſerat ignes,

Cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Cum frigus lethale ſubit, ſociamque thorumque
Corripit, & primos mors interturbat amores.
Qualis in Heſperidũ cum pulcher amaracus horto
Occidit, & roſei pallent ante ora colores,
Avulſum cum virgo rapit, vel ſævior Eurus
Diſcutit infeſtis vernantia culmina nimbis:
Talis erat MARIAE vultus, cum poſceret illam
Iuppiter, & pulcrum ſecuit Proſerpina crinem.
Scaldiacæ flebant matres, ubi Iunia primos
Extulerat mundo claris natalibus ortus,
Atque alibi ſenſere mori. circumflua cunis
Nereidum genitrix tanti quoque conſcia luctus
Ad tumulum feſtina ſtetit; fluctuſque propinquos
Et totum in lacrymas fudit mare. flebat & ipſe
Scaldis, & æquoreis mœſtum caput abdidit undis.
At Zirizæa piæ ſpectans lamenta ſororis,
Iam Superos jam fata dolens adverſa vocabat,
Et circumfuſis ſpargens ſuſpiria campis,
Triſtia tingebat lymphis rorantibus ora.
Quin etiam Fauni & Dryades, Haganaque circum
Numina, ut ereptam ſenſerunt Phyllida terris,
Quam toties Pan eſt, toties veneratus Apollo,
Et quam Mattiacæ toties cecinere Camœnæ,
In latebras fugêre ſuas. at paſtor Iolas,
Ille thori conſors, nec jam ſolamen amantis,
Ibat egens animi. veluti cum pignora plorat,
Et raptos fætus denſâ Philomela ſub umbrâ,
Aut velut aëria turtur ſuſpirat in ulmo,
Cum viduos luget thalamos, nec compare gaudet
Solus, & inviſæ queritur diſpendia lucis.
Nec minus & Charites illam flevêre ſorores:
Nam Charitum fuit unus amor. flevêre Cupido,
Et Venus, ac fractis damnarunt ſpicula nervis,
Et lecti genialis opus. flevêre Napææ,
Flevit Hamadryadum chorus, & quà vidit euntem
Silvarum pater, aut per paſcua rura vagantem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Triſtior ex ipſis ſonuit convallibus Echo.
Deliciæ tot matrum, & magno nata parente
Filia, dilectas inter ſpecioſa ſorores,
Fatorum jam lege cadit, nec dulcia vitæ
Gaudia, nec ſolito ſemet concedit amanti.
Quæ roſeæ rubuere genæ, jam pallida mortis
Inſedit facies, & quæ vigilantia læto
Lumina conſuerant nuper placuiſſe marito,
Clauſa latent. nec lingua ſuas facunda per artes
Flexanimas iterat, Kinſchoto judice, voces,
Aut loquitur pręcepta domus, famuliſque modeſtè
Imperat, aut curas alacris ſe vertit in omnes.
Fare age, num talem jactes Zelandia terris
Te genuiſſe tuis? virtutum pectore cujus
Credidimus coiiſſe choros, totamque recondi
Pallada, fæmineumque decus. ſi gratia formæ
Quæritur, emicuit major reverentia morum,
Et vitæ non fictus honos. ſi candida laudi eſt
Simplicitas, vicit longè prudentia, ſexu
Digna ſuo. placidæ generoſa modeſtia menti,
Eloquioque lepos, & mellitiſſima fandi
Suada fuit, Paphioque pudor ſe miſcuit igni
Egregius, thalamoque fides infracta reluxit.
At tu jam lacrymas inter luctuſque tuorum,
Kinſchoti venerande, tui diſpendia lecti
Conſiliis ſolare piis. ſi marcuit ille
Floſculus, & tenero conjux contabuit ævo;
At nunc Elyſios campos, ſedeſque pererrat
Æthereas, ubi perpetuâ jam plena juventâ
Vivit, & æterno juveneſcens Iunia Chriſto,
Non unquam moritura, viret; nec languida ſpectat
Membra fatiſcenti robur ſubducere vitæ.
Interea tumulo violas, hederamque, crocumque,
Purpureaſq; roſas, & ſuave rubentem hyacinthum,
Cinnamaque adſperges, ut gratos ventus odores
Excitet, & poſſit ſic arridere ſepulcrum.

FINIS PARTIS PRIMAE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

CASPARIS BARLÆI

POEMATVM

PARS SECVNDA;

Elegiarum Libros duos continens, quorum prior Elegias *aliquot ſacras habet.*

LIBER I.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

ELEGIA I.

DE CREATIONE MVNDI.

Sidera cum terris digeſtaq;corpora mundi,
Claraq; ter magniNuminis orſa canam.
Sat patriæ Bataviſq; datū; ſublimior auſis
Accinat authori noſtra Camœna ſuo.
Quæque levis toties cecinit præconia famæ,
Expendat fidei grandia verba meæ.
Magne Deus, dum cuncta creas, creor ipſe poëta;
Quodque creor vates, muneris omne tui eſt.
Tu me igitur tanto preſſum ſub pondere rerum
Erige, & immenſum pande creator opus.
Da mihi te facilem, timidæque illabere menti.
Ingenium nutu ſtatque caditque tuo.
Non caneris ſine te, nec fas ſine numine numen
Dicere; quæque Deum vox ſonat, illa Dei eſt.
Principio totum tenebris immerſerat orbem,
Et poterat ſibimet diſplicuiſſe chaos.
Nullus in orbe decor, non fulgens ignibus æther,
Aut ſpatiis dirimens ſecla dieſque ſuis.
Non ſua fraternis opponens vultibus ora,
Signiferi medium Luna ſecabat iter.
Non Helice pavidis fluctus ſignabat Achivis,
Viſaque tum populis Parrhaſis Arctos erat.
Imbiberat terram pelagus, nec flamma, nec aër
Seque ſuumque decus conſpicienda dabant.
Semina naturæ nox intempeſta premebat,
Officio nondum tunc patefacta ſuo.
Condiderat tantæ Genitor primordia molis,
Atque aliqua ſaltem parte creator erat.

Sola-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Solaque materies, facieſque informis abyſſi,
  Nec diſtincta rudis Thetye Veſta fuit.
Quis mihi perpetuo currentia ſecula motu
  Suggerat? & nullà corpora facta manu?
Cur numeros atomoſque credat delira vetuſtas?
  Aut placitis turgent docta Lycea ſuis?
Cedant Parmenidæ veteriſque oracla Meliſſi,
  Cedat Anaxagoræ Democritique furor.
Cæca ſtupet ratio: nec, quæ nihil antè fuiſſe
  Credimus, hæc fieri, neſcia, poſſe putat.
Tota ſtupet Natura Deum, robuſtaque quamvis,
  Viribus in nihilo deficit ægra ſuis.
Ars ſtupet, & tantæ ſpectans molimina dextræ
  Hæret, & ipſa ſuas damnat egena manus.
Vna per immenſum virtus diffunditur orbem,
  Orditurque ſuum dextra creantis opus.
Namque ubi prima diem mundo conceſſerat Eos,
  Emicuit vultu lux ſpecioſa novo.
Non tenebræ merſere chaos, ſed clara diei
  Fax fuit, & nocti diſſociata ſuæ.
Altera ſuſpenſum ſpatioſo fornice cœlum
  Vidit, & æthereas, corpora vaſta, domos.
Volvitur, & magno moles libratur inani,
  Et diſtincta ſuis orbibus alta ruit.
Quo colitur rectore domus, fulcitur ab illo;
  Quoſque ſibi format, poſſidet ipſe lares.
Et licet occiduis omnes mergantur in undis,
  Tardius occiduis quilibet exit aquis.
Non ſubit alternas cœleſtis machina mortes,
  Nec variæ verſant iſta theatra vices.
Vna manet cunctis facies, decor omnibus idem;
  Et ſtabili pulchrum fœdere perſtat opus.
Tertia ſpumantis diffuſa palatia Nerei
  Adſpicit, & vaſti regna profunda maris.
Adſpicit è medio naſcentes æquore terras,
  Quæque prius latuit merſa, reſurgit humus.

Ipſe ſuas, magno quas non comprenderat alveo
  Oceanus, vario gurgite clauſit aquas.
Pars Gades Calpenque ſubit. pars Caſpia pulſat
  Littora. pars Gothici verberat arva ſoli.
Ilicet Ægæos fluctus abſorpſerat Helle,
  Et Tanai propior mixta Propontis erat.
Pars hæſit concreta gelu, ſuppoſta Bootæ:
  Forſitan ut Batavis ſola negaret iter.
Pars Arabum terras, calidos pars alluit Indos,
  Pars ſubit ingenti Perſica regna ſinu.
Nec tamen ignotos fluctus ſulcaverat Argo,
  Aut fragili Tiphys puppe magiſter erat.
Nec primæva truci livebat ſanguine tellus,
  Aut ſpatiis ſtabant regna dirempta ſuis.
Sponte ſua fruges, nullis vexata colonis,
  Neſciaque attriti vomeris arva dabant.
Iam coryli, &, nondum feralia ſigna, cupreſſi,
  Et ſalices petulans exeruere caput.
Floraque purpureos pratis expandit honores,
  Luxurianſque novo gramine riſit ager.
Creverunt virides ventura in præmia lauri,
  Palmaque Olympiacis præripienda rotis.
Aurea per laxos radiabant lilia campos,
  Nondum virginea lilia carpta manu,
Et violæ, & regum ſignandi nomine flores;
  Iamque recens factæ plus rubuere roſæ.
Quarta coruſcanti flammas inſparſit Olympo,
  Et tremulæ radiis emicuere faces.
Explicuit roſeos lampas Phœbeia vultus,
  Et vaga ſpumantes exit & intrat aquas.
Per duodena ſuos impellens ſidera currus,
  Metitur ſpatiis tempora fluxa ſuis.
Quæque per obſcuræ tranquilla ſilentia noctis
  Cornigero niteas lumine, Luna venis.
Subdidit ipſe ſuos Veneri Cyllenius ignes,
  Ceſſit & ingenti Martia ſtella Iovi.

Hunc

Hunc Saturne præis, & terris dira minatus
Ingrederis lento per tua regna gradu.
Nec minus innumeris illuxit ab ignibus æther,
Cœpit & obliqua Signifer ire via.
Hîc pluvias fundebat Hyas; ſpirabat Orion,
Parte aliâ rabido torruit igne Canis.
Altera Hyperboreas ſpectabant ſidera terras,
Altera in Auſtrales verſa fuere plagas.
Cuncta creatoris conformia legibus ibant,
Et ſibi præſcriptis quæque ſtetere locis.
Quinta luce vagi verrebant æquora piſces,
Et Venus in gelidis fervere cœpit aquis.
Grandia terribiles agitarunt corpora phocæ,
Et piſtrix ſpinis horruit ipſa ſuis.
At medium aligeræ ſulcabant aëra turmæ,
Argutaque loquax voce ſtrepebat avis.
Sed, nondum humanas edoctus reddere voces,
Pſittacus indocili gutture cantor erat.
Sexta dies totum fœtis animalibus orbem
Donat, & innumerâ paſcua prole beat.
Hic quadrupes laſcivit equus, ſpiraſque retorquens
Gramineo fallax delitet hydra thoro.
Lanigerique greges ibant cuſtode remoto,
Nec Corydon timidas paſtor agebat oves.
Non lupus imbelli ferus inſidiatus ovili eſt:
Ambulat innocuo tigris & agna gradu.
Tunc mundi ſublimis apex, & cura laborum
Vltima, totque operum gloria factus Homo eſt,
Oceani terræque potens moderator, & hæres;
Cui data naſcentis ſceptra beata ſoli.
Cujus ad imperium placidi tremuere leones,
Et poſuere ſuas horrida monſtra minas.
Nulla venenato nocuit cui vipera morſu,
Et ſcelerum nondum pœna cicuta fuit.
Quæque ferax thalamos numeroſa prole bearet,
Ipſa thori conſors portio facta viri eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Fecerat iſta Deus, perfectaque machina mundi eſt,
Et placuit vaſtæ nobile molis opus.
Iamque opifex magno dedit intervalla labori,
Et lux inceptis ſeptima finis erat.

ADAMVS PECCANS.

ELEG. II.

CErnite me, me degenerem ſpectate nepotes,
Principium miſeræ poſteritatis ero.
Sanguinis hæredes, pariter quoque criminis eſtis,
Atque reum quæ me, vos quoque cauſa facit.
Cum ruerem, mecum ruitis, me ſtante ſtetiſtis;
Vnus ego veſtrûm morſque ſaluſque fui.
Viximus inſontes, & vos: peccavimus, & vos:
Nec ſine patre boni, nec ſine patre mali.
Sic placuit pepigiſſe Deo, lex prima parentem
Et ſobolem ſimili conditione ligat.
Et potui peccare miſer; voluique, quod unum
Fas erat arbitrio me potuiſſe meo.
Et potui non eſſe miſer; nec velle; quod unum
Dum volui, potui qui miſer eſſe, fui.
Libertas facit iſta reum. ſi cogerer, eſſent
Tuta patrocinio crimina tanta ſuo.
Quid malus obtendam ſceleri? tua, maxime rector,
Nota fuit menti lex veneranda meæ.
Novimus & Superûm pœnas, & labile cœlum
Exemplum ſpretæ relligionis erat.
Quem peccaſſe pudet, didicit peccaſſe priores;
Debuit & tantis cautior eſſe malis.
Sprevimus audaces magni mandata parentis,
Et potuit vetitum plus placuiſſe nefas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Nec mihi ſimplicitas, nec cauſæ proderit error:
Mens ſapiens major ſimplicitate fuit.
Credulitas ſcelerata mea eſt: & crimine in iſto
Livor, in hoc ſpecies impietatis erat.
Quin mihi divinæ ſortis ſperatur imago,
Et vanâ ſuperos ambitione ſequor.
Ingrato peccare libet. cui vaſta patebat
Machina, prælatum non tulit ille Deum.
Stultitia cœlum petii, magnique Tonantis
Progenies cœlo noluit eſſe minor.
Mille modi ſcelerum facto ſociantur in uno,
Et miſer haud unâ ſum ratione nocens.
Femina ſeduxit miſerum decepta maritum,
Et mulier tanti criminis orſa facit.
Auſcultaſſe meum ſcelus eſt, thalamoque Deoque
Debitor, illius falſus amore fui.
Suaſerat Eva malum;cur non diſſuaſerat Adam?
Cur conjunx facti facta magiſtra mei eſt?
Cur magis illa dedit? cur tu minus abnuis Adam?
Aut minus hoc vetui, quò magis illa jubet?
Illa prior Ditis monitis: ego credulus illi
Obſequor, & titulo deteriore cado.
Ordine peccatur; conceſſaque femina vitæ,
Prima mihi mortis facta miniſtra fuit.
An tanti pomum fuit, & prælata voluptas?
Et potuit pomo vilior eſſe Deus ?
Cur frugum rerumque ferax mihi ſorduit hortus?
Et gula mandenti luxurioſa fuit?
Quæ conceſſa mihi eſt, vitam produxerat arbor;
Accelerant vetitæ funera certa dapes.
Me natura reum poſcit, cœlumque, Deuſque,
Et furit in noſtrum conſcia terra caput.
Quæ placido nuper ridebant ſidera vultu,
Intentant rigidas, jam truculenta, minas.
Quæ tot ſponte priùs fundebat munera tellus,
Vix eadem aſſiduo fracta labore dabit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Incolumis qui nuper eram, jam languidus erro,
  Extremumque vehet pigra ſenecta diem.
Quæ mihi manſuetæ domino parere ſolebant,
  Turba ruunt in me, ſed nocitura, feræ.
Mergor aquis, uror flammis, ſublimia terrent,
  Naſcitur ad pœnam quælibet herba meam.
Ipſa quoque emoritur decoris cœleſtis imago,
  Et melior noſtri pars ſcelerata nocet.
Me tenebræ, mentemq; frequens obnubilat error,
  Et periit priſcus relligionis amor.
Exulat & pietas, candor, probitaſque, fideſque,
  Et ſubeunt animum crimina mille meum.
Peccati vexilla ſequor, ſum verna malorum:
  Totus & imperio ſordidiore regor.
Heu pudet, & tanti ſceleris mihi conſcia mens eſt,
  Dumque pudet, membris tegmina quæro meis.
Quin Deus ultor adeſt, Nemeſiſq; fatigat euntem,
  Dum fugio, tacito me pede pœna premit.
Quę latebras mihi teſqua dabũt? quò noxia vertam
  Lumina? quæ vultus nox teget atra meos?
Cor tremit, occultuſque quatit præcordia lictor,
  Et mea perpetuus pectora tortor habet.
Antè oculos Styx ipſa ſubit, maneſque profundi,
  Quaſque nocens potui promeruiſſe neces.
Præcipitat mors ſæva gradum: gladioq; coruſcans
  Arcet vivifico limine dextra reum.
Sic perii peccans, & rupto federe mundi
  Irruit in ſontes terra poluſque duos.
Ipſaque poſteritas fatis innexa parentum
  Flagitio debet velle perire meo.

ELEGIA III.

ORATIO CAINI,

occiſo fratre Abele.

PEccavi, Superûm rector, primique parentis
Crimina flagitio deteriore ſequor.
Imbibimus partem ſceleris, veniensque propago
Hos etiam fructus impietatis amat.
Fraterno ſontes maduerunt ſanguine terræ,
Et nova germanus polluit arva cruor.
Dextra nocens mea facta mihi eſt, me me adſpice ſontem;
Hæc manus, hæc primi ſica latronis erat.
Nec ſolum manus iſta nocet. peccavit Olympus,
Et partem culpæ tu quoque Numen habes.
Cur mea ſpectanti ſordent altaria cœlo?
Primitiæque meis diſplicuere focis?
Cur magis hic Superis potuit, minus ille placere?
Et Deus in partes, arbiter orbis, abis?
Sors eadem genuit geminos, ſors extulit una,
Debebam ſimili poſſe favore frui.
Hinc ſubiit gravis ira mihi, nutrixque furoris
Livor & ultrices invaluere minæ.
Addita vis ſceleri eſt, & dum furor arma miniſtrat,
Auſibus ingemuit conſcia terra meis.
Dicat poſteritas, fratrum quoque gratia rara eſt;
Hæc etiam mundi culpa ſequentis erit.
Senſimus invidiam, venturus ſentiet orbis;
Qui veniet poſt me, fecerit iſta nepos.
Tunc quoque, qui ſtricto minitetur vulnera ferro,
Et madeat diro ſanguine, frater erit.
Alteraque Auſonia mulier ſubvecta quadriga,
Per patris attonitos corpora ducet equos.

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Et teneræ victrix occurrens dextra ſorori,
Crudeli Latiam funere tinget humum.
Tunc quoq; terribiles recoquent aconita novercæ,
Et ruet in patrios ſæva puella thoros.
Non hac cæde furor, non hac ſatiabitur umbrâ,
Horreſcent aliâ ſecla futura nece.
Culpam culpa trahet, creſcent fecunda malorum
Semina, mille dabit noxia dextra reos.
Nunc mihi, quod vitæ ſupereſt, fit mortis imago.
Promittit jugulo vulnera quiſque meo;
Inviſuſque mihi, ſuperis inviſus, & orbi,
Anxius huc, illuc, & trepidanter eo.
Tolle reum, Rex ſũme, vel hæc mihi terra dehiſcat;
Diluat hoc noſtrum gratia nulla nefas.
Non locus eſt veniæ, nec ſperat cauſa favorem.
Eſſe nocens credor, tu minus eſſe bonus.
Vota nec in ventos nil proficientia fundam.
Nil ſupereſt, præter poſſe timere, mihi.
Cum cernuntur aquæ, vicinaque flumina, nobis
Flumina cuncta notas inſidiantis habent.
Occurſant ſilvæ: ſilvis nocitura figura eſt.
Si ſcopulus: præceps cum ruit ille, tremo.
Iamque truces fremitu terrent immane leones,
Et, mea quæ laniet viſcera, tigris adeſt.
Suſpicio cœlum. cœlo diffidimus ipſi.
Quæ repetet fratrem, vox gravis una mihi eſt.
Fulmina me terrent, me rauca tonitrua terrent,
Conſcia terra mei ſigna pudoris habet.
Nunc pluvię capiti, nunc horrida grando minatur:
Sæpius exanimem vel levis aura facit.
Nunc magis aſtrorum, nũc ſum metuentior undæ,
Cogit & inſanus cuncta timere timor.
Omnia ſubſcribunt offenſi numinis iræ,
Meque, premente Deo, machina tota premit.
Nuper & ad tremuli trepidabam graminis umbrã,
Quoque jacet frater, crimina dixit ager.
Quos

Quos dabat hic gemitus moriens, exaſperat Echo:
Clamor adhuc aures perſonat iſte meas.
Inde ſub aurora, & ſurgentis luce diei,
Ora cruore madens eſt mihi viſus Abel.
Lumina cum primo defeſſa ſopore remitto,
Hæc iterum facies, hæc mihi forma ſubit.
Crudeles ſomni vigilem tenuiſtis, & ægrum,
Quem ſemel æterna nox premet atra die.
Omnia cum timeam, plus hoc fortaſſe timebo,
Funere ludatur ne manus ulla meo.
Conſcia mens tacito præbet fomenta dolori,
Incitat & morſus pœna ſceluſque pares.
Quid facias terror? torquet ſua culpa Cainum,
Et Nemeſis celeri me pede juſta premit.
Has fugiam terras, fugiam per ſaxa, per undas?
Terra alibi dicet, dicet & unda reum.
Sic miſer & trepidans erro, ſceleratus, & exul,
Et latrocinii ſigna notaſque gero.
Latro fui fratris, fateor, jam latro Cainus
Ipſe ſui, pœnas exigit uſque ſuas.
Illum dextra necat præceps, me lentior ætas,
Suppliciumque mihi vita dieſque trahunt.
Dum ſupereſſe ſinor, ſinor huic ſupereſſe dolori,
Longius & vivo, longius ut moriar.

ELEGIA IV.

ORATIO NOACHI

Ad mundum Diluvio periturum.

IMproba gens, ignara Dei, ſecura malorũ,
Et nimium fati neſcia turba tui;
Ad mea, degeneres animæ, præcepta venite,
Quas ſcelerũ ex omni parte cupido tenet.
Diſcite ſanari, qua fas eſt voce moneri;
Optima virtuti proxima quæque dies.

Dum

Dum licet, inſani ſubeant faſtidia ſecli,
  Me duce mens aliud veſtra ſequatur iter.
Publicus aſſertor lapſam reparare ſalutem,
  Et tantis veni pharmaca ferre malis.
Diſcite, quæ maneant ſceleratas præmia terras,
  Extremumque vehat flebilis hora diem.
Crimina dum vobis, pariter diſcrimina ſurgunt,
  Et ſocio vadunt pœna ſceluſque gradu.
Si peccare juvat, fuerit punire voluptas:
  Iudicis hæ partes, ſed tolerantis, erunt.
Lenta licet properent ad pœnam numina, creſcet
  Irritata ſuâ numinis ira morâ.
Cernite, quæ pando texuntur ventre carinæ,
  Hæ tabulæ Superûm ſigna furoris erunt.
Hæc ratis, hæc domus eſt, quam deſuper imbribus (æther
  Perpluet, hęc mediis tuta feretur aquis.
Hæc eſt diluvio mundi pereuntis imago,
  Hæc eadem terræ ſcena natantis erit.
Nil aliud toto reliquum ſervabitur orbe,
  Quaſque vehet clauſas unica puppis opes.
Qui videt hanc, diſcat prudens ſua fata neceſque,
  Et cauſam luctus colligat inde ſui.
Dividet hoc cœlum vitas & funera ligno,
  Dividet hæc ſontes, dividet arca pios.
Diſtabit probitas vitiis ſecura profanis,
  Quique bibit fraudes, mox bibet author aquas.
En Superûm laxo pandentur cardine portæ,
  Inque caput veſtrum dira procella ruet.
Sideraque & fontes aderunt ultricibus undis,
  Effundent pluvios nubila fœta ſinus.
Nec ſibi præſcriptis ſubſiſtet finibus æquor,
  Quamque ſcelus latè, ſternet & unda viam.
Irruet in populos pelagus, campoſque ſubibunt
  Flumina laxatis exſpatiata vadis.
Alteraque Oceani facies erit, altera terræ,
  Obruet inviſam jam modò pontus humum.

Tunc

unc aliquis thalamo pavidus properabit amator,
  Obvius & ſubitis fluctibus ibit amor.
umq; volet ſolitis flammas exſtinguere flammis,
  Exſtinguent vetitas æquora tota faces.
unc aliquis celſam mœchus ſublatus in ulmum,
  Pellicis in mediis corpora cernet aquis:
umq; tumeſcentem circumſpicit undiq; pontum,
  Ingemit exitio cuncta parata ſuo.
uaque ferent oculos mendax, perjurus, & exlex,
  Præcipites adiget mors inopina gradus.
Ah, tenebris fruſtrà raptor ſe condet opacis,
  Non locus, aut timidæ ſpes erit ulla fugæ.
Quique ſuas tinxit crudeli vulnere dextras,
  Sanguineum vaſto gurgite credet onus.
Dumque videt feſſis ſe deſperare lacertis,
  Occidet, & nullo ſubveniente natat.
Tunc, quæ læta ſuo meretrix porrexit amanti,
  Iactabit liquido brachia laſſa mari.
Æmula quid celſo ſtruitis faſtigia cœlo?
  Hæc ſpolium & pelagi præda furentis erunt.
Cur picturatis fulgent aulæa columnis?
  Splendidaque è ſolido marmore tecta nitent?
ſedibus illa ſuis rabies convellet aquarum;
  Auferet avulſos ventus & unda lares.
Nubitis, atque vagi ſcelerata licentia lecti eſt,
  Veſtraque non unum gaudia crimen habent.
Cornua cur tollis dives? quid ſpernis egenum?
  Mox ſimili dabitur conditione mori.
Cur laſciva, ſalax, petulans, improvida, deſes,
  Immemor, indocilis, perfida facta gula eſt?
Quid juvat infami luces producere luxu?
  Diſtentiſque fluunt ebria vina cadis?
Turgida pampineos tranſcendent ſtagna racemos,
  Opplebuntque truces ora bibentis aquæ.
Tunc ſerò ſimiles vobis optabitis alnos,
  Nec, quæ veſtra vehet corpora, puppis erit.

Vota-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Votaque diſcutient, & inania verba procellæ,
Et levibus tradent diripienda Notis.
Hæc toties dixi: vitiis patientia victa eſt.
Quæ feciſſe pudet, dicere ſæpe pudet.
Languet, & indocili ſilet auditore magiſter,
Et fugit inſanum ſpreta medela virum.
Scilicet aſſerui jam me, victorque pericli,
Tutus in hoc, ſocia conjuge, lintre vehar.
Effugient nati, fugient diſcrimina natæ;
Rarus & à tanta clade redibit homo.
His pauci tabulis, tectoque vehemur in iſto,
Parvaque naturæ portio ſoſpes erit.
Æquore ſic facili ventiſque ferentibus utar,
Moxque iterum nobis ſicca reſurget humus.
Non mea detrectant placidi mandata leones;
Hic aper, hic elephas ad mea juſſa venit.
Cernitis, ut lenes conſcendant carbaſa tauri?
Et parili vadant femina maſque gradu?
Ipſa fatiſcentis metuens incommoda mundi,
Ad monitus properat reptilis hydra meos.
Quæque ſibi patulo diffidit in aëre, compar
His latebris etiam tutius hæret avis.
At non illa movent ſtolidas præſagia mentes,
Et præfracta ſuum pectora marmor habent.
Omnia mox fient, fieri quæ poſſe negatis,
Nec mea falſiloqui vox monitoris erit.
Improba gens, celeri caſus circunſpice mente,
Et tua vicinis ſubtrahe fata malis.
Ah propera, nec te venientes differ in horas.
Dum differs, ſceleri das alimenta tuo.
Sit monuiſſe ſatis. nos hanc conſcendimus arcem.
Fallor? an irato Numen ab axe pluit?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

ELEGIA V.

ABRAHAMI è CHALDÆA abeuntis ORATIO.

IBimus, & quò fata trahunt, retrahuntque, ſequemur:
Nec profugum tellus vel remorantur aquæ.
ara vale Chaldæa, vale mea patria; quicquid
In patria potuit dulce fuiſſe, vale.
hariades procul exul abit, properamus amici,
Quò Deus & Superûm juſſa verenda vocant.
Nec via, quà ducar, nec quas ferar hoſpes in oras,
Exilii vel quæ meta futura, ſcio.
Hic pater, hic trib⁹ eſt, &, nomina blanda, nepotes:
Ludit & antè oculos turba propinqua meos.
Hic domus, hic veteri congeſtum ceſpite culmen:
Hic patrios colimus, numina priſca, lares.
Hic mihi vicinâ præceps admurmurat undâ
Tigris, & Euphratis lene ſonantis aquæ.
Hic ager aërii mellis cœleſtia dona
Sufficit, & multo lacte capella tumet.
Linquimus hæc, quę certa domi, non certa ſequentes;
Et tamen hæc eadem ſpes mihi certa facit.
Forſitan Aſſyrias Nilo mutabimus undas,
Atque alibi Euphrates, Tigris & alter erunt.
Forſan in Eoo figam tentoria mundo,
Forſan in occiduo me manet orbe locus.
Nec fugio Boream, gelidi nec frigora Ponti,
Nec nimium nobis fervidus Auſter erit:
Omne ſolum natale piis. non ſemper iiſdem
Nubibus hæret avis, piſcis inerrat aquis.
Officii parere mei eſt: ſunt cetera cœli.
Auſpiciis magni Numinis ibit Abram.

Hoc

Hoc duce ſi tutus fuero, non ulla morabor
Damna, nec inviſum pes mihi ſternet iter.
Ille mihi currus, mecumque erit ille viator,
Et comes, & tantæ duxque reduxque viæ.
Quæ mihi vox dixit; Patriis è ſedibus exi;
Hæc eadem dicet, quæ mihi terra vacet.
Qui jubet, ut chara procul hinc à gente recedam,
Leniet ignotis barbara corda viris.
Innumeraſque inter tollet mea nomina gentes,
Nec ſinet aut cultus, aut ſua verba mori.
Erige me non fracta Fides, da robur eunti;
Atque animo ſubeant altera ſecla meo.
Hic pereunt anni, pereunt hic regna, domuſque;
Vitaque, quam miſeri vivimus, iſta vaga eſt.
Ceſſit in hoſpitium mundus, novus advena veni;
Veſpera cum fati venerit, ibo foras.
Vita data eſt utenda, alibi meliore fruemur;
Patria non hic eſt; quæritur illa mihi.
Non dabit hanc Babylon, non hanc dabit Aſſur, & Haram,
Non Canaan ſemper, non Pharos ipſa placet.
Non ſatis eſt Bethel, nec erit mihi patria Sichem
Aut quicquid toto Sol oriente videt.
Æthereas ſperamus opes, ſperamus & arces;
Et quæ non teneo ſidera, vota tenent.
Quam non feſſa manus, ſed condidit arbiter orbis,
Iſta mihi ſedes, iſta futura domus.
Hic vagor incertus, nunc huc, nunc avocor iſtuc,
Quæque viæ, vitæ circulus ille meæ eſt.
Nec tamen extorrem crimen facit, aut malus erro
Indignus patrià cogor abire meâ.
Te ſequor, ô Superûm rector; quò juſſeris, ibo.
Gaudeat hoc tellus hoſpite, cive polus.

ELE-

ELEGIA VI.

ABRAHAMI filium Iſacum immolaturi

ORATIO.

QVam mea me variis virtûs exercita fatis
Intrepidâ nixum relligione probat!
Liquimus Aſſyrios, Chaldæas liquimus urbes,
Et procul externo jam lare tutus ago.
Deſerui patriam, nec tot chariſſima nobis
Pignora mandatis prævaluere Dei.
Altera nunc cœlum fidei documenta repoſcit,
Altera jam pietas imperat auſa mihi.
Cur Deus hoc mandas? cur non ſinis eſſe parentē!
Cur dominum vacuâ me cupis eſſe domo?
Cur ſoboles jugulanda placet? cur funere tali,
Cur his exequiis expedit eſſe pium?
Mille mihi patulis errant in montibus agni,
Multaque per Syriæ prata vagatur ovis.
Sunt juga taurorum, ſunt victima crebra, capellæ;
Et, qui te placet, pinguior hœdus adeſt.
Cur tua non iſtis fumant altaria donis?
Nec cadit ante tuos icta juvenca focos?
Cur potius noſtro das argumenta dolori,
Et repetis vitæ gaudia ſola meæ?
Cur lex naturæ contraria legibus iſta eſt?
In jugulum nati cur ruet ipſe pater?
An mihi peccanti vindex iraſceris æther?
Vtque luam culpam criminis, iſta jubes?
An aliquis ſuperos, vel me, malus abſtulit error,
Et vana legis credulitate fruor?
An Abrahæ tentanda fides, totieſque probatum
Robur, & obſequiis officioſus amor?

An,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

An, quod velle poteſt, juſte voluiſſe putabo
Numen, & hoc facti regula velle mei eſt?
An mea vis ſeri reperant exempla nepotes?
Et pater invictæ relligionis ero?
Quicquid erit, tua, magne Deus, mandata capeſſam.
Hæc eſt ſervitio dextra parata tuo.
Hic puer eſt, hæc iſta ſtrues, buſtumque, roguſque,
Hic locus, hoc ſoboles hoſtia monte cadet.
Stringimus, & nati jugulo ſic abdimus enſem.
Heu nimium cur es tarda reperta manus?
Si pater appellor, mihi cur mactaberis Iſaac?
Et cur, ſi placeas victima, ſoſpes eris?
Cum genitrix effœta ſubit, mihi dextera languet,
Cum ſubit obſequii gloria, dextra ferit.
Si pereas, perit Abramidum ſperata propago;
Ni pereas, fidei laus violata meæ eſt.
Si jugulem, non te, fili, præſumar amaſſe.
Ni jugulem, minus, heu, credar amaſſe Deum.
Suadet amor, diſſuadet amor natique Deique;
Spes tamen & curas & fugat una metus.
Spes ſuperat, ſuperat grandis fiducia cœpti,
Et quæ non cernit, credit adeſſe fides.
Tu præſtare Deus poteris promiſſa clienti,
Tu facies verbis pondus ineſſe tuis.
Tu cineres animare pios, tu reddere vitam,
Secula tu ſoboli reddere rapta potes.
Quin mihi progenies buſto naſcetur ab ipſo,
Et fuerant vitæ quæ bona, mortis erunt.
Vidimus hanc ſobolem, te ſolùm dante, Creator;
Reddimus hanc iterum, te repetente, tibi.
Illa tuum munus, tuus eſt labor; accipe donum,
Primitiaſque mei rurſus amoris habe.
At tu nate, meæ vires, mea ſola voluptas,
Delicium patriæ ſubſidiumque domus,
Exue ſollicitas, num ſit mihi victima, curas;
Autorem ſolum res habet iſta Deum.

Ille

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

lle poteſt longe poſitum ſpectare futurum,
Et certum dubiis caſibus urget iter.
llius antè oculos, quæ non ſunt, eſſe videntur,
Ille diem mediis fenerat è tenebris.
Quam memini, tunc cum reges & caſtra fugarem,
Auxiliatrices acceleraſſe manus!
Quam memini Pharium mihi conciliaſſe tyrannũ,
Cum conjunx thalamo reddita Sara meo eſt!
Quam memini noſtrâ ſuſpenſam gente ſalutem,
Fœderaque in populos continuanda meos!
Quare age noſtra truces jam nunc manus imbuat (aras,
Et pater in fœtus ſæviat ipſe ſuos.
Aut ſua, qui dederat, mandata refinget Olympus,
Aut iterum, fili, mox redivivus eris.

ORATIO IOSEPHI ad uxorem Potipharis.

ELEG. VII.

QVid maleſana meos princeps expoſcis amores
Femina? quid vetitas expetis ægra faces?
Exigis officium? ſcelerum mandata retracta.
Obſequium tanti criminis odit amor.
Vis famulum? meliora jube. vis eſſe miniſtrum?
Servitii ne ſit pars ſcelerata mei.
Debetur mens caſta Deo, pietaſque petitis
Abnuit, & fœdas reſpuit illa preces.
Hanc dum ſector amans, dominã deteſtor amantẽ,
Alteriuſque faces diſcutit alter amor.
Hoſpitii ſum verna tui: ſic credar adulter,
Nec thalami cuſtos, ſed violator ero.
Non ego, ſi tellus careat rectore, vel æther;
Negligat aut tantum terra poluſque nefas:
Tam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Tam grandis reus eſſe mali ſperemque, velimque,
 Aut fidei violem jura decusque meæ.
Non velit hoc Potiphar: nec fœdis improbus auſis
 Vt placeam dominæ, diſpliceam domino.
Quem premit ille thorũ, pudor eſt cõſcendere ſer
 Nec patitur ſocios nupta pudica viros. (vum.
Triſtia ſi ſubeant vacui faſtidia lecti,
 Quæ mihi Sponſa fidem libera juret, erit.
Fœta puellarum Pharos eſt, fecundaque Nili
 Oſtia, virgineos quæ peperere ſinus.
Hîc caſtas adamare licet; tibi crimine jungar,
 Et precium ſceleri perfidus addet amor.
Improba quid juvenem, quid me laſciva laceſſis?
 Egelidum prorſus me tua flamma facit.
Qui te acuit Veneris furor, in me totus hebeſcit:
 Petraque ſum, quo tu mollis ab igne liques.
Ac velut adverſis ſcopulus non frangitur Euris,
 Surduit ad voces mens generoſa tuas.
Cur aliena meis conjux amplexibus hæres?
 Longius amplexu me facis ire tuo.
Baſia ſi ſperas, referam ſuſpiria mœſtus,
 Excipiet noſter gaudia veſtra dolor.
Brachia tu ſtringis, mihi virtus brachia ſolvit:
 Nec mea reſpondent auſibus auſa tuis.
Non mihi cæſaries, non compti lege capilli,
 Collaque, non facies, non placet ille decor.
Diſſuadent hæc ipſa nefas. formoſior eſſe
 Dum cupis, impuro turpis amore mihi es.
Dum ſubeunt vultus, vultus ſubit ecce creator,
 Et timidum tanti numinis horror habet.
Conjugis omne decus ſolo cenſetur honeſto,
 Nec, niſi quæ caſta eſt femina, pulchra nitet.
Rideat, & noſtris inſultet vocibus aula,
 Et dominæ ſpretos exprobret illa ſinus.
Gens ſecura Dei ſcelerum diſpendia ſpernit,
 Et pietas iſto judice victa cadit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Me Deus, & patrum veneranda exemplà meorum,
   Invictæque movet relligionis amor.
Ite Dionæi legum poſt ſacra catelli,
   Cedite Acidalii turba profana chori.
Tu quoque, tu noſtrum mulier contingere corpus
   Deſine, nec lachrymas, nec ſuperadde minas.
Non flector lachrymis, nec amantū cedo querelis:
   Cur? ſpeciem lachrymæ decipientis habent.
Quin potius reſtingue feros ploratibus ignes,
   Iſtáque flagitium diluat unda tuum.
Nec promiſſa moror, nec quæ mihi ſæva minaris:
   Sis mala, ſis facilis, luxurioſa noces.
Conſcia mens proprii nutrit fomenta doloris,
   Pœnaque peccatis it comes illa ſuis.
Luxuries, prædulce malum, blanditur & angit:
   Quemque jocis reficit blanda, ſevera necat.
Non hoc, non magno narrabis fama Iacobo,
   Audiet aut nati facta nefanda ſui.
Sufficiat laſciva Thamar, non alter avitæ
   Gentis & Iſacidum ſtirpis adulter ero.
Non ego debebo Phariis ludibria terris
   Improbus, aut faciet me mea culpa reum.
Te redamem? ſubeam potius ferale ſepulchrum;
   Membraque dem rapidis dilaceranda rotis.
Te redamem? tunc cum fontes remeabit ad ipſos
   Nilus, ero propriæ ſervus amator heræ.
Inſtat amans mulier, ſequitur, trahit, urget, inhęret;
   Excipit & longas vis rabieſque preces.
Invitum quid iniqua trahis? cape pallia, non me:
   Iſtaque ſervati ſigna pudoris habe.

ORATIO IOSEPHI fratres in Ægypto agnoſcentis.

ELEG. VIII.

ILle ego ſum nuper patriis extorris Ioſeph
Sedibus, & noſtræ portio ſpreta domus,
Ille ego ſum veſtro frater de ſanguine, quem rex
Imperio latè vult dare jura ſuo.
Cura patris nocuit puero, patrique placere
Cui nocuit, curæ plus fuit ille Deo.
Extulit hujus amor, quem fratrum preſſerat ira;
Vna ſalus vobis diſplicuiſſe fuit.
Quàm mea diſſimili ſe judice cauſſa tuetur!
Quam diſtant ſtudiis terra Deuſque ſuis!
Vos mea, vos rigidis ſtrinxiſtis brachia vinclis;
Ille meum claro cinxit honore caput.
Quæ Peluſiacis feciſtis ſerva colonis,
Reddidit illa mihi libera colla Deus.
Non hìc cœca ſuos jactet Rhamnuſia vultus,
Aut rotet inſtabiles ficta puella vices.
Caſus abeſt, nec ſors venturi incerta vagatur,
Aut hominum nullis finibus errat opus.
Dirigit hæc, totum nutu qui temperat orbem,
Rector, & occulto numine corda movet.
Ac veluti tacitis ſubterlabentia terris
Flumina, cœca quidem, ſed tamen apta, fluunt:
Permeat ad fixos Superûm ſapientia fines,
Quæque latent, magnâ cum ratione facit.
Illa nefas, ſcelerumque vias veſtigat, & ortus,
Quo ruat & quantum poſſit iniqua manus.
Iam vitio ſapiens laxat, jam ſtringit habenas:
Quæque vetat, fieri provida ſæpè finit.
Impedit, & prohibet: pœnas infligit & aufert:
Dura malis, precibus flexilis, æqua bonis.

Incluſi

Incluſi ſpatiis frendent ſceleratus & exlex,
Nec ſe poſſe dolent, quæ voluiſſe queunt.
Cernite me, variæ exemplum memorabile ſortis,
Cernite me, vitæ cernite fata meæ.
Qui modo pauper eram, regum palatia ſcando:
Quem puduit fratrem dicere, ſceptra colunt.
Quem modo captivum mulier laſciva tenebat,
Emicat, & decori redditus ille ſuo eſt.
Dum furit improbitas, dum fratrũ gratia rara eſt,
Noſtra per auguſtum gloria tendit iter.
Me beat exilium, me veſtra opprobria tollunt,
Et meus è turpi carcere crevit honos.
Heu lachrymor, fratres, & conſcia pectora cernens,
Injiciam timidis pectora pectoribus.
Oſcula defigam trepidis, ſed blandula, labris:
Non alius veſtri criminis ultor ero.
Quos gerimus, vobis etiam debentur honores,
Pars etiam veſtræ noſtra ſalutis erit.
Sumite congeſtis Cerealia munera ſaccis,
Iſacidumque meo vivat amore domus.
Ne pereant tanti miſeranda morte nepotes,
Prævius hæc adii regna beata nepos.
Vos titulos natique vices narrate Iacobo,
Decrepitumque levent nuncia læta ſenem.
Nos genitor fecit miſeros, ſed fecit amando:
Nos rapti miſerum fecimus eſſe patrem.
Nunc amor ille mihi, nunc ſors adverſa parenti,
Nunc vobis in me profuit eſſe malis.

ORATIO IEPHTHÆ filiam immolaturi.

ELEGIA IX.

CVr victor mea nata vocor? cur vincitur Ammon?
Si tua ſunt laudi funera juncta meæ.

Inclytaquæ patrios inveſtit laurea crines,
  Hæc eadem fati nuncia facta tui eſt. (pho
Quos meruit plauſus, meruit quos dextra triun
  Dedecorat voti prodiga lingua ſui.
Caſtra foris ſunt ſalva mihi, mileſque, duceſque.
  Vnica non ſoſpes tu mihi nata domi es.
Quam mihi blanda Duci peperit fortuna ſalutem
  Eripuit miſero vox maleſana patri.
Nunc hoſtes periere mei, plus tu hoſtibus una es:
  Dumque peris, tecum victor & ipſe perit.
Vincimur imbelles ambo, qui vicimus armis:
  Ammonios gladius, te mea vota necant.
Vota necant, ſed ſtulta; necant improvida. nec cur
  Stulta ſient, auſim facta negaſſe Deo.
Cur aliquid dixi? cur lumina noxia feci?
  Et victrix titulos polluit hora meos?
Teque Deumque inter dubius decernere cogor;
  Impius, an cupiam perfidus eſſe pater.
Si peragam promiſſa; meis mactabere juſſis:
  Et dilecta mihi victima nata cades.
Si Domino promiſſa negem: perjurus habebor.
  Et repetent noſtram numina læſa fidem.
Altera lex ſobolem, commendat & altera votum
  Et geminâ pietas lege, quod odit, amat.
Te mactaſſe odii eſt, te non mactaſſe favoris;
  Hîc illic ſpecies relligionis ineſt.
Lex ſobolem mactare vetat: ſed vota repoſcit:
  Sic premit ambiguus pectora noſtra dolor.
Irrita vis faciam, quæ vovi neſcius? at me,
  Inconſulta licet, ſolvere vota decet.
Irrita vis faciam, quia vovi turpia? multò
  Turpius eſt Domino vota negaſſe ſuo.
Si natam mactare nefas, cur buſta rogumque
  Thariades nato conficit ipſe ſuo?
Iuſſerat omnipotens: ſed me quoque reddere vota
  Iuſſit, & hæc magno vota probata Deo.

Illiu

Illius obſequium ſero celebrabitur ævo:
Nunc etiam mundo noſtra probanda fides.
Quod vovi, ſcelus eſſe ſcio: ſed vovimus illud;
Vovimus, & voto nulla medela meo eſt.
Dum miſer atque orbus vivo, mea vita ſceleſta eſt,
Dumque ſcelus præſto, ſum magis ipſe miſer.
Quod facio, patior facinus: cædenſque trucidor:
Mortua tu, Iephtes hoſtia viva cadam.
O utinam, tunc cum bello ſuccumberet Ammon,
Hoſtili genitor cæſus ab enſe forem.
Non jam barbarici ſpectator funeris eſſem,
Ingemeretque meis flebilis ara malis.
Nec, ſi me reducem merſiſſent tartara patrem;
Stultitiæ lueres præmia dira meæ.
Phœbe tuos, veſtros abſcondite ſidera vultus,
Nec videat fœdas lux ſpecioſa neces.
Ite procul famulæ; ſatis eſt ſpectare parentem,
Solus ego tanti funeris author ero.
Da veniam Iudæa mihi; patriæque, tibique,
Hoc etiam cōſtat tuta cruore ſalus.
Quid genitrix irata doles? tibi debeat illa,
Debebit patri plus tamen illa ſuo.
Nata tua eſt? magis illa mea eſt. ego perdere poſ-(ſum
Qui genui; noſtri filia juris erit.
Si renuas, me perjurum amplexare maritum:
Si renuas, facies me magis eſſe reum.

EPISTOLA AMMONIS

Ad Thamaram ſororem.

ELEGIA X.

SÆpius hæc ſcribo, nec ſum tibi femina tanti,
Vt mihi reſcribas, plus minus ipſa faves.
Quo titulo ſcribas, placeam quo nomine frater,
Non moror; hoc unum, te redamaſſe, moror.

Quò germana magis fugis, hoc plus diligit Ammō;
  Accendunt vetitæ pectora noſtra faces.
Vror, at occulto ſtimulum tu ſubdis amori,
  Votaque dum ſpernis, plus voluiſſe facis.
Te facilem ſimula, potero te ſegnis amare:
  Difficilis cum ſis, cogor amare magis.
Nam licet infeſtis percuſſa bipennibus ilex
  Perſtet, ad extremum ſæpius icta ruit.
Tu quoque, dura licet, poteris prece dura moveri,
  Et cupies ſorti condoluiſſe meæ.
Non formoſa tibi es, nobis decor iſte creatur;
  Forma tua eſt, ſoli cernitur illa mihi.
Pulchra ſoror fueris, vultus vileſcit imago,
  Ni liceat vultu luminibusque frui.
Alterius dos iſta viri eſt: plus fulget amando,
  Et decus in thalamis exerit illa ſuum.
Quos ſolers natura tibi formavit ocellos,
  Non dominæ, verum luſus amantis erunt.
Quæque tibi frons eſt, noſtro feſtiva furori
  Annuit, éque tuo corpore vita redit.
Quæ debes aliis, fratri invidiſſe ſceleſtum;
  Da mihi, da formæ gaudia prima tuæ.
Elige, ſi cupias, juvenem de gente tuorum;
  Non tibi, qui Thamaram ſic amet, ullus erit.
In facie pallor, macies in corpore toto eſt,
  Inque dies te dum depereo, pereo.
Genua labant, crebriſque madent ploratibus ora,
  Nec mihi nox vultus ſubtrahit atra tuos.
Membra mihi querulo recubant exanguia lecto,
  Hoc unum credor ſanus, amare queo.
Redde precor vitam, vel ſi mihi reddere non vis,
  Per populos lethi cauſa ferere mei.
Tunc tibi, ſed ſerò, tot verba preceſque ſubibunt,
  Et lachrymæ, & fratris triſtia fata tui.
Tunc aliquis dicet; Iacet hic deſpectus amator;
  Cauſa ſoror miſeri funeris una fuit.

Ante

Antè tuos mea tunc oculos verſabitur umbra,
Nec tibi tranquillæ noxque dieſque fluent.
Si tibi virginitas curæ eſt; quot ſorduit illa
Matribus? hæc poterit cura nocere tibi.
Si fratris te terret amor, vetitique hymenæi:
Non aliter frater, quam peregrinus amat.
Eripe fraternum mihi nomen, & altera finge
Nom na. ſæpe ſibi ſomnia fingit amor.
Quos horret natura thoros, invidit amanti.
Nec tibi quæ genitrix, hæc fuit una mihi.
Eſt pater ambobus non alter, at altera mater.
Hoc ergò poteris non ſoror eſſe modo.
Quæ vetuit noſtros lex inviolabilis ignes,
Dat veniam juſſis ſæpius illa ſuis. (dam,
Callida magnanimum quondam Thamar arſit Iu-
Et tamen hic illi tunc ſocer, illa nurus.
Ipſe pater thalamos Vriæ conſcendit adulter;
Cur mea, cur juvenum crimina tanta putas?
Haut puduit Lothum natarum amplexibus abdi
Affinis tali non mea culpa malo eſt.
Regia res ſcelus eſt; levius peccare putatur,
Auguſto quiſquis ſanguine natus erit.
Scilicet hæc teneram comitantur fata juventam.
Nec poſſum flammis non caluiſſe meis.
Cogor in obſequium Veneris, te cogor amare,
Imperat arbitrio tuque furorque meo.
Si formoſa fores minus, en, minus Ammon amarē,
Audacem vultus me facit eſſe tuus.
Audacem faciunt greſſus, & eburnea colla,
Quæque meo cupiam membra jacere thoro.
Vidimus Hebræas, ſed non placet ulla, puellas.
Femina præ Thamara ſordida quæque mihi eſt.
Aut mihi te cupiet jungi fortuna, vel artem
In vultus fruſtra contulit illa tuos.
Da breve ſævitiæ ſpatium; lenire furorem
Sola potes, noſtri ſola medela mali es:

Non decet invitæ fieri, quod dulce volenti eſt.
  Armatas fugiunt oſcula blanda preces.
Si fratrem redamas, pergam te frater amare,
  Si renuas, forſan pejor amator ero.
Quod nequeo precibus, docto tentabimus aſtu,
  Crede ſoror. valde eſt ingenioſus amor.
Et licet incuſes, fueriſque irata minanti,
  Nil moror, in tanto crimine fructus adeſt.
Damna libens patiar. noſtras veniemus ad artes;
  Iratâ ſatis eſt poſſe ſorore frui.

RESPONSIO THAMARÆ

Ad Ammonis epiſtolam.

ELEGIA XI.

HÆc tibi reſcribo, quamvis diverſa petenti:
  Crimine te nolo demeruiſſe meo.
Te poſſum redamare ſoror, ſed diſpare lecto:
  Conſortem thalami te redamare nefas.
Scire cupis cauſam? titulo tibi denegor uno.
  Sum ſoror; hoc caream nomine, amare velim.
Sim tibi difficilis; talem nunc expedit eſſe.
  Argue moroſam; dum tibi caſta vocer.
Si tibi forma placet Thamaræ, ſi vultus & ora,
  Cur hæc flagitio vis temerare tuo?
Tolle decus famæ, periit vultuſque colorque,
  Nulla eſt amiſſæ forma pudicitiæ.
Pulchra tibi videor; quam vellem fœda viderer!
  Quam vellem arbitrii res foret iſta mei!
Pulchra tibi videor; pulchrâ tu diſce carere;
  Quæ tanto conſtant crimine pulchra, nocent.
Cum ſubeunt animum temeraria vota petentis,
  Ingenuæ nobis erubuere genæ.

Conju-

Conjugium, thalamique fidem, non improba poſco
Fœdera; nulla tibi baſia lena dabo.
Me pudor abſterret timidam, te terreat idem.
Convenit ille mihi, convenit ille tibi.
Heu meminiſſe pudet, factique in imagine pecco,
Et rea ſit tanti mens memor ipſa mali.
Non mihi tu frater, non crederis amplius Ammō,
Nec mihi qui pater eſt, debuit eſſe tibi.
Quæ non Davidicis infers opprobria tectis?
Quam tua tot proavûm crimina ſceptra luent!
Et tamen hæc cœptis præfers exempla profanis,
Iſtaque peccato quæritur anſa tuo.
Qui te morbus habet miſerum, febriſque calorque,
Aſtuti fraudes forſan amantis erunt.
Aut tibi ſi veri diſſolvunt membra dolores,
Iſte nocens poterit ſic periiſſe dolor.
Non ſcelus eſt ægrum proprio jacuiſſe cubili,
At ſcelus eſt thalamo te jacuiſſe meo.
Non hic blanda quies feſſis irrepat ocellis,
Præbeat aut placidas nox ſcelerata moras.
Ipſa ſuos à me vertant ultricia vultus
Sidera, & attonitos Cynthia flectat equos.
Virginitas intacta mihi eſt, totoque Sione
Illæsâ colitur virginitate Thamar.
Præſtat ut alterius flagres ſine crimine flammis,
Quàm ruat infando noſter amore pudor.
Sit mea virginitas ignoti præda latronis,
Solabor caſu deteriore malum.
Tu rapere innuptæ cupias, fraterque ſorori?
Et ſcelus inceſtu conduplicare tuum?
Improbe amor, quo non mortalia pectora cogis?
Nec tamen hæc eadem pectora cogit amor.
Dum tibi vim ſimulas, dum cogi dicis amantem,
Prætextum vitio quæris; amare cupis.
Iſta licet teneras depaſcat flamma medullas,
Obruere hanc ſola relligione potes.

Aut canibus ſectare feras, venabula torque,
Aut procul à Thamara rus geniale cole.
Colla doma ſpumantis equi, frenabis amorem,
Officiique tui pars erit iſte labor.
Otia dum captas, ſcelerata negotia tractas,
Quodque velis, ſupereſt, præter amare, nihil.
Si tibi non parcis, patri, generique, mihique,
Flagitii vindex Abſalon unus erit.
Tu mihi ſi fraudes, ſi perfida vincula nectis,
Excipiet fraudes forſitan ille tuas.
Non fallax tu ſolus eris, ſcit fallere & ille,
Materiemque dolis dat dolus ipſe novis.
Intereà, quam turpis amas, te caſta monebit,
Ne Thamaram poſthac frater & Ammon ames.

IOBI QVERELÆ.

ELEGIA XII.

MVlta diuque tuli: tandem patientia victa eſt:
Et labat innumeris mens mea preſſa malis.
Culpa minor vitio eſt, graviores crimine pœnæ,
Pluraque, quam potui promeruiſſe, fero.
Nil mihi jam reliquum tellus facit; omnium egenus
Mitia quæ fuerant, aſpera fata queror.
CuEncta mihi dederat cœlum, jam cuncta repoſcit;
ust dolet hoc, donis tot potuiſſe frui.
Pl miſer eſt, quiſquis vixit ſine labe beatus,
Nec, niſi quæ fluxit proſpera, vita mala eſt.
Hac mercede Deo longos ſervivimus annos?
Eſſet ut exitii cauſa, fuiſſe pium?
Et mihi ſimplicitas nocuit, candorque, fideſque?
An ſcelus audenti gratia major erit?

Pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Proderit eſſe malis, quam ſic coluiſſe Tonantem.
  Ah, piget intactas cædibus eſſe manus.
Si latro, ſi raptor fuerim, placabitur æther.
  Integra ſi fuerit mens mihi, pœna ſubit.
Et potius mendax, potius laudabor adulter,
  Si minus à culta relligione probor.
Cur toties ſacras humilis proſternor ad aras?
  Inque meis fumat pinguior agna focis?
Si pietas gravis iſta mihi eſt, peccemus inulti;
  Impietas cœlo judice tuta viget.
Bella gerunt Arabes, &, gens inimica, Sabæi,
  Et ſpolium de me quilibet hoſtis habet.
Aſſur adeſt, raptorque meos populare penates
  Venit, & immiſſo milite vaſtat agros.
Mille mihi nuper tondebant prata capellæ,
  Plenaque tardigradis paſcua bobus erant.
Ingemuere meo centum ſub vomere tauri,
  Lanigerique gregis copia magna fuit.
Vndique triticeæ complebant horrea meſſes,
  Et latices tellus officioſa dabat.
Ad mea veloces properabant juſſa miniſtri,
  Hic agili dextra promptior, ille pede.
Sidonioqne mihi redolebant murice veſtes,
  Tinxerat & noſtras purpura rara togas.
Turba ſalutantum foribus fervebat in ipſis,
  Ibat in Eoas didita fama plagas.
Omnia qui tenui, non hoc ſupereſſe fatebor,
  Vt poſſim ſanus dicere: dives eram.
Non bos in ſtabulis, non taurus mugit in agris,
  Nulla mihi tremulo gutture balat ovis.
Et pariter pueri, pariter periere puellæ,
  Et ſupereſt tanta è poſteritate nihil.
Deſpiciunt dominum famuli, famulæque; miſerque
  Tot careo, potui quot ſatur eſſe, bonis.
Afflictum fugiunt omnes, nec noſcor ab illis,
  Tempore qui fuerant candidiore mei.

Nudus inopſq; vagor, ſine nomine, tegmine, cultu;
   Et ſcabies toto corpore fœda riget.
Membraque liventi ſordent languentia tabo,
   Nec ſatis eſt uno me periiſſe modo.
Deſeror amiſſis opibus, ſoboleque, domoque,
   Conjuge. quæ nobis omnia ſola fuit.
Conſpirant in me tellus, Acheronque, poluſque;
   Viſcera noſtra, meæ diripiuntur opes.
Improba nunc Eliphas loquitur, nunc frendet Eliu,
   Et Baldad fatis aſperat ora meis.
Ipſa thori conjunx, &, nomina blanda, nepotes
   Vltimus accedunt ad mea damna dolor.
Numē ubi eſt? ubi ſunt Superi? cōtendere poſſum.
   Ingentis ſpeciem ſors mea juris habet.
Vive pius, patiere tamen; cole ſacra, colentem
   Sors tamen in lachrymas invidioſa trahit.
Quod ſi fata bonos vexant, magis æqua profanis,
   Penè loquar, nullum dicere jura Deum.
Iſta manus pœnas, hæc ponderet altera culpas,
   Diſſimilis culpæ pœna futura mea eſt.
Et loquar hoc: Tantæne animis cœleſtibus iræ?
   Vt cupiant uni bella parare viro?
Egregiam verò laudem & ſpolia ampla reportent,
   Si luteas ſternant fulmina celſa domos.
Stringitur in teneras gravior cenſura columbas,
   Et facilè innocuum vaſtat ovile lupus.
Perdere me facile eſt, ſi ſit nocuiſſe voluptas,
   Et quæ me fecit, tollere dextra poteſt.
Vt ſtipulæ Boreas, foliis iraſcitur Eurus,
   Irruit in noſtrum numinis ira caput.
At facies, at dextra tua eſt, quæ ſanguine livet:
   Dedecoris partem, magne creator, habes.
Sunt tua quæ fœdâ ſordent mihi corpora cruſtâ:
   Aut mihi dic, quanam ſim tibi lege reus.
Crimina dic. dic quæſo meæ deliria vitæ.
   Quod ſcelus eſt, vel quo ſum tibi teſte nocens?

Cur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Cur premis inſontem? cur non placaris amico?
Cur tua ſunt noſtris lumina clauſa malis?
Tu ſcelerum formas, numeroſque expendis ad un-
Et potis es greſſus & numerare pedes. (guem,
Cur mihi perpetuâ involvis caligine luces?
Et Stygios vivum cogis adire lacus?
Vita vices morientis habet, tumuloque ſuperſtes
Claudor, & exſtincti ſum levis umbra rogi.
Quo pede per terras, gradior Phlegethonta per
Deficit ad funus præfica ſola meum. (ipſum,
Cruda renaſcentes præbent alimenta querelæ,
Et reliquum vitæ nox tegit una diem.
Hæc ſi non merui, mihi cur ſuccenſet Olympus?
Si merui, cauſam vindicet ille ſuam.
Heu cœli terræque pudor! vixiſſe periſſe eſt,
Totaque ſupplicio vita parata meo eſt.
Quis mea præteritis expunget tempora faſtis?
Atque iſtum poterit ſurripuiſſe diem,
Quo me fatales genitrix produxit in auras,
Primaque principium funeris hora fuit.
Non erat, ut tantæ lux hæc prænuncia cladis,
Flammiferis populos irradiaret equis.
Hanc chaos antiquum cœcis merſiſſe tenebris
Debuit, & fœdum detinuiſſe Nihil.
Cur qua ſum genitus, non ſum detentus in alvo?
Quæque domus, tumulus non fuit illa mihi?
Cur me læta ſinu mater, cur fovit in ulnis?
Hoc ipſo poteram tunc periiſſe ſinu.
Brachia quæ toties puero ſuppoſta fuere,
Hæc artus poterant dilaceraſſe meos.
Oſcula cur fixit? cur lumina blandula dixit?
Lumina tot lachrymis, tot miſeranda malis.
O utinam tunc cùm teneræ per colla parentis
Reptabam, collo pondera lapſa forent!
Non ego jam longo traherem ſuſpiria luctu,
Nec quererer miſeros lentius ire dies.

Nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Nec mihi quærenti facilis ſolatia ſomni,
  Turbaret noctes cura dolorque graves.
Sæpè dolens inopes atque ora famelica pavi,
  Pauperieſque mea ſæpè levata manu eſt.
Me vidui coluere lares, ego pronior illos
  Solatus ſtudiis alloquioque fui.
Non amor argenti, nec habendi ſæva cupido
  Subdidit infami pectora noſtra jugo.
Hoc ſtudui: ſacros opibus non tradere mores,
  Totque Dei donis auctior, eſſe bonus.
Ad mea cum feſſus properaret tecta viator,
  Hoſpitis officiis obſequioſus eram.
Objice, qui poteris, falſæ perjuria linguæ,
  Noſtra fuit laudis lingua miniſtra tuæ.
Exige, qui poteris, ſervilis præmia dextræ,
  Iratum credam juſtius eſſe Deum.
Tu quoque læſe pudor, ſi læſimus, exige pœnas,
  Fœdera ſi thalami nos ſoluiſſe putas.
Has Iobum meruiſſe vices dixiſtis amici.
  Dicitis: in culpas area lata patet.
Cauſa mea eſt melior: nec enim tam dira peregi,
  Aut par delicto eſt numinis ira meo.

ORATIO DANIELIS
in lacum leonum detruſi.

ELEG. XIII.

MAgne maris cœlique Deus, dum vota ſuperſunt,
  Excipe, quos querulo fundimus ore ſonos.
Neve precor tanti regis ſubſcribe furori;
  Sit ſatis Aſſyrii Principis ira mihi.
Tu Deus Iſacidum toties pro gente ſtetiſti,
  Cum Pharios ultrix mergeret unda duces.

Tota

Tota tibi patuit Canaan, conceſſit Idume,
  Quotque aderant, hoſtes tot cecidere tui.
Sæpè ferox petiit Ieſſæum Saulus alumnum,
  Sæpius ille tuo numine tutus erat.
Ingreditur medios pietas ſecura per ignes,
  Nec poterant flammæ vel nocuiſſe faces.
Te cecinere viri: rabidâque intacta favillâ,
  Tunc fuit in laudes lingua diſerta tuas.
Reſpice me, famulique tui miſerere creator:
  Subveniant fatis altera fata meis.
Quam ferus eſt Aſſur, tam ſis mihi mitior illo,
  Perdere quem vellet, ne periiſſe velis.
Orat opem Daniel, vaſtum demiſſus in antrum,
  Et media veluti de Styge verba facit.
Vndique me Libyci terrent immane leones,
  Et tot Marmarici monſtra ſtupenda ſoli.
Iam timeo rictus, & murmura ſæva ferarum,
  Lumina ſunt oculis iſta tremenda meis.
Terribileſque jubas, atque ora famelica cerno,
  Quæque rigent toto ſpuma cruorque ſpecu.
Iam metuo villos, & tentæ verbera caudæ,
  Quæque meo recubant barbara membra thoro.
Hîc mihi terrificis aliquis rugitibus inſtat,
  Hîc alius tunicâ contegit ora meâ.
Ille truces capiti dentes, hic admovet ungues,
  Lambit & imbelles horrida lingua manus.
Cum ſubeunt pugnæ, cum bella immania ſurgunt,
  Quam metuo, ne mox dilacerandus agar!
Nec mihi tuta quies: omnes vigilamus in horas,
  Et placidus tenero corpore ſomnus abeſt.
Atque ego dum nequeo, lætor dormire leones,
  Et recreat miſerum, tunc timuiſſe minus.
Vivimus hos inter comites: hac vivimus aula:
  Iſtaque ſupplicio ſcena parata meo eſt.
Sanguine cuncta madent: & ſquallent limina tabo.
  Quæque famem nequeant oſſa domare, jacent.

Tu

Tu Deus indomitis compeſce leonibus iras,
Ingenteſque tuo numine frange minas.
Tu loquere: & rabies ſtomachi ſedata fatiſcet,
Induet & mores bellua juſſa novos.
Non fortuna reum, non ſors facit illa nocentem,
Iſta tuus fidei præmia cultor habet.
Non ego fallacis colui ludibria Beli,
Nec ſtolida ſupplex cum Babylone fui.
Sprevi ligna Deos, & inania nomina myſtas,
Nec reor in ſaxis numen ineſſe tuum.
Omnia qui condis, non es pars condita rerum,
Artificique ſuo tam rude diſtat opus. (pi,
Quem nec terra patés, nec machina claudit Olym,
Non faber auguſto claudat in ære Deum.
Lumina cur venerer cœcis damnata tenebris?
Exanimeſque pedes, & ſine mente caput?
Cur aures venerer? non eſt vigor auribus ullus:
Nec capit humanas machina tanta preces.
Os vidi, ſed voce carens: ſine robore nervos,
Nec rigidæ motus dant documenta manus.
Stat ſuper excelſum moles erecta coloſſum,
Stat lapis, & cultus non capit ipſe ſuos.
Hunc gentes populique furor maleſanus adorat,
Et demens tangi credit amore ſui.
Regia majeſtas vetitis advolvitur aris,
Et ſcelus exemplo ſplendidiore probat.
Genſque ſacerdotum paribus ſe polluit auſis,
Hoſque habet auctores fabula ficta ſuos.
At non iſta meæ placuit veſania menti,
Nec lapidi dixi: Tu mihi numen eris.
Frangere quod poſſum, vel ſævis urere flammis,
Cur ego, cur pietas officioſa colas?
Nec coluiſſe libet ſquamoſi colla Draconis:
Cur? potuit noſtris occubuiſſe dolis.
Et jam ſtrata jacent mediis immania templis
Corpora, diſrupto bellua ventre patet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Sic gemini periere Dei. jam ringitur Aſſur,
  Et veteri excuſſus relligione dolet.
Et dolet inſana vacuus mercede ſacerdos,
  Solamenque mali funera noſtra putat.
At tu præſidium miſero es, tu ſola ſalutis
  Anchora, promiſſi tu memor uſque tui es.
Sunt mihi jam faciles, ſed te mandante, leones,
  Ludit & antè meos effera turba pedes.
Africa terribiles manſuetior exuit iras,
  Et ſoboles terræ degener iſta ſuæ eſt.
Sic ubi ſe nondum vitiis involverat orbis,
  Credibile eſt æſtus detumuiſſe feros.
Et mihi neſcio quis peregrè pulmenta miniſtrat,
  Et recreant ſubitæ corpora fracta dapes.
Ite procul curæ. vati famulatur Olympus,
  Nec, qui non poſſunt non nocuiſſe, nocent.

ELEGIA XIV.

Iuditha è caſtris Aſſyriorum redux, interfecto Holoferne.

VIcimus, atque uno patriam defendimus ictu,
  Iſtaque Iudithæ gloria, nulla viri eſt.
Vicimus, & tanti, Cives, dux femina facti,
  Materies doctæ poſteritatis ero.
En caput, en dira vultus cervice reciſos;
  Hæc ſunt militiæ prima trophæa meæ.
Hæc mihi victrici pars ceſſit, at altera caſtris:
  Dividit Aſſyrium dextera noſtra ducem.
Hoc munus ferale damus. cape patria ſacrum:
  Plus tibi, quam cæſi Principis ora, damus.
Hoc precio victas iterum mercabimur urbes,
  Hoc ſpolium trepidis hoſtibus horror erit.
Ite viri, properate duces, cape tela juventus,
  Excipiant auſus prælia veſtra meos.

Nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Nec jam terribilis faciem ſpectate tyranni;
  Non poterunt veteres plus nocuiſſe minæ.
Cernitis, ut tumeant heſterno inflata Lyæo
  Lumina? adhuc tepido Bacchus in ore natat.
Cernitis adſperſos nocturnâ cæde capillos?
  His mihi correptus Barbarus iſte fuit.
Quæ ſitiit noſtrum rabies veſana cruorem,
  Pocla ſuo moriens ſanguine plena bibit.
Callida me volui capiti promittere diro,
  Pollicitiſque meis ingenioſa fui.
Baſia dum quærit, ſtricto perſolvimus enſe.
  Quam ſunt concubitus aſpera fata mei!
Quot miſer à noſtris ſperaverat oſcula labris,
  Vulnera tot validæ certa dedere manus.
Quique meo caluit modo veſpertinus amore,
  Iam calet, atque ſuo membra cruore fovet.
Arſit amans, nos flagrantes reſtinximus ignes,
  Quæque caput, pariter ſuſtulit ira faces.
Dum mihi philtra parat, mihi dum propinat a-
  Funus amatori femina ſæva paro. (mator,
Eſſet ut officii merces celeberrima tanti,
  Et veniens, abiens, hoſpes & hoſtis eram.
Quemq; thorū mecum Princeps preſſiſſet iniquus,
  Solus, & infelix, exanimiſque premit.
Ἀκέφαλος mediis Venerē jam quęrat in umbris,
  Atque aliquam ex imis manibus Aſſur amet.
Non mihi Manaſſis ſubiere oblivia chari;
  Dum putor Eunucho ſordida, caſta fui.
Nec precio venalis eram, nec veſte, nec auro:
  Et tamen hæc probitas diſſimulanda fuit.
Integra fama mihi eſt, vici ſine crimine Medum,
  Nec læſi titulos ille pudoris habet.
Peccaſſem fateor, ſi delinita fuiſſem;
  Nunc volui verbis pondus abeſſe meis.
At corpus ſcelere intactum, pectuſque pudicum
  Cum mihi ſervarim, perdere verba leve eſt.

Peccavi

Peccavi mentita? fui mentita tyranno:
  Hoc dudum Phariæ me docuere nurus.
Cui nocui mentita? Duci. ſic vicimus hoſtem.
  Hæc bona ſunt dubiis anteferenda malis.
Patria ſalva mihi eſt: tota eſt Bethulia ſoſpes;
  Diſcedent muris impia caſtra meis.
Hac dixi mercede aliquid, quod dicere nollem
  Libera: ſic culpâ lingua carere poteſt.
Cauſa ſubeſt facto, causâ mentimur honeſtâ,
  Invidiam noxæ detrahet illa meæ.
Iſacidæ laudate Deum, puerique, ſeneſque,
  Et celebrent auſus ſecula ſera meos.
Clara fuit Deboræ virtus, plus fortis Iaël,
  Accedam tantis ultima nominibus.
Vos illud librate caput, procul horreat hoſtis:
  Et diſcant dominum caſtra timere ſuum.
Inveniet reliquam, partem dum ſpectat ademptā
  Barbarus, & lacero Principe terga dabit.

ELEGIA XV.

ORATIO

Matris Iudaicæ, crudeli ſupplicio una cum filiis ſeptem ſub ANTIOCHO *extinctæ.*

STabat, & excoctas mater Iudæa favillas
  Dum videt, & natis buſta parata ſuis,
Talibus immitē dictis fuit ulta Tyrannũ,
  Suppliciumque ſuum leniit ore dolor.
Quid furis? & noſtris acuis cruciatibus ignes?
  Barbaricaſque ferâ protrahis arte neces?
Hæc patiar pro lege libens. non flamma, nec enſis,
  Me poterunt Domino ſurripuiſſe meo.
Vre; pium flammæ rabies accendit amorem.
  Vre; Deum noſter fortius ignis amat.

Vre;

Vre; ſacroſanctas ſubdunt incendia flammas.
Vre: ſacer diro creſcit ab igne calor.
Iam miſeræ licet eſſe mihi, licet eſſe beatæ;
Et ſubeunt animo morſque ſalusque meo.
Huc tua juſſa vocant;aliò mandata Tonantis;
Et diſpar voto rexque Deusque ſuo eſt.
Obſequor Antiocho: flammas minitabitur æther.
Obſequor huic: flammas rex truculente paras.
Obſequor Antiocho: patriæ ſum transfuga legis.
Obſequor huic: miſerè dilacerata trahor.
Libera ſi reddar: Iudæis perfida credar.
Libera ſi non ſum, jam rea facta ſecor.
Suadet amor vitæ vitium: diſſuadet honeſti,
Ira Ducis terret, ſed magis ira Dei.
Plus Superûm potuere minæ.cape, magne creator,
Obſequio tantum dedita membra tuo.
Corpora quæ lacerat lictor, tu tota creaſti;
Reddimus hæc eadem jam mutilata tibi.
Cùm nihil ipſa forem,fecit tua dextra quod eſſem;
Colliget hæc artus poſt mea fata meos.
Impietas, diſcinde manum: mihi ſecula reddent
Altera; nec flammis deſinet eſſe tuis.
Scinde pedes: citius cunctos penetrabimus orbes.
Dum miſeram prohibes ire, volare facis.
Exime, quæ Superûm cecinit præconia, linguam.
Accinet autori mox rediviva ſuo.
Exue me proprio nudatam tergore matrem:
Hac iterum cœli filia pelle tegar.
Fruſtatim laniaſſe juvat: ſed tota reſurgam,
Tota loquar ſceleri verba ſevera tuo.
Hos mihi relligio reddet ſervata triumphos,
Et vitam pietas intemerata dabit.
Vos quoque, vos ſeptem noſtro de ſanguine nati,
Reſpuite inviſas, pignora chara, dapes.
Diſpliceant epulæ, quæ diſplicuere Tonanti,
Nec violet patrum juſſa priora nepos.

Non

Non ego peccantes, infartaque viſcera porcâ,
Aut rea flagitii nomina mater amem.
Plus ego diſcerptos mater venerabor; & ille,
Regia qui fugit crimina, natus erit.
Ah, miſeros jam flamma coquit. miſerere tyranne,
Redde meos, ſobolem rex mihi redde meam.
Reddere Rex noli; rurſùm mea vota retracto.
Et pia quod genitrix nolo, miſerta volo.
Ambiguis luctatur amor pietaſque querelis,
Ille dolens ſobolem diligit, illa Deum.
Ite mei partus, medios deſcendite in ignes,
Septemplex Domino victima cæſa cadet.
Sic decet Iſacidum veros periiſſe nepotes,
Qui renuet, ſtirpi degener ille ſuæ eſt.
Vos mea, vos eadem naſcentes edidit alvus,
Et mater vitæ munera prima dedi.
Nunc eadem cunctis facta eſt ſartago ſepulchrum;
Vnaque victuros concoquit urna viros.
Vna dies iterum cœlo vos reddet, & aſtris.
Et decor eximiis fratribus unus erit.
Non lachrymor: majora malis quia gaudia reſtant;
Elidunt gemitus ſpeſque fideſque meos.
Non lachrymor: quia veſtra ſequar veſtigia mater.
Me quoque ſors poſcit, quæ modo veſtra fuit.
Quæ patiar, ſcindar, coquar, urar, ſola ſuperſum.
Heu quàm martyrii ſera corona mei eſt!

RACHEL

Plorans Infanticidium Herodis.

ELEGIA XVI.

CRudeles Solymæ, (quid enim, niſi dira, precabor)
Accipite hæc luctus conſcia verba mei.
Et veniam noſtris cõcedite queſtibus; iſto,
Non alio, poſſum læſa nocere modo.

Vlciſcar

Vlciſcar gemitu facinus, ploratibus enſes,
Nec fuerit ſoboli condoluiſſe nefas.
Quam tua juſſa necant, luget, Rex improbe, mater,
Materiamque meis dant tua ſceptra malis.
En lachrymis funeſta rigor, præcordia planctu
Verbero, & extinctum brachia pondus habent:
Oſcula vulneribus, jam baſia figo labellis,
Effigies miſeri cernitur una rogi.
Abluitur ſanies, & quod latus hauſerat enſis,
Occupat officiis obſequioſa manus.
Hæc eſt Abramidos natum plorantis imago,
Sic iræ videor poſſe placere tuæ.
O utinam tanti ſceleris ſpectator adeſſes,
Herodiſque oculis conſpiceretur opus!
Induerem furibunda virum, jamque ora tyranno
Femineus poſſet dilacerare furor.
Et quererer coram, propiuſque irata minarer,
Quæque ferat ſecum fruſta cruenta darem.
Et qui Sidonio totus diſcumbit in oſtro,
Impia ſanguineis tingeret oro notis.
Purpuraque hunc ipſum biberet veſana cruorem,
Signaque ſævitiæ cerneret iſta ſuæ.
Improbe, (ſic loquerer) tibi non manſueſcere docta
Mater, at immani tigride nata fuit.
Vberaque admorunt Hircanæ dira leænæ,
Aut ſi quid ſitiens Africa pejus habet.
Latranteſque inter ſcopulos & ſaxa Charybdis,
Edocuit mores horrida Scylla ſuos.
Sævior Antiocho es, dominoque ferocior illo,
Qui rabido ſacros torruit igne viros.
Quid puer hic meruit, tam paucis editus horis?
Quî potuit ſceptris noxius eſſe tuis?
Prima dies vitæ, mortis fit prima cruentæ,
Et moritur lucis neſcius ipſe ſuæ.
Nec te vagitus, nec feminei ululatus
Flectere, non lachrymæ, non potuere preces.

Non teneri infantis riſus, ſine fraudibus ætas,
Membraque non ullo contemerata malo.
Quin meus arriſit miſſis latronibus infans,
Autoreſque ſuæ neſciit eſſe necis.
Riſit, & ut gladios vidit fulgere coruſcos,
Credidit iſta ſibi gaudia poſſe dari.
Cur miſerum genui? vel cur improvida nupſi?
Cur ſteriles cœlum non dedit eſſe ſinus?
Non hos te, fili, in caſus, & fata tuliſſem;
Eſſet ut exitio vita parata tuo.
Triſte patris nomen, nomen miſerabile matris,
Flebile plus noſtro nomine, nate, tuum.
Nec tamen aut genitrix ultrà genitorq; ſuperſunt;
Nomina tu nobis, dum cadis, iſta rapis.
Nubite Iudææ meliori ſorte puellæ,
Sideraque in veſtros ſint magis æqua thoros.
Vnica crudeles Bethlemia ſentiat enſes,
Solaque regales eximat illa metus.
Scilicet hunc potuit regi ſuaſiſſe furorem
Sceptrorum rabies, imperiique furor.
Quique ſuis latè populis, non imperat iræ,
Et pueri metuit ſceptra verenda Dei.
Ille tamen Phariis vivit ſecurus in oris,
Exitioque Deum vindicat ipſe Deus.
Nec fera barbarici man⁹ huic nocitura tyranni eſt,
Aut fodiet ſacrum dextera juſſa latus.
Inſontes petimur, nec regnis nata juventus
Clara Redemptoris nomina morte luit.
Ah infelices cunas naſcentis Iëſu,
Tot quibus & matres & doluere patres!
Felices iterum cunas, obituſque beatos!
Hæc eſt martyrii gloria prima mei.
Illa per æthereos ſoboles ſpatiabitur hortos,
Et referet mortis præmia clara ſuæ.
Illa ſalutiferos Chriſti ſpectabit ocellos,
Angeliciſque ibit conſociata choris.

At

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

At mihi nunc orbæ ſubeunt mala plurima matri,
  Pluraque, dum nequeo mœſta ſilere, queror.
Cur hæc fatidicis oracula prodita chartis,
  Eſſet ut his noſtris rex oriturus agris?
Parvula cur laudes Bethlem ſervaris in iſtas?
  Et ſimul una meis crederis apta malis?
Cur ſinit hoc cœlum, cur non fera militis ora
  Inter terrificas obriguere neces?
Cur non fulmineum ſtringentia brachia ferrum
  Ilicet ad plagas obſtupuere ſuas?
Fulmina cur ſervat vitiis levioribus æther?
  Nec furit in tantum numinis ira ſcelus?
Cum ſubit illius facies triſtiſſima lucis,
  Qua ferus in noſtros irruit ille lares,
Cum ſubeunt planctus, & tot lamenta parentum,
  Sparſaque per cunctas membra tenella domos;
Has ipſas inter mortes, & funera verſor,
  Atque iterum ante oculos miles & enſis adeſt.
Iamq; loquor: ſine me Deus hanc effundere vitam,
  Aut mihi tu vitæ ſtamina rumpe meæ.
Vivere qui cupiam mater, ſine prole ſuperſtes,
  Aut miſeros optem ſæpè redire dies.
Parve puer, quoties hoc noſtro corpore corpus
  Teximus, atque iſta fregimus arma manu.
Occului gremio, gremio tu raptus ab ipſo es,
  Biſque mihi victo milite raptus eras.
Ipſa cruentatos decuſſi fortior enſes,
  Maſculaque iratus robora ſumſit amor.
Tunc animus fuit ire mihi tela omnia contrà,
  Et nocui, potui quot nocuiſſe modis.
Sanguine permixtæ lachrymæ per tecta fluebant,
  Et duplex gladios tinxerat unda feros.
Vidi ego, quæ fugiens per inacceſſas ambages
  Præcipiti mulier ſederat alta domo.
Vidi ego, quæ puteos ſobolem demiſit in ipſos,
  Immunem hunc gaudens cædibus eſſe locum.
Vidi

Vidi ego, quæ ſylvis latebriſque recepta ferarum,
   Plus faciles illic ſenſerat eſſe feras.
Atque aliqua, ut potuit palmarum frondibus abdi,
   Arboreis texit pignora chara comis.
Sæviit in reliquam crudelis dextera turbam,
   Et meus, heu, periit cæſus ab enſe puer.
Hunc adigas, dixi, mea per præcordia, miles,
   At ſoboli clemens obſecro parce meæ.
Me ferias matrem, minus hîc crudelis haberis,
   Iſtaque mors nobis muneris inſtar erit.
Ille tamen teneris atrox cervicibus inſtat,
   Ceu rabidus pavidum vaſtat ovile lupus.
Quoſque ego mox fovi, furibundus diſſecat artus,
   Ferrea nec poterant corda movere preces.
Sic mihi poſteritas, venturorumque nepotum
   Spes ruit, atque animo damna futura ſequor.
Hoc fuit, hunc dixit mihi nox præſaga dolorem,
   Signaque triſtitiæ prævia multa dedit.
Somnia turbabant placidam funeſta quietem,
   Viſaque, ceu vigili, trux Libitina fuit.
Funereos audire ſonos, leſſoſque videbar,
   Ingemuitque meo præfica mœſta thoro.
Hîc vidi tumulos, illic ſine veſte cadaver,
   Et ſuppoſta ſuis fulcra cadaveribus.
Incubuit querulo mulier non una feretro,
   Quaque oculos flexi, mortis imago fuit.
Non ultrà vanas immittere Morphea curas
   Crediderim; ſomni fabula vera mei eſt.
Quem vidi tumulum, nati fuit ille cadentis;
   Illius hi gemitus, ille cadaver erat.
Nuper & in cunis (nunc omnia læva recordor)
   Viſa eſt ſanguineis culcitra tincta notis.
Nec, velut antè, leves placidis vagitibus auras
   Traxit, at hos ſubiti corripuere metus.
Tollite me Superi, cupio comes ire ſepulto,
   Forſitan adventum ſentiet umbra meum,

Afficietque pios matris præſentia manes,
Et mala ſic levius, vel mala nulla feram.

ELEGIA
In Nativitatem Salvatoris noſtri
IESV CHRISTI,
Ad
D. EVVALDVM SCREVELIVM,
Medicinæ Profeſſorem.

Non tibi Bilbilicæ viliſſima munera chartæ,
Et, quamvis multum lemmata docta dabo.
Teſſera, turricula, graphiaria, theca, coronæ
Vilia ſunt; ſordent ſcrinia, pecten, acus.
Mattiacæque pilæ, venabula, fiſtula, follis,
Corvus, pica loquax, pſittacus, accipiter.
In precio fuerint tunicæ, manicæque, togæque
Et cervical olens, ſtrataque pluma thoris.
Omnibus his præſepe tuum plus præſtat Ieſu,
Plus precii Cunæ nos redimentis habent.

ELEG. XVII.

Ite procul veteres, Parnaſſia numina, Muſæ:
Ite procul ſtudiis turba profana meis.
Sola ſalutiferũ deſtillent pectora Chriſtũ,
Et latices ſacro nunc Helicone fluant.
Cyrrha vale, Phœbiq; domus, non Caſtalis amnis,
Non levat ipſa meam Phocidos unda ſitim.
Tu mihi virgineos aperi ſanctiſſima partus
Calliope, & pueri tempora prima Dei.
Dic mihi Muſa virum, celſo qui miſſus Olympo,
Iſacidûmque ſatus ſanguine, factus homo eſt.

Muta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Mutatur jam terra polo, & venerabile cœli
Depoſitum mundi machina vilis habet.
Quas æther ſervabat opes, ſibi ſervat Idume:
Accipit authorem gens maleſana ſuum.
Ne pereas peccator homo, ſunt numina præſtò:
Læſaque pars culpæ ſubvenit ipſa tuæ.
Ecce patris magni ſoboles, conſorſque Tonanti
Filius, humana conditione meret.
Ipſe hominem, noſtroſque Deus ſuperinduit artus,
Et duplici clarum nomine nomen habet.
Cœlo terra coit, nec pars æterna caducam,
Aut ſociam Superûm gloria ſpernit humum.
Quique Deus fuerat, Deus eſt, nec deſinit eſſe:
Aut decori geſtat noxia membra ſuo.
Et caro qui nunquam fuerat, veſtitur ab illâ:
Nec Deus huic, ipſi nec gravis illa Deo eſt.
Vna Redemptoris facies, rex unicus orbi eſt;
Quemque hominem, pariter dixeris eſſe Deum.
Occulitur ſub carne Deus, dumque adſpicis illam,
Regia majeſtas diſſimulata latet.
Magne Puer, tibi natales gratamur, & ortum,
Et canimus cunis carmina fauſta tuis.
Ingredere auſpiciis noſtrum felicibus orbem,
Et redeat tanto vindice parta Salus.
Quà Deus es, patrium potis es lenire furorem,
At caro mortales ſentiet ægra vices.
Crux hominẽ, Sathanęq; Deum certamina poſcunt:
Vt quibus ille malis ſuccubat, ille levet.
Mors hominem, mortemque Deus calcabis, & illi
Eripies ſpolium funeris ipſe tui.
Sunt diviſa Dei, diviſaque munia carnis,
Nec ſocias renuunt ille vel illa manus.
Sic terris promiſſus ades, ſic tota vetuſtas
Emicat, & legis clarior umbra tuæ eſt.
Hæc Patribus ſperata dies, hæc ſecula videt
Eminus, & multum tunc oculata fides.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Tu, quod Tartarei diffringet colla colubri,
  Magnaque fatorum robora, ſemen eris.
Thariades te vidit ovans: tu virgula Ieſſæ,
  Tu leo, Iudææ ſpes rediviva tribus.
Virginei tu ventris onus, tu ſtella Iacobi,
  Davidicaque puer progenerate domo.
Te dominum ſupplex, te regem nata Sionis
  Nuncupat, & priſco non ſine teſte venis.
Cum ſua morigerus portaret buſta puellus,
  Illa tui ſpecies buſta fuere rogi.
Sanguineis cum læta Pharos ſua limina guttis
  Tingeret, illa tuæ mortis imago fuit.
Crebra Palæſtino cecidiſti victima templo,
  Et typus effuſi ſanguinis unus eras.
Tu ſanctum penetrale ſubis; tu vota ſacerdos
  Excipis, & populi triſtia verba tui.
Quique dator vitæ ſerpens trabe tollitur altâ,
  Prævia venturæ tollitur umbra crucis.
Sancte puer, non te genitoris conſcia mater
  Edidit, aut patrio ſanguine fœta parens.
Non Mariæ thalamũ adſperſit fœcunda voluptas;
  Qui genuit, cœli Spiritus ille fuit.
Sic tibi natales alii ſine matre ſuperſunt;
  Hos tibi natales dat ſine patre pater.
Naſceris intactâ melior de virgine proles,
  Abluat ut cunas rex ſine labe meas.
Naſceris, & Latiæ guſtas longa ocia Romæ.
  Auſpicium pacis pax fuit iſta tuæ.
Altera bella ſilent, Sathanæ dum bella reſurgunt:
  Et domito Stygius vincitur orbe Deus.
Naſceris, & tugurî congeſtum ceſpite culmen
  Servitii pandit limina prima tui.
Hæc cælum tibi fata parat, ſed, maxime Ieſu,
  Paupertas alias ſpondet egena vices.
Sic Patri placuiſſe cupis; dumque atria ſpernis
  Splendida, cœleſtes Chriſte mereris opes.

Reſpice

Reſpice peccantem, frater ſine crimine, fratrem:
 Nec pigeat ſorti condoluiſſe meæ.
Reſpice, meque tui conſortem ſanguinis audi,
 Nec pudeat carni condoluiſſe tuæ.
Quas tibi tendo manus, quæ ſupplex lingua precatur,
 Quod tibi flecto genu, ſanguinis omne tui eſt.
Sic tibi quæ vitam, mihi lux feret iſta ſalutem,
 Mixtaque erunt cunis gaudia tanta meis.

Doctiſſimo, Prudentiſſimoque viro

D. ARNOLDO BVCHELIO,

annum jam climactericum ingreſſo.

QVi mihi Romano celebres ſculptore tabellas,
 Pictumque Dureri manu
Mittis opus, cumulaſq; novis mea debita donis,
 Et ære me gravas tuo:
Barlæi, venerande ſenex, cape vota, preceſque,
 Quas pronus æther audiat.
Vive diu felix animi, nec ſtamina fuſis
 Abrumpat Atropos ſuis;
Nec tibi fatalis veniat, qui jam venit, annus;
 Sed læta currant ſecula,
Perfacileſque dies, & non ignava ſenectus,
 Vacanſque amicis otium.
Carminibus ſi ſaga patrem Medea recoxit,
 Lacerumque terris Virbium
Reddidit inventis præſtans Epidaurius herbis:
 Si jura fatorum domat
Calliope, prohibetq; mori: tibi tempora & annos,
 Et ver juventæ primulum,
Pieridum quoque reddet amor; rugaſque ſeniles,
 Canumque Bucheli caput,
Inceſſusq; graves, doctæque incommoda linguæ,
 Vatum refingent carmina.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Quin tua Pegaſeis juveneſcet luſibus Hebe,
Priſcusque Muſarum furor
Inter Apollineas faciet revireſcere lauros,
Epoſque grande proloqui:
Quale ad arundiferi quondam placidiſſima Rheni
Fluenta luſiſti puer:
Quale tuo gaudens hauſit Canterus ab ore,
Totque erudita nomina.
En nitidi fulgent Soles, votiſque Poëtæ
Favere Bifrons creditur:
Quique renaſcentur, faciles promittere menſes,
Criticique temporis notas
Proſcripſiſſe tibi. quod ſi mea carmina fallunt,
Et fata poſcent hoſpitem,
Ingentis promiſſa Dei, partæq; ſalutis
Momenta languens cogita.
Ipſe ego, quæ poterunt mortis lenire dolores,
Cunas Redemptoris tui,
Nataleſque humiles, ipſi venerabile cœlo
Præſepe *conſecro tibi.*

SCAZON

In PRAESEPE *vagientis* CHRISTI.

PRæſepe magni ſella ſoſpitatoris,
Idemque ſedes arctior creatoris,
Spretum cubile, culcitræque non grandes
Summi Tonantis, principiſque terrarum:
Ego ſuperbus, faſtuoſus, elatus,
Oſtro renidens, ſericatus, & fulgens,
Et purpuratus, & puer deauratus,
Hîc hîc inanes arrogantiæ criſtas,
Pectus profanum, turgidaſque cervices,
Putremque faſtum, & ſeculum tumens damno.
Cunæ Tonantis, lectule imperatoris,
Cum te, tuumque illuſtre dedecus ſpecto,

Sordent

Sordent triumphi, ſceptra, regna, fortunæ,
Faſces, trophæa, veſtium venuſtates,
Auroque quicquid purpuraque reſplendet.
Attende, quiſquis tonſus & capillatus
Incedis altè, verticemque ſublimis
Infers Olympo. tuque virgo, quæ fuco
Mentiris annos, exprobraſque naturæ.
En ipſa cœli prædicanda majeſtas
Sordeſcit, ipſo deſpicatior vulgo,
Egena rerum: vilibuſque ſub pannis
Crepundiiſque grande Numen occultat.
Tu delicata turba, tuque ruſſata,
Et cirrulata, cui monilibus dextræ,
Collum gravatur torquibus, cui calcar,
Periſcelis ſuperba, fibulæ, frena,
Solis laceſſunt lumen, & diem rident;
Præſepe ſanctum paupereſque natales
Supplex adora. quid juvat ſuperbire?
Vili Redemptor tantus incubat fœno,
Hac vagit aulà, anhelituque brutorum
Blandè incaleſcit. O ſtupenda paupertas!
Creator orbis angulo jacet parvo,
Penè exul orbis: veſtiumque donator
Faſtidit illas: ipſe regibus major
Rex univerſi, regios fugit cultus,
Opeſque neſcit omnium miniſtrator.
Non inter olidos murices Sabæorum,
Crocumque, cinnamumque, balſamum fragrans
Infans renidet, Attaloſque vel dites
Pelopas laceſſit, Perſicoſque ſplendores.
Non hîc iaſpis, margarita, beryllus,
Fulgens ſmaragdus iſta fulcra colluſtrant.
Puer ipſe ſplendor omnis, & ſibi lux eſt,
Sibi ipſe fulgor, ipſe lumen, & ſidus,
Omniſque pyxis elegantiæ rerum.
Auguſta proles, nate patris excelſi,

Pater ſalutis, orbis arbiter magni,
Squallentis obſolete ſordibus tecti,
Vbi illa decoris ſempiterna majeſtas?
Pareſque patri gloriæ tuæ faſces?
Vbi patentis imperî potens ſceptrum?
Vbi tribunal cœlitum choro ſeptum?
Ex quo per omnes jura dividis terras,
Mandata ponto, juſſa manibus dictas.
An cœca ſuperos vexat aura fortunæ,
Regemque ſolio pepulit atra tempeſtas?
An illa triſtis, mœſta ſors egeſtatis
Premit volentem? paupereſque paupertas
Dives focillat? num modeſtiæ præbes
Exemplar orbi, turgidoſque deſpectas?
Horrete fucis oblitæ meretrices;
Horrete marmorata principum tecta:
Auri crepantes fœda pondera injuſti:
Et præ ſe habentes deſpicatui cunctos:
Elata pompa: lurco, ganeo, gnatho,
Æris paterni lancinator & gurges,
Et qui culinas, fervidaſque venaris
Aulas potentum, ingurgitator inviſe,
Bellariis aſſuete, ſive paſtillis,
Vinique ſemper optimi pitiſſator,
Quique omne legis aulicæ refers punctum:
Hîc diſce parvo victitare, ſubluſtri
Habitare tecto, veſte contegi ruptâ,
Inter boatus, halituſque taurorum,
Haurire vitam. Quiſquis hîc opes pendit,
Neſcit futuras: gloriæque captator,
Spernit perennem. Pauper occupa cœlum,
Et qua præit Redemptor, hac gradum flecte.

ELE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

ELEGIA
ad CHRISTVM in cruce pendentem,
Ad
ARNOLDVM BVCHELIVM,
Iuriſconſultum, Vltrajectinum.

DOcte ſenex, quæ ſacra fero, cape federis arrham;
Quam meus è caſto pectore mittit amor.
Non ſcopulo fixam Andromedam, pœnaſq; Promethei,
Hippolytiq; obitus, raptaq; membra leges.
Non Tityi jecur, aut rapidos Ixionis orbes,
Titanumq; graves, Enceladique vices.
Illa meis aberunt Vatum mendacia chartis,
Exhibet afflictum pagina noſtra Deum.
Si qua tibi tulerint humiles ſolatia Cunæ,
Diſcutiet cunctos Crux veneranda metus.

ELEGIA XVIII.

NVnc, ô Chriſte, tuas humilis proſternor ad aras,
Et veneror mortis celſa theatra tuę.
Tu pateris, ſed culpa mea eſt: tu criminis expers
Supplicii pendis triſtia fata mei.
Se peragit natura ream, tu victima luges;
Alterius ſcelus eſt, alteriuſque dolor.
Nomina debemus, ſed tu vadimonia præſtas,
Noſtraque ſat facilis debita ſponſor habes.
Dextra tibi perfoſſa riget; mea ſola ſceleſta eſt;
Nec ſentit pœnam noxia dextra ſuam.
Innocuum qui mucro latus transfigit, aberrat.
Debentur lateri vulnus & haſta meo.
Improbus immiti linguam tibi lavit aceto
Miles; at hæc noſtram proluat unda ſitim.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Spinea regalem tibi cingit adorea frontem.
  At pudor humani nominis illa fuit.
Cur ſecat immeritâ tergus vibice flagellum?
  Et cruor è ſacro corpore fuſus abit?
Hoc tergus Iudæe feri. mea perfida vita eſt,
  Perfida mens, ſtudiis perfida lingua ſuis.
Exſpuit in ſacros vultus ſceleratus Apella.
  Conſpue me: frontis gloria nulla meæ eſt.
Heu, ſtrinxere tuas adamantina vincula palmas,
  Brachia erant vinclis noſtra liganda tuis.
Quid captive gemis? damnati carceris umbra
  Me tegat, & fraudes abdat opaca meas.
Latro datur ſocius, miti lupus aſſidet agno,
  Et numerum impietas cum pietate facit.
Iſte latro collega mihi, conſorſque malorum eſt.
  Talis ego merui parte ſedere chori.
Iudicis ipſe tui toties abſolveris ore.
  Sum ſceleris judex, teſtis & ipſe mei.
Heu miſer, infamis libras mala pondera ligni,
  Et proprii portas buſta futura rogi.
Me grave laſſat onus; vitiis ſuccumbere doctus
  Debebam meritæ ſuccubuiſſe cruci.
Chriſte, quid exanimi ducis ſuſpiria planctu?
  Verberat & patrios mœſta querela lares?
Me me, adſum, qui feci, in me converte furoris
  Fulmina, me media deſere morte Pater.
Quid pia, quid moriens claudis tua lumina Ieſu;
  Sola fuit ſonti hæc debita pœna mihi.
Crux ſalve veneranda, mei medicina doloris,
  Spes mea, peccantum portus, & ara precum,
Præſidium miſeris, fidei tutela labantis,
  Vnica Chriſtiadum gloria, vita, ſalus.
Hoc ligno nos Chriſte beas, altare, ſacerdos,
  Victima: cuncta unus jam minor ipſe Deo es.
Ora tibi prono pendent proclivia vultu:
  Oſcula vis populo figere blanda tuo.

Sunt expanſa tibi totum amplexantia mundum
Brachia; & hic ſpeciem geſtus amantis habet.
Dextera Iudæos invitat, at altera gentes:
Sic moriens cunctos vivere poſſe cupis.
Deſtillat madidis lachrymarum flumen ocellis,
Abluat ut lachrymas flebilis unda meas.
Et qui fœda lavat peccantis crimina mundi,
Sanguinis ex iſto corpore rivus abit.
Gaudia noſtra dolor, peperitque infamia famam,
Et mea captivus libera colla facis.
Quæ te flagra premũt, flagris me abſolvere poſſũt.
Et ne cædar homo, cæderis ipſe Deus.
Cingit ſpina caput, ſed quæ marceſcere neſcit,
Facta meo capiti ſpina corona fuit.
Geſtat arundineum regalis dextera ſceptrum,
Ne deſint titulis ſceptra futura meis.
Deſereris, ne me pereuntem deſerat æther;
Et tua ſit queſtus meta querela mei.
Mors tua vita mihi eſt, atque iſto funere naſcor,
Quemque tibi rapiunt, dant mihi fata diem.
Cur timeam? fidei una meæ fiducia Crux eſt.
Cur timeam? rigidas crux fugat una minas.
Cur peccem? tanti Sponſoris morte redemptus.
Cur peccem? gemitus cum ſubit hora tui.
Hæc facies, hæc mœſta Dei pendentis imago
Nec me peccantem, nec ſinit eſſe reum.

ORATIO

Iudæ Iſcariotæ ſuſpendium ſibi parantis.

ELEG. XIX.

QVisquis in hac cernes infelix arbore pondus,
Me fuge, nec propius flecte, Viator, iter.
Forſitan & poterit dirum nocuiſſe cadaver,
Solaque te faciet corporis aura reum.

Ite

Ite procul ſcelerum ignari, neque conſcia fraudum
  Pectora, nec ſacram fallere docta fidem.
Cedite matronæ, caſtosque avertite vultus,
  Ne ſontis videant ora nefanda viri.
Hoc virtus pietaſque loco candorque faceſſe,
  Et quicquid laudem relligionis habet.
Non una ſum lege nocens; Dominumq;, Deumq;
  Prodidit, & facto perfida lingua ſuo eſt.
Quique mihi vultus fuit, & qui geſtus amantis,
  Cuncta notæ famuli decipientis erant.
Ipſe dedi ſummis muſtum peramica labellis
  Oſcula, ſed tacitis inſidioſa dolis.
Auximus ingenio facinus, docteque fefelli,
  Ne crimen levius ſimplicitate foret.
Vendidimuſque Deum precio, ſervique redemtor
  Ipſe ſui factus merx ſcelerata fuit.
Traditur infami mercabilis ære creator,
  Et cedunt lucro nomina tanta meo.
Polluit una meos obſcœna pecunia mores,
  Et ſacer argenti ſuaſit iniqua furor.
Triſtis avaritiæ rabies dum colligit aurum,
  Hunc quoq; cum poſſet vendere, vendit herum.
Dicite Pontifices, ſacrisque operate ſacerdos,
  Flagitio ſemper turba pudenda meo:
Cur placuit vobis cœlum venale, Deusque?
  Quæque reum faciant, annumeraſtis opes?
Si volui peccare prior, quoq; culpa probantum eſt;
  Et precio facinus qui fovet, ille facit.
Heu quid agam? durū eſt ſortis meminiſſe prioris:
  Hinc timor, hinc ſceleris me premit ipſe dolor.
Iamque animo dulces monitus reminiſcor Iëſu;
  Actaque cum domino vita dieſque ſubit.
Nunc fora, nunc ędes, nunc publica tēpla revolvo,
  Omnia quæ ſacris perſonuere ſonis.
Nunc in gramineis pandentem oracula campis,
  Et pia littoreis verba recordor agris.

Hæc

Hæc audire mihi fuit & didiciſſe voluptas;
    Vocibus his licuit colloquiiſque frui.
O quoties dixi, vox hæc placidiſſima cœli eſt;
    Vive, nec extremum dent tibi fata diem.
Heu ſcelus, iſta ſilet noſtra facundia culpa,
    Illa meo ſolum crimine muta ſtupet.
Voſque mei quondam, chariſſima turba, ſodales,
    Non ultrà veſtri cernitis ora ducis.
Hactenus eſſe piis licuit. nunc cæde magiſtri,
    Et diſpar titulo proditionis ero.
En caput, en Dominum vinclis ac compede ſtrinxi,
    Indicioque meo proditus ille latet.
Tinximus innocuo ſceleratas ſanguine dextras,
    Nec ſine me Solymæ miles ad arma ruit.
Squallida nunc illum tenebroſi carceris aula
    Abdit, & immenſum vilior umbra Deum.
Iam gemit, & patriis infert ſuſpiria tectis.
    Et famuli queritur facta nefanda ſui.
Tuque parens dilecta tui crudelia nati
    Funera nequitiæ pignora crede meæ.
Sit funeſta dies, qua me dignatus amicum eſt;
    Et voluit ſociis annumerare ſuis.
Ah graviter cecidi: quid enim mirabile, ſi quis
    Tactus avaritia vulnus amoris habet.
At mea nunc ultor commercia devovet æther.
    Et malè ſollicitum numinis ira premit.
Deſperaſſe iuvat: nec enim placabile cœlum eſt,
    Ignoſcique meum cor mihi poſſe negat.
Non Styx una mihi, Phlegethon non ſufficit omnis,
    Nec ſatis ad pœnam eſt tota gehenna meam.
Mitior eſt Acheron, nec crimina noſtra piabunt
    Tartara, nec flagris ſæva Megæra ſuis:
Nec quæ perpetuis Nemeſis cruciatibus inſtat,
    Flammarumque dolor, præcipiteſque rotæ.
Hæc ego cum timeam, potui majora mereri,
    Quodq; malum fingat mens mea, majus habet.

Sæviit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Sæviit in proprium quondam fera dextera fratrē,
Et ſceleris pœnas pertulit illa ſui.
Qui toties puero fuit inſidiatus lēſſæ,
Vincitur, atque ſuo cæſus ab enſe cadit.
Sæviit in patrem ſceleratis Abſalon auſis,
At miſer è quercu triſte pependit onus.
His quoq; jam Nemeſis miſerum ſuſpendit Iudam
Frondibus; hæc teſtis criminis arbor erit.
Adſum lictor, & ipſe mei libitina ſepulchri,
Exequiaſque mihi præfica nulla canet.
Non nova me circum protrudet gramina tellus,
Nullaque purpurei gloria veris erit.
Non ſtillante mei madefient rore capilli,
Ipſe meum fugient ventus & aura caput.
Vmbra loco feralis erit, friguſque tremorque.
Hinc radios Phœbus, Cynthia flectet equos.
Aëre librabor, terris ſecretus & aſtris,
Fabulaque & luſus prætereuntis ero.
Quæque reum occulto tellus irata fatigat
Verbere, ſuſpenſo non erit illa gravis.
Cur ultra vitæ cuſtos inviſus amaræ,
Contineam pronas in mea fata manus?
Cur doleam? pudor eſt Superûm ſperare favorem,
Aut numen precibus flectere velle meis.
Cur doleam? cerno præſens hac arbore funus,
Iſtaque jus fati faſcia vilis habet.
Culpa mea eſt: in me commiſſi pœna redundet:
Sint capitis damno damna ſoluta mei.

Clariſſimo viro

D. ARNOLDO BVCHELIO,

Iuriſconſulto apud Vltrajectinos.

PRima tibi magni ſcripſit cunabula Chriſti,
Naſcentemque Deum, & reparantem federa mundo

Calliope

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Calliope perculſa virum. ſtupuere ſuperbæ
Pauperiem cunaſque nurus, & conſcia faſtus
Terra ſui ſolito timuit ſplendeſcere cultu.
Altera languidulis Chriſti morientis ocellis
Indoluit lachrymans, & chari luxit Iëſu
Funera, fatalemque trabem, & violabile letho
Terrarum ſublime caput. nos crimen in illo
Quiſque ſuum, & veteris mœſti veſtigia culpæ
Flevimus, infandoſque gulæ ploravimus auſus.
Nunc idem plorare vetat, quem flevimus. atros
Diſcuſſit lux iſta dies, quâ tartara victor,
Et Phlegethontæas acies, ipſosque profundæ
Perdomuit mortis thalamos, & ſidera ſcandit
Induperator ovans. magno cœleſtia plauſu
Templa ſonant,aliumq; Deus ſubvectus in orbem,
Aërios ſuprà tractus, & nubila cœli,
Peccantem faſtidit humum. tibi conſcia rerum
Illuſtres repetit, Bucheli venerande, triumphos
Mens afflata Deo, & languenti læta reponit
Verba ſeni, vaſtique fores jam pandit Olympi.
Quaque per æthereos tandem defeſſa quieſcant
Membra domos, animæque tuæ ſincera bonorum
Sors erit, æternique fluent in ſecula menſes,
Fatidicæ monſtrant, Chriſto præeunte, Camœnæ.

ELEGIA XX.

In

Aſcenſum CHRISTI *in cœlum.*

MAgne triumphator Stygis, & pallentis Averni,
Qui novus extincto victor ab hoſte redis;
Maxime fatorum domitor,quem Tartara, manes,
Et Phlegethontæi pertremit aula Dei:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Scande redux Superûmq; domos, patrioſq; penates,
Et repete imperii priſtina jura tui.
Exue languentes crudeli funere vultus,
Exue flagitio membra cruenta meo.
Exue, queis frontem ſpinis redimivit Apella,
Exue purpureæ ludicra ſpectra togæ.
Iam tibi cœleſtis circumdat laurea crines,
Et turgent titulis regna paterna novis.
Iam tibi promiſſos Genitor largitur honores,
Sceptraque dat ſceptris ſubjicienda ſuis.
Talis, ubi inviſi fugeret conſortia mundi,
Primævus petiit tecta beata pater.
Talis ſiderei flammantia mœnia templi
Thesbius, humanis ſedibus exul, adit.
Quique Palæſtinum ſubiit penetrale ſacerdos,
Clara ſalutiferi principis umbra fuit.
Quid mihi priſca tuos objectas Roma triumphos?
Quem canimus, cœlo judice, victor ovat.
Tu facilem vinci Cimbrum, Perſenque ſuperbum,
Et ſubigis frameis barbara caſtra tuis.
Hic trucis exuvias Erebi, noctiſque profundæ,
Et ſpolium victo de Phlegethonte refert.
Tu currus, tumidasque paras generoſa curules:
Hunc dominum nubes officioſa vehit.
Illa leves tantum recreant ſpectacla Quirites:
Hîc ſua Chriſtigenûm gaudia mundus habet.
Illic captivi plorant ſua vincula reges:
Hîc captiva gemũt crimina, mors, Phlegethon.
Immoriturque ſuis fati violentia buſtis,
Et proprios ridet mors ſuperata rogos.
Tunc ſua gaviſus fremuit præconia miles:
Nunc ſtrepit Angelicis turba beata ſonis.
Excepere Duces prono Capitolia vultu:
Excipit hic reducem clarior aula Deum.
Succubuere truci veterum tot nomina letho,
Et tumulus magnos condidit Æmilios,

Scipia-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Scipiadaſque duos, &, Martia fulmina, Druſos,
Tantaque victorum corpora terra tegit.
Hîc ubi calcati damnavit jura ſepulchri,
Sub pedibus terras, & ſua buſta videt.
Larga triumphator diffundit munera Cæſar:
Munera ſed brevior ſuſtulit iſta dies.
Hic mihi divitias, torumque recluſit Olympum,
Et, quæ cuncta ferant ſecula, fundit opes.
Sic abiens, Salvator, ades. ſic magne redemptor,
Non moritura tibi gloria ſternit iter.
Viderat obſequium, jam confert prœmia cœlum,
Metaque ſervitii lux fuit iſta tui.
Mox humilis, jam clarus ovas; cõtemptaq; pridem,
Alta supergreſſus ſidera, colla levas.
Arripis imperium, toties parere paratus;
Dividit officium terra poluſque tuum.
Sic ſervus, dominuſque places: magnique parentis
Iuſſa jubes major, quæ minor ipſe facis.
Macte anime; hæc etiam tibi per veſtigia currat,
Et fidei conſtans permeet aſtra labor.
Macte anime: & vilis ſpernens proſcenia mundi,
Æthereas toto pectore ſcande domos.
Hac penetra: quæque ille tuus palatia ſponſor
Occupat, hæc eadem lumina mente ſubi.
Indiviſa colit ſponſæ penetralia ſponſus,
Et pudor eſt membris diſſociaſſe caput:

ELEGIA XXI.

De Iudicio extremo.

VIx tuba terribili ſonitu diſperſa coëgit
Agmina, & ingentes perſtrepuere plagæ, (amicos,
Chriſte redis, tandemque tuos viſurus
Clara triumphantis judicis ora refers.

Scilicet

Scilicet hæc abiens dederas promiſſa redemptor,
Solatus reditu tempora noſtra tuo.
Nec jam vilis ades, vel iniqui victima mundi,
Abramidumque odiis dilacerande venis.
Quin trepidi adſpicient clavo transfixa trabali
Brachia, & invidiæ tot documenta ſuæ,
Transfixumque latus, quod militis hauſerat haſta,
Vltoremque tremet gens ſcelerata Deum.
Quam facies mutata fori eſt! quem fecerat antè
Terra reum, partes judicis ille tenet:
Fitque reus judex; teſteſque coarguit ipſos,
Qui modò mendaci preſſus ab hoſte ſilet.
Occupat auguſtum cum majeſtate tribunal,
Quæque prius latuit regia forma, patet.
Stat Caiphas, tantoſque ſtupet perculſus honores,
Iamque ſuas diſcit nil valuiſſe minas.
Pontius Auſonii poſtponat Cæſaris iram,
Et ſerò innocuum vult abiiſſe caput.
Cum ſubit illius triſtiſſima noctis imago,
Somnia, ſollicita conjuge, ſpreta dolet.
Omnis in adverſas ſeceſſit machina partes,
Totaque ſtat facto terra dirempta ſuo.
Oppoſita eſt virtus ſceleri, gens turpis honeſtæ,
Et lateri pietas impietatis abeſt.
Quos tegit una nocens, hos lætior altera vultus
Explicat; hæc cœlos ſuſpicit, illa timet.
Conſcia mens ut cuiq; ſua eſt, vel præmia gaudens
Concipit, aut taciti ſigna doloris habet.
Vna dies fati eſt: ſed non tamen omnibus una.
Diſſociat trepidos flebilis hora viros.
Non reges ſua ſceptra juvant, mileſque, duceſque,
Et, quæ terruerant nomina, victa pavent.
Hic ſua crudeles deplorant fata Nerones,
Et queritur fraudes trux Catilina ſuas.
Ille memor pavidæ verſans incendia Romæ,
Illæſum fœdo cernit ab igne Deum.

Hic

Hic patriis dum dira focis ariſque minatur,
 Iam dolet infandos plus patuiſſe dolos.
Non Marium jam Sylla timet, reus adſtat uterque:
 Nec genero indicit perfida bella ſocer.
Tarquinii Brutique ſilent: ultrixque pudoris
 Femina flagitio triſtior ipſa ſuo eſt.
Et qui tela Iovis flammaſque imitatur Olympi,
 Iam nimis inſanæ deſpicit auſa manus.
Quique dies Latium Cæſar digeſſit in annum,
 Longius hunc faſtis optet abeſſe diem.
Hîc quoque cui domitus regi non ſufficit orbis,
 Iam miſer in toto poſſidet orbe nihil.
Spernit opes pauper Craſſus, Capitolia Paulus,
 Nec Cato ſe ſolitâ jam gravitate tegit.
Reſpicit, & ſpatiis aquilas deſiderat amplis,
 Nec, quæ ſuccurrant, agmina Druſus habet.
Spreta prius, ſerò metuit jam numina Pœnus,
 Torvaque contempti Iudicis ora videt.
Stant dites inopeſque ſimul, doctique rudeſque,
 Miſcentur tituli ſordibus, arma togis.
Stant Strumæ, juxtaque Solon; cum conſule fullo,
 Nec ſors ingentes diſgregat ulla Duces.
Non hæc audaces perturbent roſtra tribuni,
 Aut rigidum flectat lingua diſerta forum.
Non hic fallaci judex ſubvertitur ære,
 Aut poterit causâ plus valuiſſe favor.
Tros Italuſque Deo nullo diſcrimine habetur,
 Nec titulo pauper deteriore venit.
Qui vitas ſcelerumque modos & crimina diſcit,
 Nec prece, nec precio conveniendus erit.
Felices animæ, quas fratrum flexit egeſtas.
 Pauperies totum fenerat illa Deum.
Felices animæ, captis midereſcitis ultrò,
 Iſtaque jam pietas æthere tuta manet.
Quæ ſitiens quondam petiit ſibi pocula Chriſtus,
 Præbuit illa libens pocula veſter amor.

Præbuit

Præbuit ille dapes, nudoſque inveſtiit artus,
  Primaque laus ægris condoluiſſe fuit.
Nunc vos turba domos Superûm, ſedeſque beatas
  Scandite, & Angelicis vivite mixta choris.
Profuit eſſe bonis. iſta mercede laborat,
  Hoc precium facti relligioſus habet.
At vos immites, agreſtia pectora, turbæ,
  Qui miſerûm ſurda ſpernitis aure preces,
Ite procul: vos tartarei domus atra profundi,
  Vos manet inferni triſtior aula Dei.
Sic fuit, & totus meritis diſcernitur orbis,
  Quoſque capit fines, hos ſine fine capit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

CASPARIS BARLÆI

ELEGIARUM

LIBER II,

Ad Amicos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

ELEGIA

Ad Nobiliſſimum Virum,

D. GODEFRIDVM HAESTRECHT,

quâ cauſas dat auctor, cur ob graſſantem Leydæ peſtilentiam, Vltrajectum non concedat.

QVem toties docto vatem ſermone ſalutas,
Cogitur ad plauſus eſſe poëta tuos.
Excitat ignavas virtus laudata Camœnas,
Atq; animos tanto pręſide Muſa capit.
Sic, ubi Myrmidonum bellator claſſibus inſtat,
Acrior Iliadum laudibus Hector erat.
Sæpè Venuſino ſonuerunt barbita plectro,
Cum facilis magni Cæſaris aura foret.
Altior in pugnas, hoc ipſo Principe, ſurgit,
Romano Phrygium qui canit ore ducem.
Tu quoq; cū Zephyris adflas mea carmina blandis,
Erigis Aonias, numina lenta, Deas.
Vera loquar, neque enim fas ſacros fallere vates,
Me tua, quod poſſum, gratia poſſe facit.
Ne tibi diſpliceam, merear vel nullus haberi,
Pieriis conor reddere verba ſonis.
Et licet hanc fugiant doctorum inſignia frontem,
Ambiat aut noſtras laurea nulla comas:
Non tamen averſis hæc fallimus ocia Muſis,
Atque aliquis nobis proluit ora Deus.
Quin tibi cum placeant ſterilis commenta poëtæ,
Autori poterunt fortè placere ſuo.

Sed

Sed vatem cur poſcis amans, Batavûmque relictis
Sedibus ad ſedes vis properare tuas?
Fortiùs abſentem conſtans amor optat amicum,
Quoque frui ſemper non datur, acer amat.
Cur Ithacum toties conjunx poſcebat Vlyſſem?
Scriptaque cur toties littera? lentus erat.
Seſtus Abydenos non ſic arſiſſet amores,
Ni geminos Helle diſſociaſſet aquis.
An metuis, ne peſtifera malè lædat ab aura?
Et tibi dilectum vis ſupereſſe caput?
Incidat in Scyllam, cupiens vitare Charybdim,
Hic mea nos tollunt ſidera, veſtra necant.
Vis fugiam pedibus? pedibus mors ocius inſtat.
Vis fugiam penna remige? & illa volat.
Vis abeam rapidis in mœnia tuta quadrigis?
Præcipites adigunt fata ſevera rotas.
Vis mea lethæis ſubduci carbaſa ſtagnis?
Ipſe Charon celeri carbaſa lintre premet.
Qui fugit, hunc ſequitur. timidos furioſius urget;
Ipſe timor certus funeris autor erit.
Spreverit hanc quiſquis, fugiet ſecurior, auram.
Sed pavido fugiet qui pede, læſus abit.
Nec quam tuta ſient iſtis habitacula terris,
Quin potius, quam non ſint ea tuta, ſcio.
Hîc Batavas conſcendo frequens auditor Athenas,
Et percuſſa meâ pulpita voce premo.
Hic ſpectare libet doctæ certamina turbæ,
Verbaque in alternas juſſa redire vices.
Non illic placidæ fixere palatia Muſæ.
Non Helicon iſto Cyrrhaque ſacra loco eſt.
Hic mea purgatis figo veſtigia plantis,
Nullaque quò vadant dant documenta pedes.
Tu niſi magnanimas circumdes tergore ſuras,
Cruraque terribili maſcula pelle tegas;
Iam tua viſcoſo librabis pondera cœno,
Occiduoque illic Sole lutoſus eris.

Illic

Illic in vacuo traherem ſuſpiria lecto,
Hîc recreat feſſum Barbara noſtra latus.
Tu trahis, illa trahit. ſed quæ me pertrahit, illa eſt;
Obſequio ſervans proximiore virum.
Tu calamo, trahit illa manu; tu ſerius, illa
Riſibus, & madidis, quum volet ipſa, genis.
Æſonidem Medea ſuum, Briſëis Achillem,
Andromache charum ſic remorata virum eſt.
Hic, quæ ſola meas laxant ſolatia curas,
Ante meos ludit parvula turba pedes.
Hi veneranda mei trepidant ad ſceptra Quirites,
Hîc aries tanti dux gregis agmen ago.
Huic leges, huic jura damus. ſic Cæſaris umbram,
Sic ſpeciem auguſti cernimus imperii.
Tu doctos illic verſas induſtrius enſes,
Certaque venturis hoſtibus arma paras.
Nil mihi cum gladiis, vel acuti fulmine ferri,
Horret ad armatas mens ſtudioſa manus.
Muſa meos, Bellona tuos prolectat amores.
Hæc tibi, ſed genio convenit illa meo.
Cum Muſæ placuere, rotat tibi circinus orbes,
Et toties ſciſſum littera ſignat opus.
Aut ſuper æthereos raperis ſublimior axes,
Et propior ſummo crederis eſſe Iovi.
Aut numeros ſtatione locas: vel mœnia pingis,
Quæ valeant Marti dicere bella ſuo.
Non mea tam grandi fulta eſt doctrina cothurno,
Nec meus ad curas ſurgit Apollo tuas.
Carmen amor meus eſt, elegi labor, enſis iambus,
Pes numerus, campus laus tua, mucro ſtylus.
Cur veniam? pudor eſt doctæ concedere menti.
Cur veniam? ſcelus eſt obſtrepuiſſe tibi.
Vis veniam? cedant pluviæ, mala frigora, peſtes;
Verna mihi reddas tempora, jam veniam.

Nobi-

Nobiliſſimo Viro, ac Domino,

IACOBO DYCKIO,

Civitatis Gottenburgicæ in Suecia Burchgravio.

BAttaviæ dilecte meæ, dilecte Batavûm
Vatibus, & Regi, vir generoſe, tuo,
Cujus Hyperboreis loquitur facundia terris,
Et procul externo poſcitur orbe labor:
Si tibi, qui quondam, placeant, gens ſacra, poëtæ,
Atque aliquod precium carminis eſſe putas,
Nec tibi Parrhaſio ſordent ſub frigore Muſæ,
Quæque mari, genio non nocet aura tuo:
Hos lege Barlæi numeros, clariſſime Dycki,
Paucaque Battavici carmina vatis habe.
Mittimus hæc Chaucos ultrà, Cimbroſque, Getaſq;,
Balthica quà Gothicum verberat unda ſolum,
Altaque veliferos adſpectant culmina portus,
Et nova regalis mœnia lambit honos.
Nec mora longa viæ, fluctuſq; vel æquora terrent;
Quò magis hinc diſtas, quò magis urget amor.
Dumque ſilent veteres, jam turba elinguis, amici:
Obſtrepit officio noſtra Thalia ſuo.
Forſitan & poterit gelidum tranſmiſſa ſub axem
Littera porticibus gratior eſſe tuis.
Et quæ rara venit, potius tibi Muſa placebit:
Scriptoris novitas non leve pondus habet.
Non tua Grotiades exul, non limina pulſat
Heinſius; ingentes conticuere tubæ.
Hic famæ laudumque ſatur, ſatur ille malorum.
Quàm diſpar vates cauſa ſilere facit!
Sic dum thura negant illi, laticeſque Sabæos,
Vile tuis cogor far adolere focis.
Quin & parva placent Superis, modò caſta; nec illis
Semper inauratâ victima fronte cadit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Et licet ingenium vatis vel ſordeat author,
  Reſpice, quos cecini, nomina magna, Duces.
Bella leges totum latè cantata per orbem,
  Clara per Eoas Occiduaſque plagas:
Auriacos cineres, & magni Principis umbram,
  Et mœſta ad celebres verba ululata rogos.
Altera magnanimo debetur pagina Fratri,
  Et patrio creſcens cingit honore caput.
Naſſovios canimus; præreptaque laurea fato
  Rurſus in alterius vertice ludit ovans.
Imus, & imméſum audaces tranſcendimus æquor,
  Atque alibi Muſis perſonat aula meis.
Nec pudor eſt nobis Regi dixiſſe ſalutem,
  Et mea ſunt *Caroli* carmina tacta manu.
Materies auguſta mihi eſt: involvimus oſtrum
  Verſibus, & Regum ſceptra ſuperba cano.
Sic mihi, ſic plauſum potuit meruiſſe poëtæ,
  Et facit ad laudes purpura dicta meas.
Haud aliter Procerum vultus, & lumina Regum;
  Ac Latios ſculptor fingis in ære Deos.
Scilicet illa rudes commendant nomina merces,
  Et nugis precium Cæſaris ora dabunt.
Dum faber efformat precioſi dona metalli,
  Sæpiùs indoctum ſpernitur artis opus.
Nec tamen hæc rutilo prorſus vileſcit in auro:
  Perplacet auguſtæ frontis amicus honos.
Dum canimus vili Heroum præconia cantu,
  Muſa rudis titulo ſplendidiore placet.
At tu, qui geminam ſpectas vicinior Arcton,
  Accipe Battavico carmina nata ſolo.
Dumq́ue procul vaſto jactatas æquore puppes
  Adſpicis, & Gothicâ fallis in arce diem;
Naſſovios mirare duos; faſceſque Britannos,
  Quoſque colis, chartis jam venerare meis.
Forſitan & trepidos exarmans dextra Boruſſos
  Materies noſtri digna laboris erit.

ELE-

ELEGIA

Ad

GREGORIVM PLASSIVM,

Medicum Harlemenſem, qua Heemſtedii amœnitates deſcribuntur.

SI vacat à morbis noſtras audire Camœnas,
Nec nimius medicam poſtulat æger opem,
Accipe, quæ faciles ſcribunt tibi carmina Divæ,
Nec mihi quæ levis eſt, ſit tibi Muſa gravis.
Scilicet hoc precio doctos mercamur amicos,
Et dilecta mihi nomina jungit amor.
Tu quoque Niliacæ domitor fortiſſime gentis,
Nunc etiam in leges & mea jura venis.
Fervidus arentes dum torret Sirius agros,
Et ſociam Phœbo gaudet inire viam,
Te duce vicinas, animi ſolatia, villas
Vidimus, & veſtri gaudia rara ſoli.
Arx ubi ſublimes aperit validiſſima portas,
Lataque Romanum foſſa laceſſit opus.
Mirabar celſas expanſo culmine fagos,
Grataque populei tegminis umbra fuit.
Mirabar fecunda ſuis pomaria donis,
Septaque quæ docta flexerat arte manus.
Hîc ager innocuos paſcebat fertilis agnos,
Illic Spara ſuis lene fluebat aquis.
Inde frequens ſparſis exurgens collis arenis
Præbebat timidis ſubdola tecta feris.
Parte aliâ nigros ſulcabat navita fluctus,
Et patrium ſtreperâ voce canebat epos.
Najades hic, illic ducebant agmina Fauni.
Hic Corydon, illic Thyrſis agebat oves.

Læta Pales herbas pecori, lac Theſtylis agnis,
  Agricolis Ægon pocula plena dabat.
Flaventes à Sole Ceres ſtringebat ariſtas,
  Triptolemusque ſuo munere dives erat.
Crede mihi, Bajis locus hic prælucet amœnis,
  Nec meliore jacet Theſſala terra ſitu.
Terra famē, levat unda ſitim, fugat umbra calorē,
  Currus agros, vitreas cymba pererrat aquas.
Si juvat in viridi veſtigia ponere prato,
  Eſt via, quæ faciles ducat ab urbe pedes.
Si juvat audacis rabiem frœnare caballi,
  Huc quadrupes curſu liberiore ruat.
Si juvat infeſtis leporem mactare moloſſis,
  Hic quoque, quà campos tranſeat, Argus habet.
Si juvat aligeræ voces audire catervæ,
  Hic vaga dulciſono gutture vernat avis.
Si juvat expanſis Nymphas laſſare lacertis,
  Hic, quæ docta regat brachia, Najas erit.
Si juvat aut naſsâ, vel arundine fallere piſces,
  Hic reficit tetricas ſpes opulenta moras.
Adſpicis è tumulis, mediis ut Tiphys in undis
  Solerti fragilem dirigat arte ratem.
Vt modo pacatis ſubſidant ſtagna procellis,
  Præbeat & placidus tergora plana lacus.
Hic aliquis ſociâ vadens cum Phyllide paſtor,
  Audeat amotâ matre ſüave nefas.
Hic aliquis Clariâ vates ſe proluat undâ,
  Et procul à ſtrepera concinat urbe melos.
Hoc Helicon, hoc Cyrrha ſitu, Parnaſia rupes
  Non alio certè debuit eſſe loco.
Iuppiter ipſe ſuos hic tutò celet amores,
  Nec Veneris rutilans detegat auſa Deus.
Hic Ledæa Parin ſoboles, hac ſeriùs umbra
  Detineat Phrygium mollis Eliſa ducem.
Huc Cytherea ſuum ſecura invitet Adonin,
  Nec ferus infeſto dente nocebit aper.

Pyra-

Pyramus hîc fugiens Thisben exoptet amantem,
  Non dabit hic triſtes viſa leæna neces.
Elyſios mendax miretur Græcia campos,
  Oenotrios tellus Itala jactet agros.
Nil iſta regione prius. quæ divite cornu
  Præbet Amalthææ dona benigna capræ.
Non ego crediderim morbos hac ſede morari,
  Membráque quæ frangant fervidiora, febres.
Neſcio num medicæ poſcat ſolatia dextræ,
  Audiat aut Coæ triſtia juſſa ſcholæ.
Ipſe ſibi medicina locus. quin fata moratur,
  Pocula cum preſſi lactis Alexis habet.
Pharmaca ſunt molles offenſo abdomine malvæ,
  Betaque, vel propriis mella coacta favis.
Non hic ventoſæ tulerint faſtidia ſennæ,
  Vel procul ignoto ſemina nata ſolo.
Pocula contemnit centum decocta maniplis,
  Et mixtum adverſis viribus odit olus.
Simplicitas in rure placet. nimis anxia mundum
  Cunctaque terrarum gramina cura bibit.
His ego tunc tecum, Plaſſi, ſpaciabar in oris,
  Dum calidi fallo tempora longa Canis.
Ocia noſtra comes docto ſermone levabas,
  Signaque amicitiæ non temerata dabas.
Quid referam? cape ſinceri leve pignus amoris,
  Atque aliquod precium carminis eſſe puta.
Si placeant elegi, vates tibi jure placebit.
  Diſpliceant, non tu diſplicuiſſe potes.

ELEGIA
Ad
IACOBVM vander BVRCH,
ET
IOANNEM BROSTERHVYSIVM,
qua à Belgica Poëſios ſtudiis ad Latinam & Græcam eos hortatur author.

PAlladii Iuvenes, gratiſſima pectora Phœbo,
Quos toties ſcripti junxit amoris amor:
Par ſocium, ſine felle probum, ſine lite modeſtum,
Et nunquam rupti biga ſodalitii;
Dicite, cur Batavis tantum placet eſſe Poëtis,
Nec niſi Teutonicæ plectra movere lyræ?
Cur nimium tritas loquitur Venus aurea voces,
Ludit & in noſtris veſter Apollo ſonis?
Credite, non noſtro genita eſt Cytherea ſub axe,
Fervida nec gelido ſidere nata Dea eſt.
Orta alibi Venus eſt, multum cantata Pelaſgis
Vatibus, & Grajâ nobilitata chely.
Hanc cecinit Latiæ celebris facundia linguæ:
Hoc etiam nobis geſtiat ore loqui.
Quis calidos olim Leandri dixit amores?
Invida quis ſcripſit flumina? Grajus erat.
Quis Venerem Anchiſæ, Æneam quis miſcet Eliſæ?
Quis Paridis cecinit furta? Latinus erat.
Quis canit iratum raptâ Briſeïde Achillem?
Quis canit Andromaches vota? Pelaſgus erat.
Quis tragico narrat crudelia fercla cothurno,
Hippolytique docet fata? Latinus erat.
Quis magicas doctis donavit verſibus artes,
Quas docuit Colchis femina? Græcus erat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Quæ cœli thalamos, ſuperæque exordia gentis,
Totque Deûm ſtirpes expedit, Aſcra fuit.
Palladium claræ deſpondet Muſa Serenæ,
Attamen hæc vatis Muſa Latina fuit.
Flaminius Strozzæque ſuos cecinere furores,
Sed fuit Auſoniis dicta puella modis.
Battavico petulans cantata eſt Iulia vati,
Et ſua quæ laudet colla Secundus habet.
Lernutius blandas Hyados commendat ocellos,
Nec tamen hæc eadem carmina ſcivit Hyas.
Heinſius argutæ tranſcribit baſia Roſſæ,
Nec tamen hæc eadem baſia Roſſa leget.
Non decet indoctam vatum ſapientia turbam,
Et nimium veſtro vulgus ab ore ſapit.
Cernitis, ut viles ſcandant Helicona puellæ?
Femineumque riget Caſtalis unda chorum?
Anna facit verſus, &, quos facit Anna, probamus,
Quodque viris proprium credimus, Anna facit.
Vos decus Aonidum, Latiæque arcana Camœnæ
Panditis, & quicquid Roma vel Hellas habet.
Gloria nulla viri eſt. feriunt quoq; barbita matres,
Simplicibusque datur laurea virginibus.
Mittat amens lepidæ modulamina docta puellæ,
Reddet amatori noſtra puella ſuo.
Heu, ſcelus eſt omnes Charitum patuiſſe lepores,
Tot ſine dente ſales, tot ſine fraude jocos.
Eſt aliquid, ſolos quod vult ſciviſſe Poëtas,
Eſt aliquid, rarum quod cupit eſſe Venus.
Nempe nurus Batavas facere hoc, nō dicere, pręſtat,
Quod vates præſtat dicere, vel facere.
Quod ſi digna novæ captatis præmia famæ,
Veſtraque ſuccreſcens nomina poſcit honos:
Major ab Auſonio conſurgit gloria cantu,
Clarius Oenotrio naſcitur orbe decus.
Sic Verona ſuum jactat facunda Catullum,
Non alia fari voce Tibullus amat.

 Vivit,

Vivit, & æterno Flaccus memorabitur ævo,
  Lydia Romano cui pede juncta fuit.
Quid loquimur Belgæ? peregrinæ verba loquelæ.
  Edita Cattorum ſemine turba ſumus.
Neſcio quæ profugos ſors has perduxit in oras,
  Rhenus ubi æquoreis flumina junxit aquis.
Quin potius placeat veterum vox ſacra Quiritum,
  Dictaque, quæ priſco perplacuere Numæ.
Hîc hîc Romulidæ poſuerunt caſtra potentes,
  Et toties Latio carmine miles ovans.
Victriceſque aquilas, fidibuſque aptata Latinis,
  Hoc noſtro voluit ſigna ſub axe legi.
Quæ canitis Batavi, Latiis ſunt debita Muſis;
  Quæ canitis, Grajæ ſunt documenta ſcholæ.
Tithoni ſociam rythmis includitis arctis,
  Et feſſos longo tramite Solis equos:
Neptuni ſpatia, & vaſti vada cœrula ponti,
  Vndivagaſque rates, Naïadumque domos:
Vt ſua jam ſumat, jam ponat cornua Phœbe,
  Pictaque fecundas imbibat Iris aquas.
Nunc calamos inflat Corydon, nunc Phyllis ami- (ca eſt,
  Nunc teneras aliquis paſcit amator oves.
Nunc canitis Faunos, &, agreſtia numina, Panes,
  Semiviroſque capros, ſemicaproſque viros.
Illa ſed Andinam ſapiunt commenta Poëſin;
  Omnia ſunt Latii docta reperta ſoli.
Quare agite, & patrios tandem dediſcite cantus,
  Et numeris currat veſtra Thalia meis.
Scribite fœmineis aliquid ſublimius auſis;
  Pangite, quod virgo non queat ulla, melos.
Agnoſcat precium Romanæ Belgica linguæ,
  Quæ Romæ dominos eſt venerata ſuos.

Ad

Ad doctiſsimum Iuvenem,

D. IOAN. de IONCHERE,

De Publicis Iudiciis diſputantem.

AVrea cum primis flueret mortalibus ętas,
Lætaque Saturno ſecula rege forent:
Candida ſimplicitas teneris eluxit in annis,
Nec ſceleri Iudex aut gravis ultor erat.
Ignorare ſuas voluit facundia laudes,
Nec fuit in trepidos lingua diſerta reos.
Curia tunc ſtrepitu, tunc aures lite vacabant,
Et nondum cupidas ſenſerat aula manus.
Non Tabulæ ſcripſere minas, pœnaſve Decemvir,
Vinxerat aut ſontes ſæva numella pedes.
Mox ubi ſub duro mores riguere metallo,
Cœpit & adverſa creſcere lege nefas:
Curia, roſtra, forum, carcer, vadimonia, lictor,
Nomina temporibus nata fuere malis.
Ilicet iratæ Metium rapuere quadrigæ,
Subditaque infami colla fuere jugo.
Iura dedit populis poſito vix prætor aratro,
Et poterant lapides & placuiſſe fabæ.
Signantur preſſo miſerandæ ſtigmate frontes,
Beſtiaque in pœnas ſæpè vocata fuit.
Aut damnata truces expectant corpora Scalæ,
Clauditur aut Gyaro femina virque brevi.
Hunc celeres torſere rotæ, & crudelibus uncis
Rapta fuit medio purpura ſpreta foro.
Vibravit rigidas Manlî cenſura ſecures,
Faſciaque in jugulo ſtricta Cethege tuo eſt.
Exulat, & pœnas Naſo perſolvit Amori,
Et potuit vates verſibus eſſe miſer.
Atque alibi celebres dictant conſulta Lycurgi,
Et vitiis ſcribit verba ſevera Solon.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Improbitas irata dolet, legumque cataſtas
Horret, & ultores credit adeſſe Deos.
Hæc Batavos, *Ionchere*, doces, ſocioſq; Sicambros,
Et patriæ præſtas ſceptra tremenda tuæ.
Nec tamen aut duri laudas Buſiridis aras,
Aut ſævum Phalarim, Tantalidaſque probas.
Temperat Auſonias facilis Clementia leges,
Et tua delicto eſt credita pœna minor.
Debeat excellens aliis ſua præmia virtus:
Per te ſecuris non licet eſſe malis.

Ornatiſſimo, doctiſſimoque viro

D. IACOBO PETITIO, I.V. Doctori, SPONSO.

CVi placuit nullo violata Cupidine Pallas,
Et potior caſta Pallade diva Themis,
Cur jam virgineos, cœleſtia numina, cœtus
Deſpicis, & poſſunt diſplicuiſſe Deæ?
Cur Phœbo præfers thalamos, cur baſia chartis,
Et victrix de te præmia ſponſa capit?
Scilicet aërias nuper ſubvectus in Alpes,
In Paphio recreas corpora feſſa ſinu.
Qui calidos perfers Rhætorum in montibus æſtus,
Nunc quoque, ſed flamma fervidiore, cales.
Qui miranda ſtupes veteris veſtigia Romæ,
Sola ſtupes dominæ lumina blanda tuæ.
Non juvat ingentes ultrà ſpectare coloſſos,
Nec ſpolia inviſi temporis exul amas.
Laocoon docto torſit tibi brachia flexu:
Iam, tua quò flectas brachia, dicet Amor.
Dicet Amor, Dircen ſimul atq; Amphiona ſperne,
Et varium Rhodiæ ſordeat artis opus.

Hîc,

Hîc, tibi quam format ſolers natura figuram,
Adſpice, & Amſteliæ candida colla Deæ.
Adſpice Romanis aliquid præſtantius auſis,
Mobile quod toto corpore pondus habet.
Fortia quid ſpectas domitoris membra ferarum?
Herculeas damnant jam tua bella manus.
Perfacilis labor eſt ægram domuiſſe puellam:
Lenior hoc monſtrum ſubdere cura poteſt.
Exuvias quoq; Cypris amat, clavamq;, manumq;,
Blanda ſed obſequiis commodat arma ſuis.
Maxime luſtrator terræ, cœlique, mariſque,
Excute, quæ poſſint perplacuiſſe domi.
Iam peregre vixiſſe ſatis. ſolatia tandem
Sufficiat gremio ſponſa Batava ſuo.
Vaſta nimis mundi jam contrahe regna, tuamque
Includas circo, ſed breviore, viam.
Sic, ubi ab Heſperiis rediit Tirynthius oris,
Hæſit in amplexu Deianira tuo.

Ad

BALDVINVM HAMÆVM,

Medicum, Britanniam repetentem.

DVm procul oppoſito diviſos orbe Britannos,
Regnaque jam *Carolo* rege beata petis:
Accipe, quæ medicis ſubſcribo carmina chartis,
Carmina Barlæi ſigna futura tui.
Forſitan Oceani, forſan faſtidia terræ
Diſcutiet vatis charta notata manu.
Aut placidos inter relegens hæc diſticha fluctus,
Adſpicies famæ ſcripta trophæa tuæ.
Quin etiam, veteris ſi fas meminiſſe magiſtri,
Hos elegos mediis pignus habebis aquis.

At vos Æolii fremitus compeſcite fratres,
Ne violet charum dira procella caput.
Qua vehitur meus ille rati, ſervatur Apollo,
Depoſitumque poli nobile puppis habet.
Cui ſua Phillyrides, Amythaoniuſque Melampus,
Cui ſua Pergameus credidit auſa ſenex.
Sacraque præclarus pandit conſulta Machaon,
Et veteres Grajûm terra recluſit opes.
Parcite bellaces Morini, dum tranſeat hoſpes,
Nuncupet & patriis debita vota focis.
Innocuæ repetunt Brittonum littora Muſæ,
Nec manus Heſperii ſanguinis iſta rea eſt.
Cur noceant placido belli ſolennia Phœbo,
Martiaque imbelles exigat ira viros ?
Non onerant noſtras Eoa monilia dextras,
Fulva nec aurifero pondera rapta Tago.
Doctorum fatale malum ſat parvula dos eſt,
Pauperieſque bonæ mentis iniqua ſoror.
Audiat Auſtriacus; debentur libera nobis
Æquora, nec Pallas partibus æqua ſtudet:
Audiat Auriacus: ſcelus eſt vincire Camœnas;
Hic ſpeciem Mavors impietatis habet.
At tu læta tuum generoſa Britannia civem
Excipe, Battavicæ nomina prima ſcholæ.
Quales Cecropiis redeuntes Roma ſalutat
Sedibus, & plauſus commodat ipſa ſuos.
Si caruiſſe dolor fuerit, matura rependet
Conſilia, & celeres protrahet arte colos.
Opprobrium fatis faciet, nec vindice tanto
Negliget in leges Atropos ire novas.
Morborum genus omne potens Medicina fugabit,
Quos Tameſis refluis in mare mittet aquis.
Sic ubi Tarpeias ſerpens Epidaurius arces
Appulit, afflictâ ceſſit ab urbe lues.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

In obitum
THOMÆ ERPENII,
Linguarum Orientalium in Academia Lugdunenſi Profeſſoris eximii.

QVi medicos nuper ploravi carmine manes,
Et magno ſolvi debita juſta ſeni;
Nunc iterum in lachrymas, iterum in ſuſpiria cogor;
Nec potuit ſimplex, qui nocet, eſſe dolor.
Nulla caret mors morte, nec eſt ſine funere funus,
Plorantesque trahunt ſpiſſa feretra viros.
Quo ſuperis jam thure miſer placabitur orbis?
Quæ pia difficilem leniet ara Deum?
Gens vitæ ſecura ſumus, mactamur iniqui,
Nec rea quod juſtè terra queratur habet.
Lurida terribili latè graſſata flagello,
Peſtiferas quaſſat trux Libitina faces,
Quà Latiis quondam ſteterat gens Martia caſtris,
Æquoreaſque bibit Rhenus anhelus aquas.
Nunc ubi Thymbræo fumant altaria vati,
Et veneranda ſibi limina Pallas habet.
Non flectunt rigidas doctorum nomina Parcas,
Nec juvat in tantis plus ſapuiſſe malis.
Lugent Pierides, & magnis orba magiſtris
Iam tacitos mœrent pulpita muta ſonos.
Occidit Eoi interpres facundia mundi,
Notaque Barbarico lingua ſub axe ſilet.
Quæ Batavûm populis Arabas confudit, & Indos,
Atque uno patriam noluit ore loqui,
Illa Caledonios ſuper exaudita receſſus,
Neſcivit ſpatiis Belgica ſtare tuis.
Illa per Heſperias fundens ſua commoda terras,
Clarius inviſo nomen ab hoſte tulit.

Tota

Tota renaſcentes ſtupuit Germania voces,
Et decus hoc doluit non peperiſſe ſibi.
Adſpice, quà geminas jaculatur Cynthius umbras,
Cunctaque quà ſurgunt ſidera, cuncta cadunt.
Adſpice, quà Cancri chelis ſuppoſta Syene
Siſtit Apollineas, ultima meta, rotas.
Aut ubi Feſſanos Numidaſque amplectitur Atlas,
Crebraque Erythræis puppis inerrat aquis.
Hic potuit vox illa loqui, neglectaque primum
Scripſit in Occiduo Turcica verba ſolo.
Iamq; procul poſitum Rhenus compellat Orontē,
Et nova miratur nomina factus Arabs.
Iam ſua Sultano tranſmittit federa Belga,
Et ſocias jungunt Punica regna manus.
Iam Mahumetanæ proſtant deliria ſectæ,
Et malè conſutæ relligionis opus.
Quaſque vafer fuerat commentus Sergius artes,
Mixtaque Idumæis dogmata noſtra ſacris.
Quæ ſapimus reliqui, ſapimus vulgaria multi:
Quæ ſapuit mens hæc, rarior illa fuit.
Illa Palæſtinis accendit lampada chartis,
Et docuit punctis verba notata ſuis.
Edidit Hollandis recutitum pervigil orbem,
Atque Syros alio fecit in orbe legi.
Cur moreris vir magne, tuoſque incidis honores?
Cur leve nos Battavos deſeruiſſe putas?
An ferus & jaculis fatalibus acer Apollo
Hac etiam nobis parte nocere cupit?
Quod potuit mea Leida nefas? quo numine læſo
Tam grandis culpæ credimur eſſe rei?
An meliora rapit rigidi inclementia fati?
Seraque quos optent ſecula, prima necat?
Non trahit in levibus pelagi ſuſpiria damnis
Navita, ſed magnas naufragus optat opes.
Memnona Dardanidum pubes dum plorat adem-
Incolumi perſtans Hectore bella gerit. (ptum,
Tu

Tu moreris, pariterque tuo cum funere condis,
    Proh dolor, ingenii pignora rara tui.
Sed qui tanta novis jam libret pondera curis,
    Vix aliquem mœſtæ das ſupereſſe ſcholæ.
Abſtulit Occaſus, quas linguas protulit Ortus,
    Et tumulus laudes nunc Orientis habet.
Scilicet unus Arabs potuit te ſtante renaſci,
    Vnus Arabs voluit te moriente mori.

IN OBITVM

PETRI PAVWII, Anatomici.

Proſopopœia Mortis.

ILla ego, quam fari mirabile, vivere falſum,
    Non tamen è tumulo Mors rediviva loquor.
Credite mortales, fingunt contraria vates,
    Inque caput noſtrum jus quoq; Phœbus habet.
Mutarunt en fata vices. loquor ipſa; ſiletque,
    Cui precium laudis non leve lingua dedit.
Ille triumphatâ toties de morte diſertus,
    Cum ſpolium pelles, oſſa, cadaver erant,
Hac dextrâ cadit, & fatalibus occubat umbris,
    Nec potuit noſtræ fallere tela manus.
Sævus in imbelles toties qui ſæviit artus,
    Et ſpectacla meas publica fecit opes,
Exuvias miſerorum, & ſiccâ morte cadentum,
    Iamque ſemel pœnam corpora paſſa ſuam.
Vidi ego, cum plenis portaret cruda caniſtris
    Fercula, crudeli dilacerata manu.
Vidi ego liventes extracto viſcere dextras,
    Vtque jacens ſtanti fabula factus homo eſt.

Parcite

Parcite, Dî, dixi, defunctis parcite membris,
Et pereat ſolers in mea fruſta caput.
Terra tegat totum; poſt vitæ damna, cadaver,
Supplicia à miſeris poſthuma nulla peto.
At quoties vivos, licet arte, reſolveret artus,
Raptaque de calidâ matre catella foret,
Non ſecus ac placidam tigris Gangetica cervam
Diripit, aut proprium perfida mater Ityn:
Indolui tam dura ſcholis documenta parari,
Et tam barbaricâ commoda cæde peti.
Ipſa ego, quæ toti ſum terror maximus orbi,
Facta viro riſus publica cauſa fui,
Dum me ridiculi moderantem frena caballi,
Aut bovis in pigro tergore ſtare facit.
Vera loquor, quæ viſa ſibi teſtabitur hoſpes,
Oſſea ubi circis clauditur aula ſuis.
Deſine mirari. ridet, quæ ſeria, mundus,
Ludicraque attonita cum gravitate ſtupet.
O utinam tantum neſciret fama magiſtrum,
Quæque tenet cineres, clauderet urna virum!
Nunc ſuper Auſonios, ſuper exauditus Iberos
Nominis auguſta nobilitate viget.
Effugit fecunda meum Mens ſola furorem,
Et poſt exequias clara ſuperſtes agit.
Stat decus ingeniis. fateor, cogorque fateri;
Non habet in tantum jus Libitina caput.
Morborum vel mille vices, tot dædala terræ
Gramina, naturæ luxuriantis opes,
Quæ Coi docet arcta ſenis, quæ fuſa Galeni
Pagina, quæ medicus pharmaca ſcripſit Arabs,
Quicquid fatales potuit tardare ſorores,
Lentiùs & noſtrum juſſit adeſſe diem,
Et quid quæque ferat regio, quid ferre recuſet,
Norat, in exitium cuncta reperta meum.
Sed quoniam invidia major poſt fata perennat,
Vindictæ in ſolo corpore ſigna dabo.

Quique

Quique meos toties doctè excoriavit alumnos,
Deque cadaveribus rapta trophæa tulit,
Hac pœnam mihi parte luat. quæ dextera cædes
Fecit in exuvias ingenioſa meas,
Rurſus Anaxagoras atomos diſſolvat in omnes,
Et ſecet in ſimiles ſingula particulas:
In cauſas facunda meas quæ lingua locuta eſt,
Democritus Plenum findat & in Vacuum.
At caput, inviſas nuribus quod prodidit artes,
Pythagoras denos diſſecet in numeros.
Voſque animæ, quarum luxavit corpora Doctor,
Infeſti vobis cor reſecate viri.
Rarũ aliquid, ni fallor, erit. quæ membra ſuperſunt,
Terrigenûm ſectrix excoriabit humus.
Sorte pari pereat. Nemeſis juſtiſſima vox eſt:
Æqua refert, quiſquis, quod facit ipſe, refert.

In
Anum nubere parantem.

Ecquid adhuc tenero petulans illudis amori,
Et Paphio tentas bella movere Deo?
Oſcula poſcis anus, legeſque invertis amantum,
Et cupis exemplo nubere monſtra tuo.
Duceris in mœſtum, greſſu titubante, cubile,
Sponſaque ſis, nunquam quæ potes eſſe parens.
Non præeunt tibi lætus Hymen, lætæque puellæ,
Deſerit accenſas arida flamma faces;
Non Lucina tuis aderit placidiſſima votis,
Nec gemitus, quales parturientis, erunt.
Et cur hoc nequeas, poſſum tibi dicere cauſam,
Delaſſare virum, non redamare potes.
Te Paris adſpiciens laqueo ſe ſtringat amator,
Leander mediis mergier optet aquis.

Ipſe

Ipſe tuis furias flammis præponat Oreſtes,
Te niſi ſpe mortis Proteſilaus amet.
Eligat in rabidum Theſeus deſcendere taurum,
Quam gremii indignâ parte jacere tui.
Amphitryoniades Neſſi ſibi toxica poſcat,
Quam te victori ſuccubuiſſe ſibi.
Quin ruere Æneas malit per ſaxa, per ignes,
Saucia quam telis pectora ferre tuis.
Si tales fuerint, Briseïda ſpernat Achilles,
Hippolytus Phædram, Phyllida Demophoon.
Te Linus adſpiciat, mox deteſtetur amorem,
Nec ſua baſiolis polluat ora tuis.
Ridet Amor, ridet ſtolidos Cytherea labores,
Et ſua proſtitui ſacra Cupido dolet.
Miratur calidâ Veneris flagrare favillâ
Pectora Sithoniâ frigidiora nive.
Et ſtupet obtuſas tantum valuiſſe ſagittas,
Et vulnus nulla cuſpide poſſe dari.
Nunc arcus periere mei, nunc teda laborat,
Nunc precium noſtri ſordet honoris, ait.
Oſcula libantur fœdis graveolentia labris,
Aptaque candidulis baſia virginibus.
Brachia laſcivæ circumjicienda puellæ,
Proh dolor, extinctum penè cadaver habent.
Prenſantur putres, exanguia pondera, mammæ,
Collaque mendaci vix ſpecioſa luto.
Vivere vult alios de ſe, quæ proxima morti eſt,
Et thalamos optat, debita quæ tumulo eſt.
Quam plorare gravi debebat præfica leſſu,
Nunc mea ſed moriens carmina cantat anus.
Non hanc aurifero redimat ſibi Iuppiter imbre,
Heu, nimis ignavos ſperneret ille ſinus.
Non illam viridi Daphne commutet Apollo,
Si fugiat; jam mox arida quercus erit.
Non foliis illam cingit viridantibus ætas,
Aut tenerum facies ornat honora caput.

Omnia

Omnia marceſcunt, oculi, frons, colla, lacerti,
Tempora, pes, gremium, pectora, lingua, genæ.
Exequias hæc feſta puta, Sponſamque cadaver,
Quoque thoro flammas expetit, eſſe rogum.

Ad

CONSTANTINVM HVGENIVM EQVITEM,

Cum è caſtris reduci Epithalamium Blyenburgianum ipſi offerret.

IAm dudum lituis, bellique immixte periclis,
Spectaſti patriæ caſtra Duceſq; tuæ:
Et circum horriſono ſtrepuerunt claſſica cantu,
Præliaque imbellem detinuere virum.
Sit ſatis Auriacis oculos donaſſe triumphis,
Exigit ad curas te tua nupta novas.
Quoſque legas blandos offert Barlæus amores,
Carminaque in molles officioſa thoros.
Bella gerant alii, Veneris nos ſcribimus ignes,
Quoſque velim ludos dedidiciſſe, cano.
Ne tamen hæc facili noceat facundia vati,
Aut toties dictos credar amare jocos:
Scribimus inviti Paphiæ popyſmata matris,
Et canit in thalamis non niſi juſſa chelys.
Cogimur & blandè cupidis parere maritis,
Iamque petit verſus iſte vel iſta meos.
Sic oneri mea Muſa mihi eſt. ſum verna Diones,
Et totum imperio mancipat illa ſuo.
Adſpicit emeritus, quæ quondam exercuit, arma
Miles, & inſolitum narrat & odit opus.
Sæpè ſenex cunas puerique crepundia verſat,
Et Veneris tremulà prælia voce canit.

Nos quoque languentes in noſtro pectore tedas
Tollimus, & dudum gaudia ſpreta damus.
Stat chartis concluſus amor. non urimur ultrà.
Crede, procax non eſt, garrula Muſa mihi eſt.
At tu, ſanguineo Martis ſubducte theatro,
Maſcula Barlææ baſia fige tuæ.
Qualia in Andromaches defixit baſia labris
Hector, in Æmonio Laodameia viro.
Forſan & hoc reduci carmen conducet amanti,
Et ſtimulos addet pagina noſtra tibi.
Dumque legis rigidi teneros Prætoris amores,
Officii poteris mox meminiſſe tui.

Ad Doctiſſimum Iuvenem,

HVGONEM BOXELIVM,

Artium magiſtrum.

DVm patrios circum frendet Bellona penates,
Iamque minax etiam Breda nocere poteſt;
Dum reſonant mediis Mavortia claſſica portis,
Et rediens belli præmia jactat eques:
Otia, *Boxeli*, & Batavi ſecreta Lycæi,
Et ſtudium placidæ nobile pacis amas.
Phœbus amor tuus eſt, faciles ſolatia Muſæ,
Ipſaque dum damnas prælia, docta paras.
Succubat exutus titulis fallacibus error,
Et verum ſpecie jam meliore nitet.
Ingreditur priſco Grajûm ſapientia faſtu,
Et ſua purgari dogmata Stoa ſtupet.
Docta Cleantheam laſſat ſolertia turbam,
Socraticaſque vigil cura reformat opes.
Sic patriæ vixiſſe cupis, ſic aſpera bellis
Ingenio fiet mitior Heuſda tuo.

Audiet

Audiet Odryſius teneræ præcepta Minervæ,
Nec rigidâ ſolùm caſſide tutus erit.
Audiet indomitus tanti documenta magiſtri,
Atque tuâ mores leniet arte ſuos.
Illic innocuo ſi pinges pulvere vallos,
Fictaque dimenſis caſtra locabis agris:
Ipſe ſuum perdiſcet opus. ſi mœnia ſcribas,
Exſtruet auſpiciis mœnia ſcripta tuis.
Prælia ſi timidi fugiant, hortabere dictis;
Fervida ſi tentent prælia, juſſa dabis.
Iam patris Æneæ laudes, nunc Hectoris arma,
Æmathioque canes bella peracta ſolo:
Vel quibus Auſonios Cattus ſpoliaverit auſis,
Spreverit & Latios Belgica terra Deos.
Omnia doctrinæ flectes ſub legibus. ipſos
Bellorum fas eſt ſubdere colla duces.
Formant arma Scholæ: nec Martia Palladis haſta
Negligit officii diſcere jura ſui.
Creſcite Battavicæ tantis virtutibus urbes,
Et galeas Clario condecorate Deo.
Si neget æternos belli fortuna triumphos,
Continuant veſtrum pulpita noſtra decus.

ELEGIA
Ad ampliſsimum virum,
MATTHIAM OVERBEQVIVM,
ruri, ad caſtra Albiniana, viventem, qua vitæ urbanæ & ruſticæ diſcrimina deſcribuntur.

ACcipe, quæ doctâ tibi littera mittitur urbe,
Rhenus ubi feſſas ſiſtit anhelus aquas.
Accipe, nec noſtræ precium averſare Camœnæ,
Et mea ſint ſtudiis otia grata tuis.

Vrbis

Vrbis ego, tu ruris amans, jam diſpare vita
  Vivimus, atque alium ventilat aura Iovem.
Illic celſa novo ſurgunt tibi culmina ſaxo:
  Et propius Superûm limina lambit apex.
Hîc mihi vicino domus eſt non æmula tecto,
  Nec meus excelſo vertice fumus abit.
Illîc cœlicolum ſpacioſo fornice templa,
  Hîc eadem nobis, ſed magis arcta, patent.
Illic demiſſam radunt tibi ſidera terram,
  Hîc oriens nunquam ſtella, ſed orta micat.
Illic æquoreis citius Sol ſurgit ab undis,
  Atque Aurora ſuum deſerit alma ſenem.
Tardius hic vehit illa diem, lucemque moratur,
  Et tenebras citius veſpera mœſta refert.
Non illic querulas tollit vicinia voces,
  Aut hærent lateri garrula tecta tuo.
Hic anus, invalidis licet enervata lacertis,
  Improba clamoſa jurgia voce ſerit.
Illic innocuâ figis veſtigia plantâ,
  Hic Niobe teneros lædit iniqua pedes.
Illic molle ſuos tibi ver oſtentat honores,
  Hic nova purpurei gloria veris abeſt.
Illic flaventes æſtas protrudit ariſtas,
  Hic eadem ſterilis munera neſcit humus.
Illic fecundos Autumnus parturit hortos,
  Hic Pomona ſuas rara miniſtrat opes.
Illic bruma nives terris aſpergit, & agris,
  Hic eadem vultu ſordidiore riget.
Illic tardigradis incedit greſſibus Io,
  Flexipedi calcans paſcua læta pede.
Illic lanigeris Corydon iraſcitur agnis,
  Atque aries tanti dux gregis agmen agit.
Illic quadrupedum latos ferit ungula campos,
  Et patiens duri vomeris hinnit equus.
Illic mane diem, & fugientis lumina Phœbi
  Nunciat in medio garrula rana lacu.

Hic

Hic neque balat ovis, nec triſti vacca boatu
  Ingemit, aut placidis rana coaxat aquis.
Non hic Neptuni tellus percuſſa tridenti,
  Horrida qui ſpirent prælia, fundit equos.
Illic aërii mellis cœleſtia dona
  Ingenioſa ſuis ſedibus abdit apis.
Illic candidulum plenâ lac verberat urnâ
  Theſtylis, & mixtas ſeligit arte dapes.
Illic grata vocant feſſum mulctralia Mopſum,
  Gramineoque jacet Nyſa petulca thoro.
Hæc loca damnat apis, faſtidit Theſtylis urbem;
  Et quærenda foris fabrica lactis erit.
Illic ſublimi volitans ſtrepit ardea quercu:
  Hic petulans celſa paſſer in æde ſalit.
Illic prata virent, Zephyruſque tepentibus auris
  Florigeros pulchrâ veſte coronat agros.
Hic aliquis Tyrio maculavit murice veſtes,
  Quodque alibi felis rara cacavit, olet.
Ruri garrit anas, limoſaque trinſat hirundo,
  Mæſtaque jam moriens carmina cantat olor.
Vndique dulciſonis reſonat concentibus æther,
  Et modulos docili gutture reddit avis.
Hic ſua vocalis vendit jentacula piſtor,
  Aut merces diro carmine laudat anus.
Tiſiphonem ſimili credam mugire boatu,
  Et Stygius latret talia verba canis.
Aut qui Caucaſea damnatus rupe Prometheus
  Supplicii queritur triſtia fata ſui.
Illic grata quies, tacitique ſilentia ruris
  Ocia dant Muſis inviolata tuis.
Illic cornipedes, agreſtia numina, Faunos,
  Et timidas juxtà cernis Hamadryadas.
Hic neque Pan calamos inflat, nec gramine fuſi
  Virginei fugiunt, Pane ſequente, chori.
Illic empta tuas fugiunt opſonia menſas,
  Hic varias præbent cara macella dapes.

Illic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Illic peſtiferam difflat locus amplior auram,
  Hic eadem, ſpatio ſed breviore, furit.
Cum tot ruricolis, cum ſint tot gaudia vobis,
  Cur mea ſors diſpar cogitur eſſe tuæ.
Scilicet Attalico turgent tibi ſcrinia cenſu,
  Attalicæ nobis non numerantur opes.
Nulla gravant inopes vatum ſeſtertia ciſtas,
  Quæque natat medio dives arena Tago.
Tu tibi rus geniale facis. ſi tinniat aurum,
  Ipſe tibi poterit Caucaſus eſſe domus.

ELEGIA

In nomen uxoris BARBARÆ.

BArbara nunc mihi tu, nunc ſunt tua nomina luſus;
  Hic mihi, ſed forſan gratior ille tibi.
Barbara Pyramidum ſileat miracula Memphis.
  Sic tua Bilbilicus verba poëta canit.
Barbara dicta fuit Latiæ gens neſcia linguæ,
  Barbara gens, quæ non Græca, vocata fuit.
Barbara forma poteſt vero diſtinguere falſum:
  Barbara perfectæ fit rationis opus.
Barbara virgineos inter celeberrima cœtus,
  Romana meruit relligione coli.
Sub juga jam Seres, jam barbarus iſſet Orontes,
  Æmathii doctus carminis auctor ait.
Nec moritura canit divini Muſa Tibulli
  Barbara gypſatos ſtringere vincla pedes.
Barbara narratur veniſſe venefica tecum:
  Hypſipyle charum ſcripſit ad Æſonidem.
Barbara reſperſa eſt puerorum ſanguine Colchis,
  Inſontem jugulat barbara mater Ityn.

Bar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Barbarus eſt Phaſis: ſtudiis quoq; barbara Thrace eſt.
Barbaráque Eoas vectat Erythra rates.
Barbarus eſt Atlas: ſunt barbara mœnia Byrſæ,
Barbarus eſt Phalaris, barbaricuſque Scinis.
Barbara Barbariæ loca ſunt, vociſque ferinæ,
Totáque barbarie barbara terra riget.
Barbarico viguit Latii facundia bello,
Barbarus attonita ſævit in urbe furor.
Auſonias audax cum frangeret Hannibal arces,
Moribus & victu barbarus ille fuit.
Barbara ſe peltis pugnans defendit Amazon,
Barbara Bellona eſt, Barbarus Antiphates.
Sunt & barbaricæ chlamydes, enſeſque togæquè,
Barbaraque in Phrygio crine tiara nitet.
Barbara Romulidûm recreant ſpectacula menſas,
Barbaráque in Caveis beſtia bella parat.
Barbara magnanimum timuit Germania Druſum,
Senſit barbaricos Martia Roma Getas.
Dardanidæ vincunt, dum reſtat barbarus Hector.
Sternitur aſtrictis barbarus Iſter aquis.
Eſt ubi barbaries, & barbarus infremit horror.
Luxuriat lætis barbara Perſis agris.
O quoties doluit Rhenus, qua barbarus ibat!
Ponitur ad patrios barbara præda Deos.
Eſt quos ſævities accuſat barbara; ſunt quos
Naufragii damnis barbara Syrtis alit.
arbara Romanæ diſcuſſit verba loquelæ,
Reddidit & priſcas Valla latinus opes.
urba, Camœnarum Phœbique peroſa lepores,
Nec quibus ingenium mite Minerva dedit,
rudelis, nullaque ferox placabilis arte,
Barbara Palladiis creditur eſſe viris.
nnonios crebrò populantur barbara fines
Agmina, Cæſareo gens inimica ſolo.
ttera frendentis rabiem teſtata moloſſi,
Bis manſueta tuum Barbara nomen habet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Littera quam patulo gens Dorica clamitat ore,
Pandit vocali ter tua verba ſono.
Barbara regali celebrat convivia luxu
Magnificas jactans Perſa ſuperbus opes.
Barbara Idumæas jugularunt agmina cunas,
Barbara dum juſſus miles in arma ruit.
Barbarus has ſegetes & culta novalia miles,
Et Melibœe tuos depopulatur agros.
Barbara crudeli ſatiantur viſcera paſtu,
Barbaraque Indorum funera ventre latent.
Quas ſacer ille feras modulando leniit Orpheus,
Cædibus & victu barbara turba fuit.
Barbara Barbariam, & diffuſos terminat Afros
Gadibus, & calidâ terra peruſta Pharo.
Barbara ſic Grajis, ſic Barbara nota Latinis.
Barbara, te vates ſcribit, & hiſtoricus.
Barbara, per cunctas reſonant tua nomina terra[s]
Barbara, quàm ſævæ crederis apta rei!
Barbara ſed toto quamvis ſis nomine, ſolum
Oſcula cum non ſint barbara, mitis eris.
Barbaries nihil iſta nocet. ſi blandula frons eſt,
Blandula ſi vox eſt, Barbara nulla mihi eſt.

EPITHALAMIVM
In nuptias
IOHANNIS BOR,
Medici.

QVem Batavis nuper medicum formav[it]
Athenis
Phœbus, & Aonides excoluere
(n[ovem])
Deæ,
Iam proprium ſibi Cypris habet. procul ite Camo[enæ]
Alter in Idalia poſcitur arte labor.

Borria

Borriades dominæ ſubdit ſua colla Dionæ,
Atque aliâ Muſas virgine damnat amans.
Reddita pro Cirrhâ Paphos eſt, Heliſone Cithęron,
Quemque Claros tenuit, mollior Ida fovet.
Omnia ſordeſcunt, herbæ, medicamina, morbi;
Iamque aliquis Veneris præmia morbus habet.
Vna fugat veteres conjunx lepidiſſima curas,
Et facit egregias victa puella vices.
Gallia Daphneum capiti circumdedit orbem,
Nunc decorant pexas myrtea ſerta comas.
Scilicet iſta manent doctas redimicula frontes;
His Paris, his petulans cinctus Adonis erat.
Horrida Pergamei calcantur ſcripta magiſtri,
Et nova, quæ doceat, dogmata dictat Amor.
Qualia inexpertam docuit Leander amicam,
Cum tumidis primùm ſoſpes abiſſet aquis.
Qualia in Hypſipyles thalamis recitavit Iaſon,
Aut Paris Oenonæ dixit amica ſuæ.
Blanda placent, riſus, oculi, thorus, oſcula, tedæ,
Et ſi quid charum tectius eſſe ſolet,
Expetiturque Deûm toties dignata cubili
Fabrica, & in vultu diſpare ludit Hymen.
Illa, graves quamvis, expugnat forma Catones,
Illa vel armatos cogit amare deos.
Illa Panomphæum celſo pellexit Olympo,
Et ſummum aurifero miſcuit imbre Iovem.
Illa ſuum tacitos virus diffundit in artus,
Et placido tetricos faſcinat ore viros.
Pelias Argolicis cantata eſt vatibus haſta,
Fabula mendacis ſed fuit iſta ſoli.
Quæ ferit, & læſos eadem perſanat amantes,
Forma puellarum Pelias haſta fuit.
Hanc petit, hanc circum ſpacioſus volvitur orbis,
Non hærent alio pondera noſtra loco.
Hæc quoque, Sponſe, tuis defixit ſpicula venis,
Eque tuo certam vulnere ſperat opem.

Nec tibi jam prodeſt veteris ſapientia Coi,
Coctaque millenis pharmaca ſimplicibus.
Quid centum miſces uno cratere maniplos?
Imbibet hæc medicum læſa puella ſuum.
Quid lenire paras totidem, mala nomina, febres?
Te quoque jam febris, ſed reditura, tenet.
Cur modò derivas, modo fluxus arte revellis?
Crede mihi, hac ipſa ſanior arte fores.
Nunc ægrum fodis enſe latus, nunc lumina tractas,
Nunc illi tremulo corde mamilla ſalit.
Nunc aliis lento pectus torretur ab igne;
Et tamen his etiam partibus ipſe doles.
Plurima dum ſanas, dum totos porrigis hortos,
Dic mihi, cur dominum negligit herba ſuum?
An quia mollis amor ſolis ſua gaudia ſaxis
Invidet, atque hominem vult ſupereſſe ſibi?
An quia majorum ſequimur veſtigia nati,
Et patrias artes nos quoque ſcire juvat?
An quia cum toto delirent numina cœlo,
Dedecus eſt puerum plus ſapuiſſe deum?
An quia Acidaliâ volupe eſt caluiſſe favilla,
Et tibi plus flamma hæc, quam medicina, placet?
An quia cum ſerus tibi deſeret Heſperus Oetam,
Pharmaca Machtildis non violenta dabit?
Sic tua non doctæ tranſcribis jura maritæ,
Hippocratiſque tui neſcia ſanat amans.
Nec peccare puta; magni ſecura Galeni
Nupta Machaonium ſi tua tractet opus.
Tu titulos, tu jura dabis, tu pilea confer.
Hoc quoque Doctorum nomina juris habent.
Interea medius dum turbat fercula vates,
Et mea feſtivus carmina ridet amor,
Spumantem puerorum aliquis prælibet Iacchum;
Nam poſuit ſiccis omnia dura Deus.
Tuque animæ pars magna meæ, dulciſſime Borri,
Excute Machtildi vela recincta tuæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Scande thorum, at qualé poſita gravitate Catonem
Conjugis in gremium credimus iſte ſuæ.
Ipſa favens primas nox longius explicet umbras,
Et veniat rutilo lentus ab axe dies.
Surgat progenies non inficianda parenti,
Patricias cingat crebra corona fores.
Sic quoque languentis reparas diſpendia mundi;
Incola nec noſtri degener orbis eris.
Forte aliquem, ſævum Belgis qui avertat Iberum,
Deque tua Martis fulmina ſtirpe dabis.
Adſpicis, ut cunctis annixus viribus hoſtis,
Iam patriam ſummo margine radat humum?
Obiice, quæ pugnent, animas, nova robora cre-
Ne pereat belli gloria, Cypris amet. (ſcant;
Pergama quod ſteterint, armis debetur, & ulnis;
Hectoris hîc, Hecubæ laus quoque magna fuit.
Ni toties viduos auxiſſet Roma penates,
Victor in hos colles Hannibal iſſet ovans.
Baſia ſi ceſſent, fecundaque prælia vitæ,
Auriacus nullo milite tutus erit.
Solve fidem, tantus nec ſubtrahe pignora civis.
Cum pater es, magni nominis orſa tenes.
Tolle moras, ſpondet faciles Machtildis amores,
Et ſua non ultrà vota timere cupit.
Ne tamen ex illa redeas malè notus arena,
Nec nimium timidus, nec nimis acer ama.

EPIGRAMMA
in eoſdem Sponſos.

SI Probitas unquam caſto ſociata Pudori,
Iunctaque ſi Pietas cum Pietate fuit:
Si Gravitas potuit blandos non ſpernere vultus,
Formaque præclaræ præmia mentis amat:

Si Venus & parili nectuntur fœdere Pallas,
Et recubant uno Phœbus Amorque thoro:
Adſpice, quos geminos ſociarunt Numina Sponſos,
Exemplum dictæ nobile pacis habes.

Ad Ampliſs. Doctiſſimumque virum,

D. IACOBVM PETITIVM, I. V. D.

vitreorum munerum datorem.

QVas mittis Venetûm, gratiſſima munera, merces,
Accepit facili Barbara noſtra manu.
Nunc erecta nitent mediis anathemata tectis,
Et ſibi bis genitus ſacra Lyæus habet.
Tu fragiles tranſmittis opes, & dædala quantum
Artifici poſſit pollice dextra doces.
Cernimus inflexum ſinuoſis orbibus anguem,
Qui totum diro vertice fulcit opus.
Scilicet hic nimii damnat carcheſia Bacchi,
Vinaque vipereum virus habere monet.
Ne ſapiens mediis cedat prudentia menſis,
Inſanum prudens bajulat hydra Deum.
Et velut implicitus ſua miſcet corpora ſerpens,
Sic mixto ſocios agmine Liber amat.
Lucida diſperſi depingunt membra colores,
Vinaque diſſimili ſæpè colore placent.
Sunt hæc mundanæ fallacia gaudia vitæ,
Nec, niſi quæ frangant numina, vitra ſumus.
Hæc mecum quoties cernis, dilecte Petiti,
Natales fragili è pulvere diſce tuos.
Flamma levis, levior genuit tua munera fumus,
Et levis has Itali dextra rotavit opes.

Flam-

Flamma eadem, cautuſq; minus tua disjicit hoſpes
 Munera, nec magno nata labore cadunt.
Sic vitreâ natus pariter de ſtirpe miſellus
 Occidit, & morti ſe quoque debet homo.
Altius ad dignas animo conſurgere curas
 Nos decet, & ſuperis figere corda locis.
Te neglecta Themis, ſpretus te poſcit Apollo,
 Et quondam ſtudiis Pallas amica tuis.
Sat Venetis Galliſque datum, jam Curia ſupplex
 Atque tuam meritò Patria ſperat opem.
Hoc age, & iratis tandem placare Camœnis,
 Et vitæ ſtudeas præmia ferre tuæ.
Sic tibi perpetuos virtus decernet honores,
 Quoſque negat cœcus jam favor, illa dabit.
Sic quæ miſiſti, ſed inania, pocula Bacchi,
 Huc veniens iſto numine plena bibes.

Eximiæ eruditionis viro,

QVIRINO à CANKEBEER,

Iuris utriuſque Doctori.

DVm natura ſuos effœta recolligit auſus,
 Feſſaq; naſcendo tẽpora trudit Hyems,
Iamque ſuos abiens Autumnus damnat honores,
 Et pudor eſt nudum veſte videre latus,
Frigora dum gelidâ Boreas invitat ab Arcto,
 Et laxat famulas languida bruma manus;
Ecce triumphales agitat Sapientia currus,
 Egregiaſque vices cum Iove diva facit.
Ipſa novos animos Pallas capit, ipſa labores
 Explicat, & laudes virgo patrima ſuas.
Panduntur curarum ædes, panduntur honorum,
 Vtraque, ſed ſocio limine, templa patent.

Abditus ingeniis gliſcit calor, ardor honeſti
Inclyta magnanimæ pectora pubis agit.
Vix tranſit ſine vate dies. lux altera, rurſum
Altera Pegaſeas laſſat honora Deas.
Æmula Battavicas virtus exercet Athenas.
Invidiam credo nomina magna pati.
Qualis Olympiacæ miratus præmia palmæ,
Inſtat equus, ſi, quos occupet, ante videt:
Hunc alius ſuper, atque alius ſequiturq́ue premitq́;,
Et rapidis fervent concita plauſtra rotis.
Viderat hæc dudum plaudentis ſigna Lycei;
Meque trophæa manent illa, Quirinus ait.
Ibimus, & ſi quis meritis locus, ibimus, inquit;
Materies laudis ſit Themis una meæ.
Hac Minos, juſtusq́ue Solon, hac arte Lycurgus,
Nec moritura meus nomina Cæſar habet.
Hac Decius Paulusque vigent, & maximus Azon
A ſerâ titulos poſteritate refert.
Invenit mens docta viam. patet omnis eunti
Iuſtitia, & vaſtos explicat illa ſinus:
Innumeras legum facies, & flexile verum,
Iuraque clamoſi litigioſa fori:
Quid juvet hæredem, quid ſpes eludat habendi,
Vt trepidi poſſit cauſa placere rei:
Quanta fides tabulis, & quali teſte probentur,
Quidq́ue queat ſocios diſſòlüiſſe thoros:
Temperet ut juris ratio decreta ſeveri,
Quæ maneat ſceleri debita pœna ſuo:
Cunctaq́ue Cæſareis veneranda volumina ſceptris,
Aptaq́ue bellantum litibus, apta togæ.
Suſpice Leida virum, & tantæ da debita fronti
Præmia, ne proprium ſit ſine teſte decus.
Ad te tota redit plenis ſpectata theatris
Gloria; communi ſemper honore meres.
Sunt tua, quæ defert inſignia; quæque coronant
Tempora, ſunt curæ Pilea ſigna tuæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

In Mauſoleum

GVLIELMI AVRANSIORVM

Principis, quod Delphis viſitur.

ADſpice Naſſovii ſaxum regale ſepulchri,
Quiſquis ad Auriaci nomen & arma ſtupes. (Philippum,
Hæc memor Auſtriacum patria indignata
Erigit Auriaco poſthuma buſta ſuo.
Surgit in invidiam pulſis hoc marmor Iberis,
Seraque virtutum præmia Belga parat.
Luſtra oculis ſpectator opus, vultuſque pererra,
Quos labor & ſolers ſculpſit in ære manus.
Incubat Auriaco Auriacus, ſed eburneus illi,
Qui priùs Albanum terruit enſe Ducem.
Sic jacuit dira ſtratum mercede cadaver,
Cum manus innocuum ſterneret emta caput.
Cernis, ut inſideat lapidi fortiſſimus heros?
Illa Patris patriæ priſca figura fuit.
Talis erat, cum jura daret, cum vindice ferro
Solveret Heſperio Belgica colla jugo.
Suſpice Pyramidum ſurgentes more coloſſos
Hoc æterna Ducum gloria culmen habet.
Vndique funeſtæ fera Mortis oberrat imago,
Exuviiſque ſuis imperioſa riget.
Diſce triumphantes Parcis ſuccumbere dextras,
Armaque, ſed fatis præripienda, geri.
Stat Pietas, ſacrumque manu veneranda volumen
Geſtat, & æthereas diva recludit opes.
Hoc Pietas Duce tuta fuit, potuitque ſub illo
Non timidâ cœlum relligione coli.
Stat juxtà Herculeo circumdata tergore virgo,
Fortiaque invicto pectora Marte gerit.
Heſperios ſic ille Deos & caſtra fugavit,
Et valida fregit Bætica ſceptra manu.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Tuque ſerenato Libertas aurea vultu,
  Hoc libertatis vindice, pulchra nites.
Parte alia adverſum ſceleratis exerit enſem
  Iuſtitia, & læva ponderat æra manu.
Talis Arauſiades media inter prælia ductor
  Aſſeruit Batavi jura verenda fori.
Vnaque dum Marti, Themidi manus altera ſervit;
  Et geminos ſtricto vindicat enſe deos.
At quæ per cunctas fundat præconia terras,
  Belligeras inflat Martia Fama tubas.
Hinc puer atque illinc lachrymis indulget acerbis,
  Et dolet extinctas, quas gerit ipſe, faces.
Diffluat in lachrymas & acerbos Belgica planctus,
  Dum ſubit extincti triſtis imago Ducis.
Quis paria Hiſpano faciet? tu maxime Fili,
  Ne moriare prius, quam moriatur Iber.

Illuſtriſſimo

DOMINICO MOLINO,

Senatori Veneto, cum Hymnum in Chriſtum, & Argo Batavam ipſi mitterem.

VIvis, & externum celebras, Moline, poëtam,
  Et tibi dilectum pergis amare caput.
Nec tua Barlæi prȩluſtris purpura cantus
  Deſpicit, & Muſæ dona puſilla meæ.
Prima ſalutiferum depingit pagina Chriſtum,
  Ingentemque pio perſonat ore Deum.
Altera barbaricis oneratas mercibus alnos,
  Heſperiique canit grandia damna ſoli.
Sic modo me tellus vatem, modo poſſidet æther,
  Nunc hominum laudes, nunc habet ipſe Deus.
Iamque feror medios acer bellator in hoſtes,
  Iam cano tranquillæ nobile pacis opus.

Iam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Iam me ficta juvant veterum mendacia vatum,
  Iam modulos adflat ſanctior aura meos.
Artifices diſtincta petunt. hic incubat auro,
  Et Venetûm rutilo ſculpit in ære Ducem;
Ille rates aptat pelago, docet alter amores:
  Eligit ingenio quilibet apta ſuo.
Nobis cuncta placent, tellus, Acheronq;, poluſque,
  Ludicra cum gravibus, triſtia cum ſalibus.
Omnia ſunt vatum, ſunt unius omnia Phœbi,
  Militat ad nutum machina tota meum.
Imperium Veneti ſpatiis diffunditis amplis,
  At meus in cœlos altius Hymnus abit.
Terminat Euganeos Rhætuſque & Dalmata fines,
  Quæque jacet medio Candia veſtra mari.
At mea in Occiduis dominatur finibus Argo,
  Et ſpolia ex ipſo Sole ſtupenda refert.
Tu quoque qui vaſtam curis prudentibus urbem,
  Conſiliiſque regis tranſtra, rateſque tuis:
In carmen Moline venis. tu magne Senator
  Cogeris ad leges arctius ire meas.
Quæ tibi ſi placeant, & ſi ventura placebunt,
  Aonias toto fonte bibemus aquas.
Et mea, Molini nimium proh ſera voluptas,
  Diffluet in laudes ebria Muſa tuas.

ELEGIA

Ad doctiſsimum virum,

BALTHASAREM BONIFACIVM,

Archidiaconum Tarviſienſem.

EVganei Patres, mediis qui ſcribitis undis
  Carmen, & Adriaco tingitis ora mari;
Et tu Pegaſeâ vates redimite coronâ
  Balthaſar, ô Muſæ gloria ſera meæ:

Dicite,

Dicite, cur viles pretium meruere libelli?
Et Veneto noſtrum teſte probatur opus?
Laurigeraſque inter fertis mea nomina frontes,
Et favet applauſu purpura veſtra ſuo?
Auſonii laus iſta ſoli eſt, donaſſe poëtas.
Illo Helicon totus, totaque Cirrha loco eſt.
Illic Naugerii faciles in carmina Muſas,
Et faciles in ſe ſenſit Hyella Deas.
Illic Virgilio certaſti, Bembe, Latino;
Et clara Hippolyte Caſtilione fuit.
Illic Cotta ſuam cecinit riſitque Lycorim,
Flaminiique fuit dicta Turunda jocis.
Aonios meruit Latio Toſcanus honores,
Et potuit veſtro Carga ſub axe legi.
Hic Fracaſtorios, Zanchos, doctoſque Camillos,
Et gemino Strozas, Capiluposque tulit.
Quæque Sadoleto, quæ Laſcare terra ſuperbit,
Quæ dedit Aſcanios, Itala terra fuit.
Hic, Arioſte, tuos petulans modularis amores,
Et placido reges carmine Vacca canis.
Hîc per Apollineos Palearius ambulat hortos,
Inque ſuâ mores virgine Tonſus amat.
Quos ego ſi taceam, Romam ſpectate canentem,
Et quæ Tarpeia carmina rupe fluunt.
Lauriger Vrbanus media pater urbe Quirini
Pectora Phœbæo tacta furore quatit.
Hic hederæ, & ſacræ coëunt in Præſule mitræ,
Quique Dei, vatum præſidet ille gregi;
Communeſque mihi verſat mens ardua curas,
Et ſtudiis diſpar non cupit eſſe meis.
Veſtra eſt Calliope, Veneti, Tritonia veſtra eſt.
Numina tot veſtris plus viguere locis.
Deſinite in Batavum conferre encomia vatem,
Qui rude Hyperboreo ſub Iove pangit epos.
Longius Aoniis, quàm vos, à fontibus abſum,
Longius à Cirrha, Caſtaliiſque vadis.

Longius

Longius à priſcis vivo ſemotus Athenis,
Mœoniique procul patria vatis abeſt.
Sum procul à magni cunis tumuloque Maronis,
Nec fluis in noſtros Sulmo diſerte lares.
Me Vahalis, me Moſa pater, me Rhenus inundat,
Flumina Pegaſeis non ſatis apta viris.
Hinc Permeſſus abeſt. vobis vicinior ille eſt.
Imminet Ionio Græcia tota mari.
Phocidos amnis abeſt. vobis cum deficit ille,
Totus Caſtalias Adria fundit aquas.

ELEGIA

Ad eundem, immodicum Carminum meorum Encomiaſten.

NOn ego cum veſtris auſim certare Camœnis,
Balthaſar, aut Batavis vatibus ire comes.
Parce meis claras hederis poſtponere lauros,
Aut hominem tantis æquiparare Deis.
Parce precor graciles ad ſidera tollere Muſas,
Nec ſtudiis dona grandia verba meis.
Accola Tarviſi, ſit fas mihi dicere, parce
Invidiam famæ conciliare meæ.
Tutius eſt humiles inter reptare myricas,
Tutius Heroum nomina ponè ſequi.
Cymbula, quæ tumidis pelagi confiſa procellis
Navigat, has audax mergitur inter aquas.
Non ego in Ægæo pandam mea vela profundo;
Navita, qui littus ſeligit, ille ſapit.
Non ego nubivagas Alpes, non Pelion altum
Scandere, non iſtâ molior ire viâ.
Præcipites metuo ſcopulos livoris iniqui;
Ne noceant iterum, qui nocuere ſemel.

Tutius

Tutius in tacitæ gradiar convallibus Idæ,
Et mea depreſſam pagina radet humum.
Me Bavii terrent, ſpretique opprobria Mævî,
Et levis in tota Marzus Amazonide.
Terreor indoctâ rauci Theſeïde Codri,
Terrent Mygdonii triſtia fata Midæ.
Et nunc Icarei ſubeunt diſcrimina faſtus,
Et malè ſervato lapſus ab axe puer.
Plurima cum timeam, plus hoc fortaſſe timebo,
Ne ruat in noſtrum turba diſerta caput,
Turba poëtarum, ſecli, proh, tacta veneno,
Impatiens ulli cedere, ferre parem.
Sit ſatis ingenti non diſplicuiſſe Molino,
Carmina, & applauſus emeruiſſe tuos.
Sit ſatis, hoc gemino me dictatore probari,
Sit ſatis ad laudes gloria veſtra meas.
Teſtibus his poterunt de me dixiſſe nepotes:
Spreta domi potuit Muſa placere foris.
Dicet poſteritas: inter Rhenumque Silinque
Aonias blandè concinuiſſe Deas.
Dicet poſteritas: facili modulamine Moſam,
Medoacumque ſua perſtrepuiſſe chely.
Dicet poſteritas eadem: Rhenumque Atheſinque,
Et Vahalim cantus conſociaſſe ſuos.
At brevius: vicina Pado permixta fuiſſe
Carmine Battavicis flumina fluminibus.
Denique dicet & hoc: ſerò coiiſſe ſuâvi
Barlæum & magnum federe Balthaſarem.

IN

IN SATYRAM
quæ inſcribitur Hieromaſtyx,
AD
DOMINICVM MOLINVM.

FAllor? an hoc noſtro frendet Lucilius ævo?
Pacuvioſque iterum ſecula ſera ferunt?
Horridulum quiddam dura de nare locutus
Perſius, haud alio carmine cenſor erat.
Quique ſuis riſit ſcelerum popyſmata ſannis,
Et tot Romanæ probra nefanda togæ:
Perfudit tali Latium Iuvenalis aceto,
Nec potuit populi crimina ferre ſui.
Mœchus, & obſcena caventes parte Quirites,
Alpheus, indocto cum Labeone Glyco,
Infamesq́ue lupæ, & precio nonaria proſtans,
Et quæ Socraticus membra cinœdus amat,
Pamphilus, Hermogenes, & diſcunt templa pudere.
Hæc mordax Bavios pagina dente notat.
Hîc Superos Divoſque gerens in fronte ſacerdos,
Hîc luit haud nimium Veſta peroſa virum.
Ne mirare novum, prudens Moline, poëtam,
Et Satyras veſtro poſſe ſub orbe legi.
Difficile eſt Satyram non ſcribere. deſipit orbis,
Materies Satyræ plurima quiſque ſumus.
Pantolabos, Verres, Nomentanoſq́ue nepotes
Cantaber, Auſonius, Belga, Britannus habent.
Fabula decrepito non luditur altera ſeclo,
Nec nova ſtultitiæ eſt ſcena, ſed actor abit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

IN HISTORIAM
Clariſsimi doctiſsimique viri
ISACII PONTANI,
De rebus Danicis.

Gentis Hyperboreæ dominos, populoſque Trionum,
Sceptraque per Regum continuata manus,
Et formidatam Tarpejis ſedibus Arcton,
Et tot Vandalico prælia geſta ſolo,
Poſteritas, te teſte, leget Pontane, nec illud
Neſciet, Auguſto judice, Cimber opus.
Ingenio per regna, Duces, urbeſque vagaris;
Totaque jam Thetys, totaque Veſta patent.
Sic ſtudiis diverſa placent. nunc æthera ſpectas,
Et procul errantes contrahis arte Deos.
Nunc Phœbi delubra ſubis, & priſca repurgas
Scrinia, nunc tragicum cura reformat opus.
Nunc patrios memoras intorto crine Sicambros,
Et ſeclum tenebris eruis omne ſuis.
Ipſe etiam, Occiduis nuper bellator in undis,
Amſtela, tam grandi vindice lætus ovat.
Hæc ſcribis, vir docte, tuis. Iam longius actus
Parrhaſiæ celebras littora vaſta plagæ,
Codanumque ſinum ſolers metiris, & arces.
Et quondam Batavis noxia rura meis.
Scilicet hunc Regi juvat impendiſſe laborem,
Oceanique Deos demeruiſſe tibi.
Vt ſi terra neget precium, ſubmurmuret æquor,
Nec ſi Belga ſatis, plus tamen Arctos amet.

In

In Hiſtoriam Belli Belgici

PETRI BOR.

QVid toties vexata, furens quid Belgica poſſit,
Quantum pro patriis audeat illa focis:
Suſtineat quam dura pati mens conſcia recti,
Albano ſtupuit ſub Duce ſævus Iber.
Mitius ingenium regalibus addidit armis
Italus, & docta profuit arte magis.
Ceſſimus Heſperiæ, noſtriſque erepta triumphis
Oppida Cantabrica ſuccubuere manu.
Et mox percuſſo Libertas Principe mœrens,
Indoluit populi fata ſuprema ſui:
Cum nova de patriis ſoboles auguſta favillis
Surgit, & Auriaci funeris ultor adeſt.
Mauritiumque ſequi noſtræ cœpere cohortes,
Iſtaque collapſum dextra capeſſit opus.
Gaudet Breda capi. devictas reddidit urbes
Iſala, ſtant Friſio caſtra ſubacta ſolo.
Alta triumphanti paret Groninga Leoni,
Cæſareæque vetus concidit urbis honos.
Bructerus & Salii noſtræ ſunt nomina partis,
Et Batavûm laxis finibus arma ruunt.
Iamque prior victis redit in præcordia virtus,
Auſtriacaſque ferox diſpicit illa minas.
Hæc venerande tuos Borri vis ſcire nepotes,
Bellaque tam claro plurima teſte legi.
It Ducibus tua dextra comes. tu prælia reddis,
Pingis & in chartis Pergama noſtra tuis.
Quam cuperem ſociis tua currere ſecula ſeclis
Naſſovii, & junctis greſſibus ire duos,
Vt victrix quem nulla Ducem Bellona fatigat,
Tu quoque non ceſſes, maxime Scriba, loqui.

Exi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Eximiæ probitatis ac eruditionis Iuveni,

ARNOLDO BEAVMONTIO,

de *Vltima voluntate* diſputanti.

VLtima, *Beaumonti*, morientum verba Quiritum
Tuta patrocinio vidimus eſſe tuo,
Et morti mandata dari, legeſque ſepultis,
Et dominum dubiis ſcribere jura bonis.
Scilicet hæredum dextras frenaſſe rapaces,
Et tanta dites expedit arte mori.
Non hîc ad curas homini ſua ſufficit ætas,
Proſpicit in ſeros anxia cura dies.
Et jam ſcire juvat, quæ ſit fortuna nepotum,
Ac nimis ingratæ poſteritatis opes.
Venturaſque vices tabulis ſpectamus in illis,
Quas pater aut titubans ſcribere juſſit anus.
Sollicitì morimur, quales quoque viximus antè,
Filia ſit quantum, quantum habitura nurus.
Dumque graves loculos longos partimur in annos,
Credimur in terris hoc ſupereſſe modo.
Inſanire libet. ſequimur, quod linquimus, aurum,
Exanimeſque ipſo in funere juſſa damus.
Et, ne de rapto dubitet mors corpore, ſeptem
Teſtibus æternæ mortis adimus iter.
Nec minus ex ipſis ſurgunt mox jurgia buſtis,
Et querulos fratres charta relicta facit.
Et dum certa alibi poſcunt oracula ſtulti,
Egregios cenſus curia lenta vorat.
Tu meliora tuo ſuades, *Arnolde*, clienti,
Iuraque non multum litigioſa probas.
Sed cauſas ratione regis, pietate tribunal,
Et fallax ſocia relligione forum.

Quam

Quam colis,illaDea eſt.patria eſt,cui vivis,& ęther.
  Ad laudes præeunt nomina tanta tuas.
Et ſuper hæc animum clari genitoris imago
  Dum ſubit, hac ſobolem fas erit ire viâ.
Sæpius hos monitus, Beaumonti, in pectore verſa:
  Hoc tibi *poſtremum Velle* poëta loquor.

Ad Doctiſſimum Iuvenem

THOMAM HONERDVM,

Licentiatum.

QVi thalamos laudeſque ducum, regumque tiaras,
  Et numeris cecini buſta ſuperba meis,
Mox dites pelagi exuvias, Tiphynque Batavum,
  Et procul Occiduis æquora victa plagis,
Et Tarteſſiacis fumantia littora flammis,
  Et tot Belgarum diruta tranſtra manu:
Nunc, *Honerde*, tibi feſſis præconia Muſis,
  Pauculaque in laudes præcipitata loquor.
Materies non una mihi eſt. nunc inferor aſtris,
  Æthereaſque alto vertice rado domos;
Nunc humilem me terra capit. ſic partior orbi
  Carmina, nec ſolum terra, nec aſtra placent.
Vatibus ingenium eſt in multas flexile partes,
  Nec ſacer hic una ſtat regione furor.
Nunc nova trãſactis, nunc miſcent ſacra profanis,
  Nunc homines gaudent, nunc celebrare Deos.
Caſtra, duces, litui, faſces, diademata, reges,
  Buſta, rogi, cineres, fœdera, ſponſus, amor,
Relligio, pietas, & tot cantantur amici,
  Et venit in modulos femina virque ſuos.
Ipſa etiam heroo jam nunc mihi fulta cothurno
  Depugnat pedibus Martia Sylva meis.

Nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Nec Schola, nec noſtris abeunt indicta Camœnis
Nomina, quæ Themidi, quæ placuere mihi.
Tu quoq; jam pulchro, Iuvenis, ſpectande theatro,
Ingenii luſus cogeris eſſe mei.
Dumque per egregias legum diffunderis artes,
Conſiliumque gravis præcipis omne fori:
Pilea cum titulis, cum majeſtate triumphos,
Et non invito carmina vate refers.
Quæ tibi ſi placeant patriis virtutibus aucto,
Non poterunt docto non placuiſſe patri.

In diſputationem

DE

HYDROPE.

Belgica, quæ mediis vivis trãquillior undis,
Belgica, quæ ſolis regna tueris aquis;
Et nunc fluminibus, nunc arces fluctibus hoſtem,
Et vaſto gaudes ponere jura mari;
Belgica, quæ Vahalim, & bellacis pocula Moſæ,
Et latices Rheni prætereuntis amas;
Cui dites vehit unda rates, Regumque ſuperbas
A gemino mundi cardine vectat opes:
Adſpice Battaviæ juvenem. cui docta papyrus
Acria funeſtis prælia dicit aquis,
Fataleſque obitus occultis imputat undis,
Quaſque probas, dicit diſplicuiſſe ſibi.
Diſſidet à domina ſoboles, à matre propago,
Nec loquitur votis congrua verba tuis.
Scilicet objectis hoſti ſervamur in undis,
Tantaque ſed fluxis regna tuemur aquis.
At qui noſtra premunt immoti corpora fluctus
Materiem lentæ perditionis habent.

Mille

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Mille modis morimur. bibimus feralia vivi
Pocula, nec lethi longius autor abeſt.
Funereas haurimus aquas, immergimur undis,
Fataque diſtento proxima ventre latent.
Et pariter nobis urnæ ſumus atque cadaver,
Quique tumet, funus bajulat ipſe ſuum.
Hæc, Kerſtmanne, doces,& quæ tibi tanta paratur
Gloria, damnatis tota paratur aquis.
Sic aliis tellus, aliis bellacia debent
Æquora, & exuto carbaſa rapta mari.
At gravis & tacitis creſcens ſucceſſibus Hydrops
Invenit ingenio præmia digna tuo.
Dumque ſibi latices ſitiens, tibi pilea poſcit,
Nec tamen aut titulis, aut ſaturatus aquis.

In honorem

FRANCISCI VOSSII, I.V.D.

Ad Clariſſimum virum,

GERARDVM VOSSIVM Patrem.

TAndem etiam Batavæ ſubeunt palatia Muſæ,
Atque aliquis, Voſſi, crederis eſſe foris:
Præmiaque ingentes ſolantur regia curas,
Et precium, CAROLO judice, grande refers.
Sic ſcripſiſſe juvat; chartis cùm purpura dives
Annuit, & fulgens otia donat ebur.
Altera nunc iterum tibi gaudia parturit æther,
Dum patrium ſoboles æmula calcat iter.
Stat Iuvenis, totaſque viris ediſſerit artes,
Et tetrico loquitur congrua verba foro.
Qualia legiferæ dictant conſulta tiaræ,
Aut Latiæ roſtris expoſuere togæ.

Per

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Per titulos, laudeſque tuas, natique vagaris,
  Inque tuum coëunt diſſita regna decus.
Auriferis alibi Tameſis tibi labitur undis:
  Hic tua, quæ celebret, pignora Rhenus habet.
Diverſa ratione places. prodeſſe paratus
  In natis toties naſceris ipſe tuis.
Supputet innumeras Romana potentia terras:
  Supputet immenſas Tullus & Ancus opes:
Hic ſua diffuſis numeret tentoria caſtris:
  Hic vocet in cenſum jugera, rura, domos.
Vileſcunt omnes numeri. cui docta propago
  Perſonat Aonidum limina, plus numerat.

FINIS PARTIS SECVNDAE.

CASPA-

CASPARIS BARLÆI

POEMATVM

PARS TERTIA,

Sive

MISCELLANEORVM

LIBER.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Ad Illuſtriſsimum Dominum,

D. DVDLÆVM CARLETON,

Magnæ Britanniæ Regis apud Federatos Ordines Legatum, poſtquam regium mihi munus exhibuiſſet.

SAlvete puppes, quæ Britannicū pignus,
Et Carletoni ſanguinis decus clarum
Portatis undis; cujus Albion curis
Suffulta curas fulciet Batavorum,
Et bellicoſos Belgici ſoli patres
Sororiante lenis eriget ſceptro.
Salvete puppes: Tuque Nerëi conjunx,
Et qui patenti rector incubas ponto
Neptune: ſeu jam Carolo favens regi
Claſſes adornas lætus, & rates quaſſas
Bellis adaptas: ſive tranſtra Flandrorum,
Hoſteſque Morinos, mobileſque prædonum
Invadis arces, victimaſque Cattorum
Vltor cruenta rurſus expias cæde:
Expone terris creditum mari magno
Illuſtre nomen, cui vices dedit fandi,
Facundiæque celſa jura tranſcripſit
Princeps Stuartus, ille triplicis regni,
Boreique ſplendor orbis, alma majeſtas
Populi potentis, imperîque majorum.
Miteſcat æquor omne, nec ſacrum pondus
Violent procellæ, donec ora Toxandrûm
Aut Moſa tanto gratuletur Heroi,
Coëatque dextræ dextra Federatorum.

Stamus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Stamus Batavi, vivimuſque non victi,
At Rege ſocio. cur ſatur triumphorum
Turges trophæis Belga? cur tui Martis
Stupeſcis auſus? poſcit hic ſibi partem
Laudum Britannus. his Eliza vexillis
Involvit enſem, Cantabroque nobiſcum
Cruore tinxit. Hæc Ibericam claſſem
Demerſit undis, hujus ultimæ Gades
Arſere flammis. ſola nec tui facti
Vis tanta rerum eſt. cur ſuperba deſpexit
Oſtenda Bætim, meſſibusque plus ternis
Attrivit hoſtem? leniit famem Britto,
Illâque arenâ miles occubans Scotus,
Formidoloſi ſpretor inclytus lethi,
Terram momordit; quoque conſtitit vallo,
Patriæ trophæum fixit, & ſibi buſtum.
Ille obſeratis victor irruit portis,
Mauros fugavit, acer inſtitit Flandris,
Stravit Varaxum, totque laureas junctis
Diviſit armis. ipſa preſſà libertas
Injurioſa ſervitute latronum
Redintegratæ debet huic decus fortis.
Nec bella ſolum, & gentis Aſturum diros
Domuit furores, exulemque Gradivum
Ferociente nuper exuit parma.
Cum rex utrique jura dictitans Phœbo
Victas ſub ipſa cerneret rates Calpe,
Tarteſſus atros fumigantibus tranſtris
Spectaret ignes, Herculiſque vicini
Tremerent labores, jamque feſſus armorum
Philippus acri poſceret moram bello,
Iterum phalanges ſcribit, & ſuas Rheno
Sociat cohortes, Martiaſque deſpumat
Tameſis procellas. Vnus hoſtis ambobus
Commune bellum eſt. Tu Deos Battavorum,
Proceresque noſtros, Belgiique cuſtodes,

Affaris, Heros magne, tu Roſas læto
Donas Leoni, regioſque facundus
Iuſſus recludis, conſilîque momentis
Latè patentis flectis imperî frena.
Talis feroces voce flexit Atridas
Neſtor diſertus, & duces Mycenarum
Affatus olim eſt. talis arce Tarpeia
Cyneas Quiritum Patribus dedit pacem,
Doctè locutus. Et velut mari vaſto,
Poſtquam furentes ſtella lætior Cauros
Fugavit undis, emicantque perculſis
Ledæa ſigna, terror exulat ponto,
Dimiſſa rurſus vela Tiphys expandit:
Tu ſidus almum, tu jubar ſalutare,
Heliceque fulges, vindiceſque Belgarum
Dexter ſecundas: quo loquente bellorum
Horror faceſſit, Heſperique regnator
Ferale rebus augurat ſuis ſignum.
Sublimis anima, magne regis interpres
Dudlæe, qui me purpuræ Britannorum
Donis inauras, peſſimoque tot vatum
Offers ſtupendum munus optimi Regum,
Muſiſque noſtris cenſor æquus applaudis:
Has ſume gratæ mentis obſides chartas,
Arram clientis, candidiq́ue libamen
Caſtum poëtæ. Sorte ſi meâ dignum eſt,
Placuiſſe ſceptris, jam benignus indulge,
Placuiſſe vobis. cur iniqua ſit Phœbe,
Favente Phœbo? cur neget ſerenatos
Aurora vultus: quem ſerenus adſpexit
Titan, tuæque gentis editum Numen?
Me ſi favoris compotem tui faxis,
Excelſus ibo, quà ſuper Deûm ſedes
Mundiq́ue tractus, forniceſq́ue flammantes,
Superûm theatris deſtinaris, & cœlo
Præmittis amplum ſplendidæ decus famæ.

Sic

Sic læta ſemper Carolo fluant ſecla,
Vivat beatus, veritatis aſſertor,
Et Chriſtiani nominis potens robur.
Sic gratus illi, particepſque curarum
Soſpes ſuperſis. Patriæque jam fare,
Quæ verba laudet Belga, damnet Hiſpanus.

Ad generoſiſſimum virum,

LAVRENTIVM REAEL,

rerum Indicarum nuper in India Orientali Præfectum, nunc Matheſeos ſtudiis vacantem.

VIr magne, cuius dexteram calens pavit
Eous orbis, fervidoque ſuppoſta
Imperia Phœbo, cujus Occidens ductu
Latè potentis fregit arma Caſtellæ:
Quem fama belli, Martiique conatus,
Tidora ſupplex, Cantaberque depulſus,
Totieſque Belgis impetita Ternate
Vexere cœlo, quà latus per Arctoum
Delapſus Indus exteras rates vectat,
Gangeſque lato Bengalæ ſinu latrat:
Iam pacis almæ cultor, & procul fuſi
Satur cruoris, exilîque majorum
Laudatus ultor, victimis Iberorum,
Patriæ, tuiſque plus ſatis parentaſti.
Poſt bella Phœbum, barbaraſque poſt cædes
Cyrrham capeſſis, & furore Mavortis
Tandem expeditus, ſubdis ocio Martem,
Haſtam Camœnis, pileoque commutas
Placidaque olivà lauream triumphalem.
Non jam tremendus vindicem Moluccarum
Enſem coruſcas, nec tuas Batavorum
Curas laceſſit miles, aut minax claſſi

Inſtat Malacca. rapta Cantabro regna,
Victum cubile Solis, æquor Eoum,
Tuæque laudis ſpatia vaſta metiris.
Non jam ſuperbas Amſtelî fori gazas
Bellator auges, ſcriniiſque mercantum
Infers avaræ dulce pabulum mentis.
Non ventricoſas mercibus rates laſſas;
Non federatas regibus manus jungis;
Valloque caſtra cingis, aut ſtruis muros.
Quid Banda vectet, auribuſque protentis
Malbaricus hoſpes, Borneumque, ſecurus,
Stellata mundi templa, ſiderum lapſus,
Ortuſque rectos, & tueris obliquos.
Deûm penates jam placere cœperunt,
Cui domita tellus; quaque parte terrarum
Emergat Arctos, occidatque, vel rectus
Volvatur orbis, & moras tenebrarum
Titan adæquet lucibus, vel extendat,
Scrutaris, alti municeps novus cœli.
Quæ cauſa priſcis aſtra ſedibus trudat,
Cur Spica fugiat Virginem, & minans cornu
Medio remotus orbe frigidum ſpectet
Aries Booten, cur ſuos trahat currus
Borealis Æthon, pluſque pellat Auſtralis.
Vt axe in iſto, quo ferox Ducem ſenſit
Iberus, umbra dextra, vel ſiniſtrorſum
Flagellet æſtum, biſque torreat fruges,
Bis altus ipſum verticem premat Phœbus:
Quater quadrigas ſiſtat; & dies nocti
Deſcribat æquos; luminumque tot vultus
Attollat omnes, & mari lavet cœlum.
Quot vaſta ſeſe terra paſſibus pandat,
Veſtigat animus, aut quibus ſagax China,
Feraxque Timor ſantali, vel Ambona,
Spatiis Batavo diſtet orbe, metitur,
Diſcitque inermis, quæ ſubegit armatus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Hæc ipſa certè docuit accolam Nili
Chaldæus Abram. norat iſta cœlorum
Librator Atlas, Herculeſque ſuffectus.
Hac involutos arte temporum faſtos
Cæſar recudit, & novum decus ſceptris
Alphonſus addit: barbaroſque crudeles,
Tenebricoſos Cynthiæ notans vultus,
Flexit Columbus, quoſque contumax Indus
Cibos negabat, eruditus extorſit.
Hac arte mundi ſuſpicis creatorem,
Luſtrator operum, machinæque ſolertis,
Quantumque poſſit numinis vigor ſummi
Nutu potente, mens quieta perdiſcit.
Vices beatæ, ter quaterque felices,
Quæ te ſerenis hoſpitem Camœnarum,
Divæque templis reddidere doctrinæ!
Quam vita diſpar, diſpareſque jam curæ
Pectus fatigant, ſpiritumque Bellonæ
Furias peroſum, & ſæva jura Mavortis,
Vel Archimedi mancipant, vel Euclidi.
Qui caſtra nuper, militemque lunari
Clauſum figurâ, circuloque direxti,
Impune circos, anguloſque jam formas
Levi papyro, & ficta caſtra depingis
Dux incruentus. qui ſuëtus armatam
Numerare gentem, filioſque Neptuni,
Quot Vrſa ſtellis, Pegaſuſve cœleſti
Micent theatro, ſupputare jam gaudes.
Nec trux machæra, fulminanſque balliſta
Profligat hoſtem. circinos rotat dextra,
Quæ ſtrinxit enſem, perticæque chartarum
Se diſſecantes arte dirigunt ſulcos.
Sphæram volutas, hoſtiumque tot tractus,
Goam potentem, vaſta regna Sinarum,
Diteſque Iavas: quaſque adire non ſivit
Hiſpanus oras, tutus undique adſpectas.

Sic fama duplex poſthumum vehet nomen,
Patriæque Mavors te ſacrabit, & Pallas.
Quantumque vires horruit tuas Bætis:
Defenſa quantum vindici ſuo debet
Eoa tellus, inſulæque non victæ:
Batava tantum, pluſque terra debebit
Bellonæ alumno, præſtitique Muſarum.

IN POEMATA
Ampliſsimi & Clariſsimi Viri
HVGONIS GROTII.

PRæclare Groti, tota cui Caballino
Inebriata fonte provocat priſcas
Thalia lauros, & prioribus ſeclis
Ligata verba; ſeu gradu cothurnato
Sublimis altum nubibus caput condis;
Seu ſoccus humili lenis ambulat greſſu,
Elegoſque fundis, & necis Lycambeæ
Teſtes iambos: Ecce, ſemipaganum
Tuas ad aras ſacra ferre vix auſum,
Iam ferre cogit horror ille divinus
Tuæ Camœnæ, & invidenda majeſtas.
Quæ me relictos rurſus ad lares Phœbi,
Cirrhamque revocat, pallidamque Pirenen.
Vt poſt faventes Voſſii tui voces,
Poſt vota Baudî, calculumque Ioſephi
Tanto poëtæ, vindicique Muſarum,
Ineruditum ſerus accinam carmen.
Præclare vates, lux, decuſque Belgarum,
Libitina cujus nulla nomen exſtinguet:
Vt me loquentem perculit ſacer Ionas,
Iam tertium renatus, & ſolo cœlum
Placans redemptor! Quis furor Deo dignus,
Quæ ſancta Mænas pectori tuo ſedit?

Cum

Cum per ſacratas myſticæ dapes menſæ
Rotas trochæos, altiuſque ſubvectus
Pia futurum mente concipis feſtum.
An Pallas aliqua præſidens Dei templo
Hæc ipſa ſuaſit? aut Apollo cœleſti
Afflatus aura ſacra Chriſtianorum
Didicit ſonare? vel receſſit in Cyrrham
Cyrrhæ creator, & ſcholas poëtarum
Neſcire non vult, quæ beare nos poſſunt?
Vileſcit omne, quicquid eſt profanorum
Vbique vatum: non Catullus, aut Naſo,
Vaferque Flaccus, Bilbiliſque laſcivæ
Dicax alumnus pulpitum fatigabunt,
Te vate. longo linquitur gradu Vida,
Et Symmacho commiſſus ad pedes ponit
Faſces poëta, terreos ſuper quando
Raptus penates vota nuncupas Chriſto.
Cedit Iuvenci, cedit illa Sedulî
Senis Camœna: dumque ſancta deſtillas,
Simul omne Clarium doctus artifex robur,
Helicona totum, & quicquid eſt venuſtatis,
Et eruditæ antiquitatis, expandis.
Beata tellus noſtra, quæ decus tantum
Oſtendit orbi. ſi quid accolæ Galli
Debent Thuano, ſi Caſauboni manes
Veneratur Anglus, plus vetuſta Cattorum
Gens, terror orbis, artiumque fecunda,
Plus tota paſſim turba laureatorum
Tibi debet, heros. Tu relicta Civili
Imperia Batavûm, bella tot per æſtates
Pugnata Belgis, dexteraſque commiſſas
Dextris Iberûm, tu vices laborantis
Terræ, gemenſque Belgium ſub Albano,
Cædes nefandas Principum, nurus raptas,
Exuſta templa, gentis improbæ motus,
Feduſque toties Marte vel dolo ruptum

Tranſcribis ævo. Tu ferax triumphorum
Arceſſis altè ſtemma Naſſovæ gentis,
Dignumque ſceptris Romuli genus cantas.
Tu, ne trophæa parta dextera forti
Arauſiorum poſthumus neget livor,
Aut ſileat ætas, das nepotibus ſciri
Ignara lethi. Quid per Iſthmium littus
Florem virorum, ludicroſque victores,
Vilesque palmas, fervidaſque quadrigas
Thebane jactas? alter hic triumphalem
Scandit quadrigam, victor efferæ gentis,
Regiſque Iberûm, patriæ datus cædis
Mauritius ultor. quique Belgicæ teſtis
Virtutis eſſet, urbiumque captarum,
Hoc ſolus axe Grotius quatit plectrum.
Nec bella ſolum, militisque funeſti
Depingit ora, ſed furore Mavortis,
Patriæque damnis expeditus, infeſtos
Hoſtes adunat, exulemque Gradivum
Multum petitæ præco pacis exarmat.
O cygne Delphûm, non tuas Batavorum
Viris adæquant geſta, nec tuis una
Sat regio cœptis. tranſmarinus aſſurgis
Ad ſceptra Regum; quaque duplicis regni
Iacobus hæres triplicem domat gentem,
Albiona, Iernen, & Caledonis lucos,
Feſto recentem purpuram beas verſu.
Quis non ſtupeſcat gratulantium voces?
Sic poſſe fari Galliam, loqui Scotos,
Et cum Britannis ſedis incolas noſtræ?
Tu lingua cunctis, Muſa, vox, & orator
Tot ſubditorum vota ſolus exolvis.
His vectus oris Thetyos vias longè
Tranas poëta, radis Herculis metas,
Mixtuſque duræ navigantium turbæ
Merſas Iberos. Vivis acer Heemskerki,

Et

Et iſte quandiu Solis occidet currus,
Carteia ſtabit, accolent fretum Gades,
Fatale nomen pertimeſcet Hiſpanus.
Sed mox ſeveros, facta mitior, ponit
Thalia vultus, principum canens tedas,
Mixtamque ſobolem. qualis ille Veronæ
Cecinit marinam Pelei ducis nuptam,
Aut qualis uno nexuit thoro ſponſam,
Honoriumque Claudiana Pimpleis.
Exinde Latios poſſe jam Syracuſas
Sonare cantus, Atticasque mirabar
Veneres amictus induiſſe Romanos.
Quid Græciæ jam proprium? refert ſermo
Latinus illam, & ſi quod eſt decus Grajis,
Et oris ampli Dorienſium genti,
Non æmulandus æmularis interpres.
Tandem gementis præficæ capis munus,
Et juſta ſolvis. ſequitur una defunctos
Laus ſempiterna vatis, & trucis lethi
Sepulcra laxat. Scilicet fuit tanti
Nunc occidiſſe, præmiumque virtutis
Tuliſſe memores carminis tui faſtos.
Hæc inter, ibam, quà per omne doctorum
Agmen faventes prodigus rapis Muſas,
Nunc ora regum pingis, aut amicorum
Cenſes labores, nunc libris poëtarum
Præludis, amplum vel per æquoris littus,
Miracla Batavûm, mobilem Noto pinum
Velis adornas. navigat tibi currus,
Curritque navis. arguunt ratem venti,
Currumque tellus. arguunt ratem vela,
Rotæque currum. creditur licet currus,
Nec triga tamen eſt, nec quadriga, nec biga.
Riſi ſubinde Lentulum, tui riſi
Fallax amoris ſomnium; ſed hærebam
Adſtricta cernens jura Cæſarum verſu,

Oſque hîc diſertum. donec illa me Crœſi
Midæque gazis, annuliſque Gorlæi
Potior ſupellex voce pavit arguta.
Princeps poëta, menſque fœta doctrinæ,
Quo thure quæſo, qua tibi novenarum
Chorus Dearum, aut quiſquis eſt Caballinæ
Sititor undæ, victima dabit ſacrum.
Tu major omni victimâ. placet ſolum,
Vt jura moto des Poeticæ Phœbo.
Et nos, tuarum vilis umbra virtutum,
Humiles myricæ, verba vincta conantes,
Qui farre tantum adoreo & molâ ſalsâ
Inopes litamus, te fatebimur proni
Vatum (faceſſe livor) Imperatorem.
Tantoque cunctis vatibus magis vatem,
Quanto es Batavis omnibus magis charus.

Ad

CONSTANTINVM HVGENIVM EQVITEM,

cum Panegyricum ſuum eidem mitteret.

QVi clara magni fata Principis luges,
Mihique lætus accinis parentanti:
Nunc vatis auſus alteroſque conatus
Dignare veniâ; dum per inclytos raptor
Ducum labores, præpetique ſublatus
Pennâ furentem Marte verticem ſtringo.
Hîc ſceptra Princeps, & novos paludatus
Faſces capeſſit, & decus Batavorum,
Togæ ſecures, vaſta regna Belgarum,
Et fœderati priſca jura Gradivi
Juſſus tuetur. hîc parentium lauros,
Nomenque Adolphi, & tincta cædibus Thracum
Gentis ſuorum bella ſpectat Henricus.

Lo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Loquitur Loyſa, perfidoſque Francorum
Damnans amores, dexteræque venalis
Scelus nefandum, tanta fata ſolatur
Vltore nato. cui puertiæ fervor
Porrexit enſem, Martiuſque conſperſit
Pulvis juventam: ſive duplicis Rheni
Circum fluenta Cantabrûm globos ſiſtit,
Vahalimque turmis aſſerit laborantem;
Seu penè victis Marte Cimbrico muris
Avertit hoſtem: ſive dux Palatinas
Conſcendit arces, & futurus aſſertor
Gaudente Nicro feſſa caſtra diſponit.
Cœleſte magna ſtirpe defluit ſemen,
Originique mentis aura reſpondet.
Inſervit orbi, nec ſibi petit vitam,
Regnique poſcit jura ſanguis heroum.
Privata ſpernit, publico vacant curæ,
Mundique cauſa laſſat arbitros mundi.
Quid non Batavûm terra ſperet, Hugeni,
Rectore tanto, quem Parentis excelſi
Invicta virtus, indomabilis Frater,
Et geſta claræ bella deſtinant famæ.
Quem cum creari vellet Imperatorem
Patrum voluntas, pronus annuit Mavors,
Plauſere cives, federiſque conſortes,
Gallus, Britannus, Adriæque potator,
Et Scotus audax: ſolus horruit Bætis,
Et ſævus Aſtur, & ſoli triumphantis
Quicunque nobis hoſtis invidet laudem.
Tu vota confer, quique Belgici ſcribis
Arcana regni, & tot petacibus chartis
Reſponſa reddis, ſacculoſque rixarum,
Et litigantis empta Curiæ verba,
Nunc decidentis vile jurgium ſtillæ,
Nunc derelicti triſte murmur hæredis,
Nunc quæ moleſtus poſcit æra conſultor,

Sere-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Sereniore Principis fugas vultu:
Applaude mecum. Naſſavæ favet genti,
Defenſus illâ quiſquis hic ſtetit dextrâ,
Non victus hoſti. ſi per Elidis campos,
Olympicoſque Pindarus ruit ludos,
Et æmulantum pulverem quadrigarum
Non æmulanda fert in arduum penna:
Si conſulares Mallii canit faſces,
Romæque dominos altus invehit cœlo
Nili poëta, fervidoque qui debet
Cunas Canopo: nec pudebit audaci
Cantare cantu Belgici ſoli Patres.
Quod ſi ſuperbus altiùs vehi credar,
Ceraque niti; mergar Icarus ponto,
Pereatque Muſa pejor optimi civis.

IN OBITVM

Clariſſimi Viri,

ÆLII EVERARDI VORSTII,

Medicinæ apud Batavos Profeſſoris celeberrimi.

MAnes beati, tuque municeps cœli
Mens caſta Vorſti, quæ negata jam terris,
Mundique fœdis expedita cancellis,
Tumultuantem cernis orbis orcheſtram:
Et nos tragœdos, fabulaſque, quæ dantur,
Sublimiore tuta ſede deſpectas:
Si celſus hiſce condolet malis æther,
Superoſque tangunt mœſta verba viventum,
Hos ſume queſtus, conſciaſque virtutum
Voces tuarum, noſtra quas tibi Pallas
Inerudito triſtis ingemit leſſu.
Plorant dolores cæteri, ſtupet præſens;

Cyrrham-

Cyrrhamque claudens, pallidamque Pyrenen,
Haurire ſacri fontis impedit lympham.
Quin ipſa frontes irrigans Poëtarum
Libethra rarâ labitur dolens guttâ.
Ereptus orbi eſt magnus arbiter fati,
Domitorque mortis, & labantium vindex,
Et reſtitutor, & peritus aſſertor.
Qui proruentis tela contudit lethi,
Iamque occidentes, jamque penè clamatas
Luces retraxit, ſtaminumque director
Tardavit arte propera fila Parcarum.
Cui jura vitæ, ſeculique languentis
Imperia, Phœbo deferente, parebant.
Hæc ſenſit ipſa, quæ ſuperſtes excuſſit.
Hoc ore priſcos Græciæ imbibit patres,
Senemque Coum, Pergamique doctorem
Studioſa pubes, & ſcholas Pelaſgorum;
Et quicquid olim ſapuit Hellas antiqua,
Traduxit ad ſe; totque damna morborum,
Vitæ labores, abditas vias lethi,
Attenta didicit. Hic ſenis Stagiræi
Oracla genti prodidit Batavorum,
Medicisque curis tanta verba præſtruxit.
Quippe illa ſacri fœderis ligat nexu
Doctrina prudens, neſcioſque Naturæ,
Cæcoſque turpis inſcientiæ myſtas
Damnat Machaon. non medebitur rectè,
Sanare quiſquis, quem volet, ſtupens neſcit.
Nec fata ſolum, funerumque tot caſus
Mens cauta flexit, ingenîque naſcentis
Caliginoſos voce diſpulit vultus.
Hunc Federati Martis inclytum fulmen,
Arauſiorum gentis & ſoli Princeps,
Humanitatis vindicem ſuæ ſcripſit.
Vt, quæ potentem cura laſſat Hiſpanum,
Orbemque noſtrum fulcit, ille fulciret.

Talis

Talis Lyceo, patribuſque Muſarum,
Sic vixit urbi, quodque laudis eſt ſummum,
Spreviſſe potuit, quos ſtupemus, applauſus.
Sed vixit, eheu, fidus ille morborum
Curator animus, & ſalutis antiſtes,
Recti ſatelles, & ſeverus exactor,
Cultor bonorum, victor invidi dentis,
Induſtriæque pertinacis exemplum.
In quo benigno lenitatis adſpectu
Gravitas verendæ miſcuit decus frontis.
Abivit, eheu, ſpeque plena natorum
Terris dicavit vota, ſpiritum cœlo.
Vbi beatis celſus accubans menſis,
Humum peroſus, ſeculumque, quod fluxit,
Orditur aliud, nec ſalutis humanæ
Iam ſoſpitator, corporiſque quaſſati,
Felicitatis occupat ſuæ portum.
Vbi perennes vita protrahit luces:
Coram tuetur, quæ remota ſperavit:
Non luctus illi gaudio comes vadit:
Nec membra quicquam carnifex dolor frangit:
Morbi faceſſunt, febriumque tot turmæ,
Claruſque terris Vorſtius, viget felix.

IN
Diatribas Scholaſticas
Cl. Doctiſſimiq; Viri
THEODORI SCREVELII
gymnaſiarchæ.

REctor Iuventæ, ductor efferæ gentis,
Scientiarum multiformium doctor,
Et arbiter perite diſciplinarum;
Potens docendi, quum docentis ex ore
Ignara pendet palpitantium turba:

Potens

Potens monendi, quum monere te poſcit
Recalcitrantum dives aula Cyclopum,
Et inſolentis improbus furor ſecli:
Quis hic ſerenæ pulpitum quatit famæ
Novus Palæmon? porticuſque doctorum,
Et perſtrepentes maximi lares Phœbi
Redonat orbi? quis puertiæ primos
Caſtigat annos? traduceſque dilectos,
Parentiumque tot propagines lætas,
Semen Batavum, patriæ renaſcentis
Perenne germen, ſpemque gentis invictæ
Sub jura cogit, & rebellis orcheſtræ
Retundit auſus? pandis ora, Schreveli,
Diſerta Rhetor, & ſcholaſticum Belgis
Regnum reformans, ſceptra pædagogorum,
Trepidoſque faſces, & tribunal auguſtum,
Totumque cœtus litterarii circum
Legum cataſtis vinculiſque conſtringis.
Hic oſcitantum nænias magiſtrorum,
Hic imperitos commatum latratores,
Ineptiarum ſerios rogatores,
Scabraſque voces, & ſuperba faſtidis
Elementa vocum, ludicroſque natales.
Hic ſparſa latè regna Grammatiſtarum
Arctas ephebis; dogmatumque congeſtos
Purgas acervos. hic nepotibus diram
Ferocientis Orbilî dicam ſcribis:
Coryliſque lentis, frondibuſque nodoſis
Præfers minacis acre jurgium frontis.
Hic Tulliaſtros verba more mendici
Ferruminantes, ſordiumque priſcarum
Quaſi oſtiatim luridos petitores,
Reos laceſſis: hic rudes ſolœciſmos,
Feceſque Euandri, Rhetorumque tot morbos
Arces Lycæis, puriorque præfaris.
Hic eruditæ pubis impigros greſſus

Vrges triumphis, laudibuſque ſuffulcis
Avara famæ pectora, & facem ſubdis
Virtutis œſtro. torpidas pudor mentes
Inceſſit atrox, ſeculique deſpectum,
Vivumque rerum neſciis parat buſtum.
Hic fœta vitiis induit repurgatos
Natura vultus, & docentium curis
Gaudet renaſci, ne profana ſtribligo,
Illiterata mens, proterva vecordem
Analphabetis vita reddat ætatem.
Interque cœtus ſemifæminatorum,
Inerſque vulgus langueat veternoſa.
Quid priſca jactas Orpheum tuum Thrace
Flexiſſe tigres, amniumque veloces
Stitiſſe fluxus? horridas Hebri vatem
Stupuiſſe rupes? hic tigres Batavorum,
Rabidumque pectus fervidæ juventutis,
Oſque illud audax, & jecur leoninum,
Furiaſque docta voce mulcet orator.
Quid ſponte grandes credis erigi Thebas,
Cantuque flecti lubricum pecus Nerei
Excors vetuſtas? quid laboribus fictis
Alcmena natum laureâ poëtarum
Superba donas? ſordibus repurgatum
Stabulum tyranni, ſævienſque Stymphalis,
Et pullulantum fæta Lerna monſtrorum
Scholæ fuere, agreſtiumque pugnaces
Iuvenum palæſtræ, flagitîque fœcundæ
Sodalitates. Tu Batavus Amphion
Has condis arces, urbiumque præmunis
Virtute portas. Tu renatus Alcides
Hydras fatigas, & potente doctrina
Neſſum trucidas, frangis ora Centauris,
Et verſipelles arte ſubdis Antæos.
Per te aleator, improbuſque ſcortator,
Perjurus, exlex, cœlitumque contemptor,

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Et faſtuoſus, publicuſque graſſator,
Et qui ſuperbas inflat impotens buccas,
Et qui bibaci vina gutture eructat,
Æris paterni nominiſque decoctor,
Et quicquid uſquam criminum atque monſtrorum
Perdit venuſtum impuberis decus vitæ,
Mundo fugantur. Sanctitas, fides, candor,
Sororiansque Veritas fatiſcenti
Redduntur ævo. Tu velut mari magno
Flectens carinam Tiphys ocium feſſo
Donas ephebo, jam vigil truces ponti
Diffringis æſtus, & minis procelloſum
Componis æquor; mox ſeverus obſtantem
Hellen flagellas, exuiſque Neptunos.
Vir magne, cujus inſidens labris regnat
Vis tanta fandi, quo nec alter hoc cœlo
Aut juſſa dictat rectiora cirratis,
Aut verba balbis aptiora præmandit,
Sive explicatos Rhetorum ſinus pandis,
Seu ſenſa vinclis contrahis Stagiræis,
Vel in receſſus grandium poëtarum
Doctor recedis; Iam Palæmonem Belga
Audit loquentem. dumque gymnaſî priſcos
Evolvit ortus, regibuſque calcatos
Legit penates, atriumque Pelidæ,
Sublime majeſtatis arduæ limen
Veneratur ultro, & faſcibus tuis charos
Subdit Quirites. Ipſe vocibus doctis
Recoctus infans, jamque plus ſibi notus,
Fidem Tonanti, lumen ingenî famæ,
Conſulta Patriæ, verba commodat roſtris,
Seque eſſe gaudet, qualis haut poteſt naſci.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Ad

ISAACVM DORISLAVM,

quum Iuris V. Doctor crearetur.

CVi pulvis ocî, & pædagogicum murmur
Ferulæque triſtes, & recocta ter crambe,
Et elocati temporis dies lenti
Erectioris mentis indolem frangunt,
Animumque ſellis mancipant magiſtrorum,
Iſace, quin te ſeculo tenebroſo,
Vmbraticoque nomen eximis ludo,
Et inquietæ prælegentium turbæ?
An illa Graji docta ſuada ſermonis,
Oriſque Latii prædicanda majeſtas,
Sophiæque ſacrum pectus, & labor Phœbi,
Servire ſemper poſcet? & fremet voces
Rudi Iuventæ, barbaraſque purgabit
Illitteratis ſordibus diu chartas?
Captivus iſtis quando liber è vinclis
Tibi vacantem ſpiritum trahes lætus,
Patriæ decorus? num Scholæ ſacramentum
Illiberale, pertinaxque dixiſti?
Nec ſat ſuperque laudis indigens fama
Attrivit ævi primulum tui florem?
Fallor. verendos en tibi lares pandit
Aſtræa virgo, & priſca Cæſarum jura,
Ac purpuratas expedit Themis voces,
Legeſque regni, multiplexque ſufflamen
Prævaricantis dictat auſibus mundi.
Hac arte nixus, altius Deûm ſedes,
Faſtigiumque laudis, & procul vulgo
Ignaviaque diſſitas domos ſcandis,
Olidiſque ſenſim pulpitis vireſcentes
Subducis annos: altioribus curis

Debe-

Debetur ætas iſta, quæ ſui juris
Spectare Soles, pluſque candidos poſſit.
Non ſat, Iuventæ profuiſſe; jam roſtris
Viriſque ſacri ſenſa juris imperti;
Et ipſa tecum patriæ ſalus creſcat,
Tuaſque laudes commodis ſuis jungat.
Ecquid Palæmon, Orbiliîque clamores
Tardant euntem, ignobilique concludunt
Cœleſtis auræ portiunculam circo?
Vir docte, vir venuſte, flos amicorum,
Balbutientis hactenus ſcholæ verna,
Iam majus adflet impetus tuos Numen,
Tandemque vinctæ mentis expedi robur.
Servire neſcit, quem Senatus auguſto
Inveſtit auro, pileoque libertas.

IN HONOREM
LEONARDI SYPESTEYN,
I V. Doctoris.

PRæſtans Ephebe, corculum Camœnarũ,
Conſtans Batavæ humanitatis aſſertor,
Et ſumme cultor elegantiæ morum,
Vindex ſeveri Iuris Imperatorum,
Quos vel ſuperbis Roma collibus quondam,
Rerumque dominos Occidens ſalutavit;
Vel quos Eoa parte vidit auguſtos
Helles ſepulchrum, barbaruſque Thrax pavit.
Seu jam profundos diſputator illuſtras
Legum receſſus, Italoſque doctores,
Truceſque Baldi Bartolique rubricas,
Balbutientis ſeculi ſacras voces,
Totque involutam nubibus Themin pandis:

Seu

Seu jam decorum verticem tibi lambit
Phœbæa laurus, Cæſarumque concedens
Indulta Pallas magna verba tranſcribit:
Exurge curis expedita moroſis
Mens docta tandem, deſidiſque jamdudum
Spretor Vacunæ, ingloriique languoris,
Vocem Poëtæ gratulantis hanc audi:
Excelſa virtus indoleſque non vilis,
Diſcreta vulgo, ſemet erigit ſemper;
Novoque geſtit ire celſior motu,
Contenta nunquam. vividæ focum mentis,
Igneſque ſufflat laudis aura ſopitos.
Nec precia ſpernit, anxiéque nec poſcit
Honeſtus ardor. illa ſpernit & damnat,
Majora meritis quæ ſibi dari credit.
Quæcunque lenis gratiæ favor confert,
Aliena dicit, emta nec placet fama,
Veniamque ſperat inſcientiæ nullam.
Sic teſte Leida, pectus uſſit erectum
Fax iſta laudum, gloriæque vis prima
Faſtidioſas otii moras rupit.
Nec docta Phœbi templa lentus intraſti,
Aut te ſequentum ſtudia ponè ſpectaſti,
Sed quà præibat turba litteratorum,
Sitienſque honoris alter, acer iviſti.
Et qualis ille fervidos rotat currus
Superbus Hiero, totque deſpicit retrò
Ducum quadrigas, quas vel Iſthmium littus,
Vel vidit Elis, carceres tuos linquis
Gradu citato, terminique jam compos
Apollinari laureâ caput cingis,
Plaudentiumque vota colligis lætus.
At tu, beate, ſive patriæ ſolves,
Quæ docuit ipſa, ſive regna Gallorum,
Vetereſque Celtas, Auſonaſque ſpectabis,
Iuſti memento, nec leves puta voces

The-

Themidos verendæ, & (ah) labantis Aſtrææ.
Tua ſcita præſta, ſanctiorque commendet
Doctrina mores, alterum cave lædas,
uumque Titius auferat, ſuum Caius.
Non cura fallax, peſtilenſve donorum
Decidat æquo, nec malus clientelam
Conſultor unquam commoda improbæ cauſæ.
n lege jus ſit. non diſerta laudatur,
ffronſque jura mentientium lingua,
Vociſve multum diſſerentis orator,
ed recta ſuadens, neſciuſque mercari.
ic jura Minos gentibus dedit quondam,
ic Sparta cauſas dixit è tribunali,
ic gratiæ expers pallidique livoris
Tot inferorum verſat Aeacus ſortes.

Clariſſimo Viro,

PETRO SCRIVERIO,

novam Tragœdiarum Senecæ & aliorum Editionem paranti.

DVm luctuoſi carminis tragœdiam
Molitur orbis, & cruentos induit
Bellona vultus, dum Thyeſtes, & novus
Tumultuantem pulſat orcheſtram Creon;
Dum ſævus altis Pyrrhus inſtat arcibus,
t exſecrandi nurubus adventant dies,
Phryges fugantur, & maritis diſſitæ
Lugent Creuſæ, priſca Troas luditur,
n ſe feroces tota convertit manus
uropa demens, & furentem pellicem
mitata natis ipſa ſuccenſet ſuis:
Tu Martialis docte Scriveri jocos,
Pariterque grandes vatis Annæi ſonos,
t inſolentes fœneras luci novæ

Vete-

Veterum cothurnos, Delphicæque præſides
Quæſitor urnæ litteratorum gregi.
Exſanguis illa nempe conflictatio eſt,
In quâ triumphum victor & victoriam,
Victuſque cladis percipit fructum ſuæ.
Stant bella calamo: nulla regnorum ſitis,
Aut invidenda regibus cubilia
Materia litis. obſitos fœdo ſitu
Purgare ſenſus, involuta pandere,
Et impeditos lectionum compedes,
Erroneamque vindicare dexteram,
Hoc agitur omne. quiſquis Oedipus fuit,
Aut Sphinx acuta, vel peritus arbiter,
Applaudit illi tota cenſorum ſchola,
Muſiſque amicis gloriæ palmam refert.
Hac arte lacerâ pelle fœdus Hercules
Nitet ſerenus. gaudet excuti ſuos
Atreus furores, & Thyeſtis ferculum.
Hac arte rurſus Oedipus felicior
Lumen recepit; temporumq́ue iniuriâ
Diſtractus iterum Virbii currus ruit,
Sed reſtitutus. proximum Phœbo caput
Tireſia divûm clarius pandit fidem,
Oracla reddens. rapta filii manu
Redit Iocaſtæ vita, teque vindice
Adeſt petitus omnibus votis Creon.
Quin Hecuba multis involuta plexubus,
Vt dixit olim, filios plangit ſuos.
Fugiens Iaſon redditur, mater furens
Diſcerpta multis membra colligit locis.
Sed ille læſo mollis Ægiſthus thoro,
Et bellicoſi conjugis conjunx latro,
Dolent nefandum litteris prodi ſcelus.
Alcmena gaudet obſitum caligine,
Lentaque ſecli tabe confectum decus
Redire nato. ringitur Cæſar Nero,

Octa-

Octaviæque vellet occaſum ſuæ
Oblivioſo ſupprimi ſilentio.
Tu nil moratus monſtra, priſtinum decus
Scenæ redonas; dumque picta fecibus
Detergis ora, puriùs multò pater
Tragœdiarum noſtra pulſat pulpita.
Inimice vates gentis Hiſpanæ, tibi
Cur illud adeò gentis Hiſpanæ placet
Hoſtile carmen? cur iniqui littoris
Tractas Poëtas? an novenarum chorum
Non tangit ira, ſi qua Principes ciet?
Nec ſæva Muſas odia ſceptrorum premunt,
Neuterque Apollo eſt? Omnis aſſurgit tibi
Recentioris docta ſeculi cohors,
Grataque faſces mente ſubmittunt ſuos.
Sic dum ſepultis vindicas ſcriptoribus
Priſcos honores, poſthumam laudem feres.
Non ille lethi dentibus teri poteſt,
Qui litterarum principes vetat mori.

Ad Nobiliſſimum Virum,

GODEFRIDVM de HAESTRECHT,

varias Sciotericorum formas Aſtronomicâ arte delineantem.

TV, qui citato promoves curſu diem,
Sororiæque crederis lucis parens,
Auguſte Titan, magne menſor ætheris,
Peluſiorum gentis admiratio,
Et ſanctus horror, qui per obliquos ſinus,
Chelaſque Cancri, & fronte ſubmiſſa Caprum
Gradu retorto fervidos currus rotas:
In quem vetuſtas primus annorum vias
Cæſar reduxit, Cynthiæque motibus
Inordinatos arte tranſtulit dies:

Sub-

Subſiſte paulum: ſive jam recens mari
Emerſus umbras contrahi ſenſim cupis,
Seù vectus altùm rectior gentes feris,
Seu feſſus almum fluctibus mergis diem,
Fumanſque vultus terra diſpandit tuos.
Metitur orbem pertinax induſtria,
Cœlique ſpatia circulo claudit brevi
Proles Promethei, & temporum ſignat notas.
Tu per patentes ætheris vadis domos,
Raptuſque verum ſcribis in cœlo diem;
Horaſque paribus explicas veſtigiis.
Hîc in tabellis orbitam pingit tuam,
Et uſitatas ponit horarum moras,
Curſuſque rarus artifex, mimus tui.
Te prodit umbra, quoque cœli cardine
Currant jugales, monſtrat humanus labor.
Stat plana, & æquo deſerit libramine
Inflexa nulla parte terram lamina.
Quam recta tenuis lineæ ſecat via,
Mediumque ſuperis figit & mundo diem.
Hæc limes ille eſt, umbra quo breviſſima
Septentrionis dexterum ferit latus,
Nullamque cernit bis quotannis machina
Obliqua nuſquam, quo Syene torrido
Suppoſta Cancro neſcia eſt umbræ ſemel.
Tranſverſa rectis ducitur mox angulis,
Tangitque primam norma, quo diſtans pari
Statione tellus, hic cadentis lumina,
Naſcentis iſthic indicet Solis jubar.
Hanc umbra lambens parte quartâ circuli
Diſtat priori, & ſexta mortales pigros
Vel poſcit hora manè, vel ſera expedit.
Quas inter alios ſcribit horarum ſitus
Mens arte certâ, qualis emenſus polum
Colurus alter, doctus index temporis,
Terræ incubantem diſſecat cœli viam.

Exinde

Exinde gnomon fixus umbram projicit,
Tenebriſque ſpatia certa deſignat ſuis.
Indocta non hunc ponit in circo manus,
Sed gnara rerum. cernis ut celſo micans
Cynoſura cœlo, nec Batavis occidens
Hoc orbe juſto ſurgat è terrâ gradu,
Axiſque curvo permeet centrum ſitu?
Hac lege gnomon cuſpidem tollit ſuam,
Auſtrumque ſpectat hinc, & hinc ſeptem videt
Boreæ triones, horridumque Caucaſum,
Vbi Solis expers menſibus ſex incola
Thetyn perenni damnat adſtrictam gelu.
Nec plana ſolùm dicit horas machina:
Erectus altis aſſer aſſurgens locis,
Terraque recto diſſidens libramine
Partitur illas. flectit in muro calens
Pyrois habenas, terminoſque conſpicit
Motus diurni lucis aureæ parens.
Hic arctiore verus horarum ſitus
Regione diſtat, anguloque prominens
Anguſtiore pendet ad poli gradus
Stylus relictos. verſat ætheris domum,
Totamque ſphæræ obliquioris indolem,
Mens erudita. fabricat Gallis ſuum,
Suumque Iberis, accoliſque Viſtulæ,
Heteroſciiſque, fervidisque Amphiſciis,
Periſciiſque frigidis tempus notat.
Fluxere Græcis Solis indices aquæ,
Horaſque menſa eſt diſcrepantes clepſydra.
Imitatur illas, & vetuſtis invidens
Hic Belga ſeclis vindicat palmam ſibi.
Godefride, quò non igneus mentis tuæ
Perrumpit ardor, viſque cœlo debita?
Quos Archimedes circulos duxit ſenex,
Et quos Pelaſgus docuit Euclides ſinus,
Trianguliique multiformis indolem,

Numeroſque doctis legibus coërcitos,
Tranſverſa quoties æquet orbem linea,
Quadrata quantum circulari diſcrepet
Figura, noſti. vaſta jugerum loca,
Preſſaſque valles, montiumque vertices
Metiris oculis. nec ſatis tellus tibi
Viliſque arena eſt. ſcandit editos Deûm
Animus penates, quaque ſervat Parrhaſin
Vrſam Bootes, & triangulum micans
Meruit locari, Siriusq́ue urit ſolum,
Spectator hæres. hic nefas viſum tibi
Neſcire, quantis paſſibus cœli ruant,
Vt ſummus orbis inferos trahat Deos,
Sequenſque lentè vadat adverſo gradu,
Stellaſque raptu vectet hærentes ſuo.
Quibus ille tardus exeat veſtigiis
Platonis annus, tertiuſque qui queat
Trepidare motus. cur propinquior premat
Diana fratrem, nunc remota deſerat.
Cur illa plenas porrigat mundo faces,
Conjuncta nullas, cur ſubinde cornibus
Adſpectet Ortum, Cynthium ſequi velit,
Moxque antevertat. cur Draconis horreat
Vterque nodos, cur petulantior Venus,
Nunc ire, ſtare, nunc retrogradi audeat.
Qua parte cœli noctibus minans dies
Aries adæquet, latiuſque non ſinat
Solem vagari Cancer. ut terram ſuper
Exorta ſerò Plejas Autumnum ferat.
Quæ zona radiis urat infeſtis caput,
Quæ temperatis gaudeat caloribus,
Quas non ſolutâ Iuppiter damnet nive.
Quantum Deorum tecta noſtris ſedibus
Semota diſtent: quotque dimenſus pedes
Titan coruſcans, Marſque ſupputet minor.
Hac arte fœdæ diſſides inertiæ,

Vulgum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Vulgumque ſpernis, ſanguinique nobili
Nunquam labantis fœneras famæ decus.
Sic aſtra Cæſar didicit, & Solis vias
Oſtendit olim gentibus. ſic circulos
Arauſiorum pingit, inter prælia,
Princeps ſtupendus. ſic Olympi machinam
Atlas ſuperbis fulſiit cervicibus.

Ad Clariſſimum Virum

ARNOLDVM BVCHELIVM,

In Huberti Goltzii libros de Vitis Cæſarum ex numiſmatis Romanis reſtitutis,

HENDECASYLLABI.

VUltus Æneadum, duces Quiritum,
Stantem curribus eſſedisque Romam,
Et Romæ dominos, & illa priſci
Secli nomina, Romulique ſtirpem,
Nobis Goltzius exhibet videndos.
Tu præbes mihi, Bucheli, legendos.
Devotaſque animas perennitati
Tranſcribis mihi, lege non loquendâ.
Specto Iuliaden, verenda qualis
Dictator tulit ora, vel remiſsâ
Obnubit caput infulâ ſacerdos.
Agnoſco phialaſque, laureaſque,
Et ſtellas, aquilas, decempedaſque,
Vexillum, capedunculas, aratrum,
Cultros cum lituis, faces, patellas,
Vrnas, pilea, Flaminum ſecures,
Et quæcunque ſibi popoſcit augur,
Et quæ promeruit ſibi triumphans.
Hic cernas patriæ decus parentis,
Cernas indigetem, ſuoſque quali

Deducat genitore Cæſar ortus,
Æneæ Veneriſque matris ora,
Seu victrix fuit illa, ſive felix,
Seu malit Genitrix Deûm vocari.
Luget Gallia perditis trophæis,
Lugent Teutones, & pater bicornis
Romanas vehit invidus cohortes.
Ægypto domitâ ruunt carinæ,
Et frendet Crocodilus, ampla Nili
Roſtris oſtia permeat viator.
Vltor Brutus adeſt, trucesque ſicas
Oſtentat Latio, comesque Cimber
Tollit pilea faſcibus receptis.
Indignor caput improbum ferocis
Antonî, Lepiduſque me triumvir
Plus vultu reficit gravi, decoro,
Dum victor domat Aſturas ſuperbos,
Exarmatque Tagum, ferumque Bætin,
Aut grandi ſedet altior caballo,
Aut curru dominam pererrat urbem,
Aut vaſtos regit imperator Afros,
Aut ſævi exuviis furit leonis.
Riſi tergeminas ſodalitates
Antonî, Lepidique, Cæſariſque,
Non hoſtes ſatis, aut ſatis benignos,
Non charos ſatis, aut ſatis malignos.
Vibrant Armenii graves ſagittas,
Vincit Ventidius, duplexque ſerpens
Hinc illinc capiti imminet, viroque.
Iungit caſtra manus, fides maniplos,
Ægyptum Latio; ſereniores
Expandit mulier ſuperba vultus,
Et ſculpto Cleopatra fulget auro.
At tu, qui titulis Deûm triumphas,
Vatum grande decus, decus juventæ,
Iam Conſul toties, tribunus, augur,
Divi

Divi nate patris, trophæa priſco
Octavî tua colligis metallo.
Iam Trinacria, jam ſubacta Memphis,
Victrices tibi conſecrant figuras.
Sacrat Bilbilis ipſa, Cantaberque,
Et qui ſigna gerit reducta Parthus.
Te Germanice poſteri loquentur,
Dum Chaucos, Friſioſque, Saxonaſque,
Catthos ſubdis, & impigri Viſurgis
Accenſes ſpoliis tuis pharetras.
Sub te Rhenus arundifer recumbit,
Lugent Vindelici, noviſque victi
Præbent præmia pineam triumphis.
Aras intueor, baſes, columnas,
Cippos, quercea ſerta, tot quadrigas,
Deductos peregrè tibi colonos,
Taurorum juga, quoſque Græcus, Afer,
Europæque Aſiæque lætus orbis
Sculpendo tibi nuncupant honores.
Cedunt arma togæ, ferocientem
Claudunt templa Deum, tuosque felix
Oſtendit mihi Capricornus ortus,
Ac lauri tibi militant perennes.
Mox faſtos mihi Conſules recludunt,
Et quæ Cæſaribus priora ſeris
Currunt ſecula, temporumque faſces,
Gallos, Sempronioſque, Claudiosque,
Pictores, Rutiloſque, Iunioſque,
Flaccos, Poſthumios, Atilioſque,
Fortes Scipiadas, Paterculoſque,
Cottas, Æmilios, truces Metellos,
Et claros domitis duces Faliſcis,
Et claros Siculis duces ſubactis,
Captiſque Inſubribus duces ovantes,
Et victum Fabio morante Pœnum,
Preſſis Sardibus inclytum Mathonem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Imbelles Ligures, Getas, Cethegos,
Et Gracchos querulos, graves Catones,
Mixtoſque omnibus alites galeros.
Quid Druſos referam? quid Africanos,
Piſones, Curioſque, Caſſioſque,
Scauros, Cæcilios, Papirioſque,
Et capto Marium ferum Iugurtha?
  Quos ne dicere ſingulos laborem,
Quotquot Romulidum duces fuere:
Quotquot Goltzius exhibet videndos,
Tu præbes mihi, Bucheli, legendos.

IN HONOREM IOHANNIS BODÆI à STAPEL, *Medicinæ Doctoris.*

VEteres Pelaſgi, palliata natio,
Et vos togati gentis Italæ patres,
Veneranda ſenio turba, priſca gloriæ,
Et eruditi prima nominis parens;
Quos ipſe quondam mille morborum vices
Grataſque vitæ Cynthius docuit moras;
Tunc, cum renatum Virbium mundo daret
Ars Æſculapî, territiſque curribus
Diſcerpta membra redderet Phœbi puer.
Et tot cadentis Græciæ Phrygum manu
Sagax Machaon duceret lentè neces:
  Spectate Batavos, Belgicæque porticus
Auguſta templa, litteratorum domum,
Sedes amœno deſtinatas otio,
Circumque honoris, & bonæ famæ ſcholam.
Majora certè, nec probata Cecropi
Momenta laudum poſteri perſolvimus
Doctæ Iuventæ, quam laboris orbita

Ad

Ad ſumma rerum vexit, & ſcientiæ
Ardor profanis ſegregavit uſibus.
Tollit ſuperbâ ſede præclarum caput
Phœbi ſacerdos, & decus ſubſellii
Sublimioris altius mentem vocat;
Nec humile quicquam, ſeculique ineptias
Apinaſque vulgi, futileſque nænias
Spectare ſuadet. laxat eſtuſos ſinus,
Virumque monſtrat digna majeſtas togæ.
Et ille celſas pileus radens comas,
Inſigne pulſæ ſervitutis, libera
Placitis magiſtri ſenſa doctorum expedit.
Semperque ſervum, ſemper obſequens pecus,
Et uſque ſectans antecedentum gregem,
Erectus odit; nec faventibus Diis
Didiciſſe credit, qui docere neſciat.
Digito coruſcans annuli ſolers labor
Precium ſciendi penſat, & tot artium
Tractus patentes, diſciplinarum modos,
Totumque Phœbum circulo claudi docet.
Sociata dextræ dextra Muſarum fidem
Adiurat obſes, ſymboloque publico
Damnat Camœnas mentis indigas bonæ,
Sterileſque rixas litterarii fori.
Hîc ſævientes commatum ſuper ſitu
Criticas cohortes & minaces paginas:
Hîc obſoletis ſordibus Pacuvii,
Vel diſcrepante lectionum indagine,
Blattæque morſu, dentibuſque araneæ
Enata bella, rupta fratrum fœdera,
Odiiſque fœta pectora, atque irâ gravi.
Nunc clauſa celſis charta pulpitis jacens,
Hoc ſcire nos vult, quod reſervat abditum.
Nunc ipſa celſis charta pulpitis patens,
Crebro labantis ingenî prodit vicem.
Dum noſtra facili miſcet ignorantiâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Humanus error ſcita, nec totam cupit
Aut ſe videri vel recondi veritas.
Non iſta Pallas ſedibus ſanxit ſuis
Monumenta laudum, nec nepotibus Remi
Corona doctum dignior cinxit caput.
Non ſic Lyceo, non Cleanthea domo,
Non Socratea gente prodiit puer.
Qualis ſub axe Belgico famæ vadum
Tentat Bodæus, invidique nominis
Decus reportat, & ſerenum verticem
Lætus paternis inferet penatibus.
Habet omnis ætas æſtimatores boni,
Sapientiæque rarioris arbitros;
Non pretia recto defuere, non favor.
Suique magnis debiti virtutibus
Plauſus fuere, nec recentis ſeculi
Aut poſterorum cura ſegnior fuit.
Nunc vos favete, quotquot herbarum trahit
Inſons cupido, tu Camœnarum pater,
Latè patentis magne luſtrator ſoli,
Et tu virentes Flora diducens ſinus,
Maneſque, clarus quos beavit Atrebas,
Fovete Iuvenem, quem triumphali vehit
Doctrina curru. veſtra non ſegnis ſacra
Veneratus hoſpes, graminum quidquid ſuis
Extruſit agris vaſta mundi machina,
Ter mille ſervat paginis reconditum.
Illi corollam dii, deæque, nectite,
Ter mille textam frondibuſque & floribus.
Sic doctus ille mille lector graminum,
Examinator mille fibrarum ſagax,
Cenſor colorum, mille promus nominum,
Herbaſque pernox interens & exedens,
Herbis tegatur vivus, herbis mortuus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Ad
IOSEPHVM VORSTIVM,
I. V. Doctorem.

INuſitatum cur mihi barbitum,
Situque fœdam tendere me chelyn,
Ioſephe, cogis? cur triumphos
Dedecoras ſtrepitu poëtæ,
Me vate famam, pilea verſibus?
Cur invidendis clarus honoribus,
Nec teſtis expers, vile ſperas
Pauperis officium Camœnæ?
Dos ipſa virtus eſt ſibi: quam ſequax
Licet procetur nominis ambitus,
Se debet ævo, ſola victrix
Invidiæ, immemoriſque fati.
Creſcis merendo, nec titulos tibi
Ignava ſcribit gratia; nec favor
Aut ſervit indignæ Iuventæ,
Aut vitium precio coronat.
Tu juris acri præſidio potens,
Intorta legum dogmata diſſecas.
Tu Principum conſulta gnarus
Excutis, & ſinuoſa Baldi
Præcepta pandis. Tu Decios ſagax,
Accurſioſque, & nomina labili
Erepta ſeclo, quæque terris
Sol Oriens dedit, Occidenſque,
Edicta Regum digeris arbiter:
Graveſque juſſus Cæſarei fori,
Et vindices recti ſecures,
Et ſcelerum recitas cataſtas.
Aſtræa tali præſide lætior
Terras reviſit: jura legit reis;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Nec innocens cauſa vacillat,
Nec veniam meruere culpæ.
Privata cedunt commoda publicis;
Emptum tribunal diſplicet; & manus
Avara lucri, quæ nefando
Iudiciis famulatur auro.
Cives tueris: fraudibus obicem
Obdis profanis: te lachrymabilis
Pupillus exorat, rogantque
Te vidui gemitus patronum.
Præſtat trophæis tuta domi ſalus,
Victiſque Iberis juſtitiæ rigor.
Plus, jura condidiſſe Belgis,
Quam peregrè domuiſſe Calpen,
Formidoloſis vel mare claſſibus
Straviſſe totum. Scipiades pater
Plus cive ſervato ſuperbit,
Quam domitis Numidûm ſariſſis.
Quin litterato nobilis otio,
Per Graja raptus compita, Græciæ
Fontes bibiſti, nec Latinæ
Inferior ſtudiis Minervæ.
Nunc vectus alâ præpetis ingenî,
Vatum beatos ſollicitas choros;
Nunc voce facunda diſertus
Attonito loqueris Lyceo.
Mox erudito das Venetûm patri
Chartas Philippi, & fluctibus Adriæ
Infers Batavorum labores:
Et veteris monumenta mundi.
Auguſta neſcit mens ſpacio capi;
Quocunque laudum fervida vis vocat,
Graſſatur audax, impetuque
Inſequitur generoſiore.
At cuncta blandæ fama modeſtiæ
Momenta honorum tranſilit, & novos

Doctrina

Doctrina ſucceſſus decenti
Diſſimulat pudibunda vultu.
Beate Vorſti, Palladii decus
Diffunde regni; & Celtica dum petis
Illuſtris arva, verticoſo
Inſinua titulos Garumnæ;
Ne docta Rheni pignora Sequanæ
Cedant alumnis. Laxius explica
Laudum theatrum, nec tribuli
Sufficiat placuiſſe Belgæ.
Sic Leida jactet Vorſtiadem ſuum,
Sic tanta Fratri gaudia divide,
Sic Ælium repone terris,
Et patrio cineri parenta.

In Hollandiæ Auſtralis,
à Doctiſſimo viro
IACOBO vander EYCK,
I. V. Doctore deſcriptæ, partem aquis merſam.

QVi legis hæc lector; Batavæ diſpendia terræ,
Et proavûm mœrens grandia damna legis:
Tot merſas pelago terras, populoſque domoſque,
Et malè terrarum jugera tuta Deis.
Viderat has clades, & priſci incommoda ſecli
Eyckius, & patriæ naufraga buſta ſuæ.
Nominaque ut ſenſit tenebris & fluctibus abdi,
Et rerum memores vix ſupereſſe notas,
Surgite, ait, veteres, Faunorum prædia, villæ,
Alteraque exſtinctis vita reſurgat agris.
Quos merſiſtis aquæ, chartis ſignantur in iſtis,
Præteritoſque legunt ſecula noſtra dies.

Si

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Si quid in has juris Thetys habet improba terras,
Imperium tantæ diluet horæ Deæ;
Temporaque amiſſas reddent venientia ſedes,
Quæque natant, lucrum poſteritatis erunt.
At liber hic tardè gradientes occupat annos,
Et decus antiqui contrahit omne ſoli.
Non ultra Neptune noces. quodcunq; relictum eſt,
Aut periit, vultu non pereunte damus.
Scribimus hic Mervæ dominos, Mervæque fluenta,
Totque paludati jura ſuperba Ducis;
Quoſque capit fines, Roverî ſub faſcibus, Auſter,
Multaque Battaviæ regna ſepulta meæ.
Sic pelagi rabiem, ſic Divûm eludimus iras,
Et proſunt chartæ, dum nocuiſtis aquæ.

Nobiliſſimo Viro,

D. CORNELIO vander MYLE,
EQVITI, &c.

Cum libelli mei fata & caſus enarraret.

DVm mea ad Euganeas tranſmittis carmina ſedes,
Sola patrocinio carmina tuta tuo:
Invida vix natum damnat fortuna libellum,
Et foliis virus credit ineſſe meis.
Et jam peſtiferâ Venetûm malè clauditur aulâ,
Sordidaque Aonias umbra recondit opes.
Quid primũ, Vir magne, querar? gens Martia bello
Non unâ nobis fit ratione nocens.
Dumque timet Superûm pœnas, incuſat eoſdem,
Et ſtolida Muſas ſuſpicione gravat.
Quàm mea non facili ſe judice cauſa tuetur,
Quàm ſunt ingenio fata ſevera meo!
Impurus Batavo credor, Venetoque: priorque
Indignè dominum vexat, at ille librum.

Hexa-

Hexaſtichon inſcriptum Albo
Nobiliſſimi Iuvenis
ADRIANI MYLII.

ADſpice, chare Myli, magnorum exempla parentum,
Nec tua ſit proavûm ſanguine fama minor.
Tantum imitare duos, & quò veſtigia duxit
Hinc avus, hinc genitor prævia, flecte gradum.
Tu ſi tanta tuis æquabis nomina factis,
Crede mihi, laudes ſpondet uterque ſuas.

In nummos argenteos, Cæſarum imagines exhibentes, nuper Voorburgi in rudetibus repertos.

DVm rudis effoſſæ ſcrutatur viſcera Veſtæ
Ruſticus, & ditem verſat anhelus humũ,
Eruit antiquo celebrata numiſmata ſeclo,
Neſciaque occultas dextera prodit opes.
Adſpicit ignotum priſcis mortalibus orbem
Infami ſquallens Martia Roma ſitu.
Invida Cæſareos fœdarunt tempora vultus,
Et Latios caries raſit iniqua duces.
Sordent Phœbææ, victricia ſigna, coronæ,
Et fugiunt ſpatiis nomina truſa ſuis.
Non Princeps vultus oſtendit Nerva ſerenos,
Nec nativa ſenex ora Severus habet.
Cernitur exeſâ Batavis gens Flavia lauro,
Et patrio diſpar Commodus ingenio:
Helvius imperii dudum aſpernatus honores,
Polluit inviſis tempora cana notis.
Explicat ipſe ſuos etiam Trajanus honores,
Atque alium poſt ſe non ſinit eſſe parem.

Quos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Quos venerata fuit dominos urbs celſa Quirini,
Cernimus, & noſtro ſceptra inimica ſolo.
Repperit hos Batavus, quondã quos horruit, orbis,
Victoreſque ſtupet Belgica terra ſuos.
Hos metuens aliquis ſpeluncis abdidit atris,
Et ſecum voluit nomina tanta mori.
Non patitur Fortuna nefas. quo claruit orbe
Italus, hoc iterum cernier orbe cupit.
Debebit nummo precium, cui Cæſar amatur.
Quantula Romulidûm præmia ductor habet.

I. NEOPORTIO
in Galliam abeunti.

CVi gravitas perſpecta domi eſt, moreſque ſeveri,
Verbaque Belgarum digna ſupercilio;
Celtarum jam adſueſce ſonis, facilique loquelæ,
Aptaque amatorum geſtibus ora refer.
Quàm diſtat Gallo Batavus! levis ille, celerque eſt:
Hic ſua ſed pigrâ pondera librat humo:
Et numerat lentè voces, quas Sequana fundit,
Quæque rapit Ligeris nomina, Moſa trahit.
Ille ſuis fecunda petit carcheſia menſis:
Huic ſuper anguſto garrula lingua mero eſt.
Ille miſer vacuam multùm ſuſpirat ad arcam:
Hic ſalit, & quamvis ſit levis ære, canit.
Ille ſacer Bromio, ſacer alter Amoribus ardet.
Et geminos perdunt vina Venuſque viros.
Hunc furor, illum armat ratio. moroſior ille eſt,
Blandior hic mores perficit arte ſuos.
Nec leve diſcrimen faciunt braccæque, comæque,
Et caligæ, & doctâ barba reſecta manu.
Cunctorum Batavi mimi ſumus: extera multum
Gens placet, & ſordent, quæ placuere domi.

Iamque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Iamque redux patrios ignorat Belgica mores,
Paucaque dedidicit quæ mala, plura refert.

Probitatis ac doctrinæ eximiæ juveni

THEODORO GRAEF,

convictori ſuo.

JAm nivei mores, jam blandi gratia vultus
Ibitis, & ſocia cum probitate fides.
Quicquid lene fuit, quicquid mihi dulce, venuſtum,
Hoſpitio tecum nunc abit omne meo.
Nec tamen omnis abis, Gravi dulciſſime, cujus
Sola meos recreat nominis aura lares.

Ad

EVERARDVM VOSCVYL,

ex Theologo medicum.

LÆta ſalutiferi docui præconia Chriſti,
Primaque res Superûm pendere cura fuit.
Crimina diſſecui, populo peccãte, Machaon;
Et medicam ſenſit plebs maleſana manum.
Tunc animæ curator eram; divinaque noſtro
Affulſit miſeris civibus ore ſalus.
Languida nunc poſcunt noſtræ ſolatia dextræ
Corpora, & humanam plurimus æger opem.
Sic ſanare mihi ſemper, propriumque mederi eſt,
Et, dum ſors medicum non ſinit eſſe, creor.
Altera ſcripta placent, atque altera pharmaca. cœli
Arbiter ex tardis fecibus optat opes.
Quid rides Fortuna? juvat concedere fatis;
Solamenque mali non leve, poſſe pati.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Ad Doctiſſimum Iuvenem

HENRICVM THIBAVTIVM,

I. V. Doctorem.

CVr rapidos, Natura, ſtupes Hyperionis ignes?
Totque per æthereas ſidera rapta domos?
Cur rapidum Tanain, rapidum miramur Araxem,
Quaſque ciet celeres grandius æquor aquas?
Iſthmia cur jactant veloces compita currus?
Quoque ruant Hiero, Strepſiadeſque gradu.
Cur celeres medio miramur frigore Finnos?
Miſſaque Parthorum tela retorta manu?
Hæc ſua mirari miracula deſinat orbis:
Quo ſpatio velox mens quoque currat, habet.
Adſpice, per vaſtas rapitur *Thibautius* artes,
Et celer ingenio fervidiore ruit.
Quem vix carceribus dimiſſum vidimus ipſis,
Palladio adſperſum pulvere meta capit.
Tempora ſedulitas, ipſos prævertit & annos,
Satque habuit ſtudiis annumeraſſe dies.
Non hunc currentem fallax remorata Calypſo eſt,
Sirenumque leves detinuere chori.
Nec ſua Titanis porrexit pocula Circe,
Aut Paphos in curas traxit amica ſuas.
Fraudibus Hippomenes rapidam Schœneida tardat,
Ille ſuum rectis paſſibus urget iter.
Quoque prior virtus, properat jam gloria curſu,
Cæſareoque Themis cingit honore caput.
Accipe præclari ſpecimen, Toxander, Ephebi,
Quemque tibi format terra Batava virum.
Quæ diſtincta fluit, juveni confunditur ætas,
Quique puer ſapuit, prævenit arte ſenem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

In Vetulam libidinoſam.

SVnt, quas dedecorant hiulca naris,
Obſtipum caput, & retorta cervix,
Aut centum facies arata rugis;
Sunt, quas depreciant putres mamillæ,
Et fœdis recubans caper ſub alis;
Eſt annoſa Chloë, ſubacta centum
Bauce, cætera gratior, maritis:
Illi dens veluti ferocis apri
Pando prominet ore, pendulumq́ue
Labrum non ſinit admovere labro:
Hanc gibbus populo eximit Quiritum:
Illa eſt cernua, & iſta prona multum
Terram vel gradiens deoſculatur:
Claudam ſpernimus, odimuſq́ue luſcam,
Et balbam, tremulamq́ue, garrulamque.
At tu Tartareo tremenda vultu,
Mater Tiſiphones, ſoror Megæræ,
Orci filia, ſquallidum cadaver,
Impuriſſima ſordium cloaca,
Dum pruris nimis, & libidinoſa es,
Vno in corpore plus habes malorum.

Clariſſimo doctiſſimoque viro,

D. THEODORO SCHREVELIO,

pro miſſis filiolo libellis ſcholaſticis,

Gratias agit pater Hendecaſyllabis.

Mittis munera, Schreveli, libellos,
Quæ poſſunt pueri placere patri:
Mittis munera, Screveli, libellos,
Quæ poſſunt puero placere patris.

Illic

Illic Grammaticos tonare caſus:
Illic Rhetoricum ſonare ſchema:
Illic dactylicum rotare carmen:
Illic verba referre Tulliana,
Et fraudes recitare diſputantum
Addiſcent pueri rudes, tenelli.
Quo Flaccus ſocios ſuos aceto;
Peccantes ſale perfricet Quirites:
Quàm triſtes elegos remittat exul
Vates, per Scythicas vagus pruinas:
Quo cantu Corydon, feroxque cultu
Tellus gaudeat: ut truces poëta
Gradivi lituos canorus inflet,
Et grandi tuba conſonet Maroni.
Hîc voces repetunt ſuas Athenæ:
Pelidæ ſtomachum legunt Batavi;
Romanoſque duces, & illa belli
Quondam fulmina Romuli nepotes.
Faſtos Sulpicius ſacros recludit,
Indæoſque patres redonat orbi.
Et poſtquam pueris miſella terræ
Viſa eſt gloria, & eruditionis
Tantæ portio vilior videtur:
Spectat puſio ſiderum meatus,
Spectat retrogrados ſuperbus ignes:
Atque inter Veneris, Iovisque cyclos,
Inter Signiferos, polos, triones,
Zonas, Andromedas, lyras, ſagittas,
Et piſces, aquilas, canes, leones,
Faſtidit ferulas, ſcholas, magiſtros,
Ipſis altior ipſe jam magiſtris,
Cunctis doctior ipſe jam Lyceis.
Hæc dum munera mittis, ac libellos:
Libros mittere dico, non libellos:
Quin grates toties loquor datori,
Quot donas puero meo libellos.

Quorum qui benè pondus æſtimarit,
Nullos dixerit eſſe plus apertos,
Nullos dixerit eſſe plus diſertos.

In Niſam, pro Niſa, elatam.

DVm fera Palladiam latè graſſata per urbem
Ipſa ſuis creſcit mors furibunda malis,
Accipe poſteritas lepidos in funere caſus;
Materiam riſus ſufficit ipſe dolor.
Mortua funeſto recubabat Niſa feretro,
Et pullis aderat pompa vocata togis.
Iam Niſæ loculos fervens excuſſerat hæres;
Servataſque alibi ſollicitarat opes.
Quæ facerent lætas Cerealia pocula menſas,
Clauſerat in ſerum provida cura diem.
Iam Niſam tumulus, Niſam veſpillo petebat,
Poſcebat pretium præfica mœſta ſuum.
Cum pater extremùm viſurus funera Niſæ,
Attonitus Niſam pernegat eſſe ſuam.
Altera defertur, ſimili ſed nomine, Niſa,
Alteraque exequias turba ſecuta facit.
Ipſa thoro recubans, fallacis funeris offas,
Et mortis guſtat poſthuma dona ſuæ.
Ipſa bibit vivens, quas hæres emerat, undas;
Quemque ſuo tumulum ſcripſerat ære, fugit.
Error habet gemitus, errant in funere ſumptus,
Falluntur tumulus, præfica, pompa, togæ.
Creditus abſcedit: fit, qui non creditus, hæres:
Hic gaudet factus lautior, ille dolet.
Sic triſtem ſocco commutat Niſa cothurnum,
Et tragicum læto fine coronat opus.
Invida ſi vivos mors fallere novit amicos,
Miraris vivis, Lector, abeſſe fidem?

IN

IN
PHYSICAM
GILBERTI IACCHÆI
ad imitationem iſtius Claudiani:

Iuppiter in parvo cum cerneret æthera vitro, &c.

IVppiter ut parvo deſcriptum in cortice mundum
Vidit, & immenſas, quas habet orbis opes,
Ardua miratus docti molimina ſenſus,
Dixit ad indigetes talia verba Deos:
Huccine mortalis progreſſa ſcientia curæ?
Iam meus, heu, vili venditur ære labor.
Naturam, cauſæ genios, motumque locumque,
Et ſemper fluxos temporis articulos;
Miſtaque, & aërio naſcentia ſpectra theatro,
In tabulas ſapiens transtulit arte ſuas.
Æmula decertant foliis elementa ſub iiſdem,
Alternantque ſuas morſque ſaluſque vices.
Sanctius hic animal mentiſque capacius altæ
Præſidet, & rerum ſceptra capeſſit Homo.
Infima cum ſuperis coëunt æterna caducis,
Vaſtaque naturæ corpora lector obit.
Iamque novi ſpectans Ratio compendia mundi
Gaudet, & exiguo tempore cuncta capit.
Quid miror ſolos humeris qui fulſiit axes?
Qui cœlum & terram fulſiit unus, adeſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

IN METAPHYSICAM
Clariſſimi Viri
GILBERTI IACCHÆI.

QVi modò Naturæ ſpatium dimiſſus in amplum,
Hanc dederas ſpatio ſed breviore capi,
Nunc ſuper ingentis flammantia mœnia mundi,
Vaſtaque Naturæ corpora raptus abis.
Ignea vis animi major ſe attollit in annos,
Nec deſiderii ſtat ſatur ipſa ſui.
Faſtiditur humus, nec tantis ſufficit auſis,
Et novus in Superum quæritur arce labor.
Angelicos regina choros Sapientia pandit,
Et cœli tacitas diva recludit opes.
Pulchra Boni facies, & ſponte adamabile Verum,
Cunctaque quæ craſſà nomina mole carent,
Hic referunt obſcura ſuos te vindice ſenſus;
Vixque aliud, quod jam mens meditetur, habet.
Vnus adhuc toto reſtabat in orbe Creator,
Et tua quod caperet pagina, Numen erat.
Scribitur ecce Deus, ſed non niſi nomen & umbra;
Diſcitur, at quid ſit, neſcia terra ſtupet.
Qualis ad illuſtrem cœcutit noctua Phœbum,
Quemque videt clarum non capit ægra diem.
Omnia veſtigas mortali pervia curæ,
Atque, aliqua ſaltem qua datur ire, ruis;
In tua dum Iacchæe redis primordia, quique
Principium eſt, Sophiæ ſit quoque meta tuæ.

Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Ad

CONSTANTINVM HVGENIVM EQVITEM,

Poëmatum ſuorum libros Latino, Gallico, Italico, & Belgico ſermone edentem.

O Celle Batavûm, ſidus Itali ſoli,
Britanna Phœbe, Suada gentis Gallicæ,
Cultor Latini nominis, togæ decus,
Et inquieti digna portio fori,
Sodalitatis eruditæ corculum,
Omniſque plena pyxis elegantiæ,
Quem magnus ille triplicis regni pater,
Hæreſque Eliſæ regia tangens manu
Vulgi profanis ſegregavit cœtibus,
Et invidendo conſecravit ordini:
Vt quùm diſertis implicaris vatibus,
Chartaſque volvis, & levem Gnidi Deam,
Nixumque centum fraudibus Cupidinem
Doctè flagellas, nominis tanti memor,
Equitumque famæ, nobiliſque ſanguinis,
Dextram labanti commodares patriæ:
Quò te Poëtam raptat inſolens furor
Tuæ Camœnæ? quæ Thalia, quis novo
Grandes cothurnos Phœbus aptavit pedi,
Nec uſitatâ ducit in cœlum viâ?
Non ſic priorum lingua Belgarum ferax
Seſe locutam meminit, ipſe quùm ſuis
Leges Cheruſcis ductor Arminius daret.
Non victor iſto VVeſtphali gentem ſoli
Affatus ore eſt, quum cruentis cædibus
Aquilas Quirini terra ſtraviſſet ferox,
Poſitumque longè Roma ſentiret malum.
Tu barbarorum verba Celtarum ſagax

Nobis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Nobis recudis. tu propinquos Nereo
Populos virenti laureâ vates beas,
Latiumque reddis Belgio, Cirrham mari,
Helicona Cattis. tu Caballinos doces
Potare fontes ſalſa regna Thetyos,
Clariiſque lymphis ora Teutonum lavas.
Seu quùm ſtupendus veſperas amantium,
Vmbraticæque porticus deliria,
Nemoriſque grati baſia, & murmur ſacrum
Cantu revelas: ſive moribus juvat
Ineptientis ſeculi naſum dare,
Fluxaſque ſemper veſtium lacinias,
Et implicatos perfricas braccæ ſinus.
O flos virorum, debitum cœlo caput,
Secretioris magne poſſeſſor Dei,
Animæque grandis hoſpes, & Iovis labor,
Quàm nos, & omne, quicquid eſt vatum uſpiam,
Poſt te relinquis, totque ſcriptum gentibus
Nec æmulandum poſteris cantas melos!
Eſt, cui perennis fœnerat famæ decus
Germana Pallas, & perunctus fecibus
Tumultuantis vultus ultor Velſii.
Fuit Secundus, quem venuſta, quem jocans
Neæra blandis vellicavit oſculis,
Suuſque Latias traxit in Muſas furor.
Sunt queîs Süaves Sequanæ placent Deæ,
Ligeriſque Siren. cuncta conceſſit tibi
Natura ſolers, dum quadruplici ſono
Apollinaris plectra barbiti quatis.
Sic altiores uſque ſpiritus gerens
Affaris omnes, Belgiique terminis
Exis poëta, nunc Latinorum Albulam,
Nunc blandientis pocla Matronæ bibens.
Mox te Britannus verba conantem ſua,
Et cernit Auſon, Italoque Vandalus
Permixtus ori. nulla non civem ſuum

Te

Te terra credet, nulla non vatem colet.
Quò plus laborum reſtat, & ſe latiùs
Diffundit Helicon, impetus urges tuos,
Novâque laudis pectus accendis face,
Nec ſcire non vis, ſcire quod mundus poteſt.
Qualis per alta montium cacumina,
Libyæque valles impotens ſui ruit
Ferox leæna, cui perurens Sirius,
Aut cura raptæ prolis indomabiles
Accendit iras. illa fontis limpidi
Veſtigat ortus, omne ſcrutatur ſolum,
Nec antè ceſſat, quàm repertus diſpulit
Inſanientem Nilus aut Nigris ſitim.

Vrbium præcipuarum

HOLLANDIÆ

ENCOMIA.

DORDRECHTVM.

A Me Battavicus ſuffragia prima Senatus,
Conſiliiſque petit provida verba ſuis.
Quondam merſa mari mediis emergere nitor
Fluctibus, & ſiccos Veſta reducit agros.
Neptunus cedit Cereri, fluitantia Fauno
Numina, & æquoreus fit minor uſque Deus.
Merva meis miſcetur aquis: hoc Linga profundo
Labitur, & Vahalis flumina Moſa bibit.
Huc Tongri merces, & ferri munera mittunt,
Et Nemetes plenis muſtea vina cadis.
Pomifer Autumnus mediam tranſmigrat in urbē,
Vaſtaque Eburonum marmora cæſa jugis.
Quiſque ſuas largitur opes, & dona miniſtrans
Diſtrahit imperio munera tanta meo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Virgo vocor, quondam furiis illæſa Brabantum.
Solaque libertas mœnibus hiſce ſtetit.
Tunc Batavas inter vigui non victa ſorores,
Vnaque dum manſi libera, prima loquor.

HARLEMVM.

Victa Pharos, fractiq; obices, & vincula Nili,
Et Peluſiaco littore fixa ratis,
Serratique mihi recitant encomia dentes,
Et procul externo ſidere ſurgit honos.
Invidet excuſas populoſa Moguntia Muſas,
Quodque meum eſt, laudis jactitat eſſe ſuæ.
In me alium ſolers Batavus miratur Apellem,
Pictaque Parrhaſiâ ſubdola vela manu.
Inventis arguta meis accedit Arachne,
Dædaleoque ſuum pollice texit opus.
Arma Toletani ſenſi crudelia Martis,
Incubuitque meis civibus atra fames.
Nec ſatis eſt pugnaſſe viros. his maſcula portis
Pro patria mulier ſtat cataphracta ſuâ.
At fruſtrà me Delpha juvas. ſum præda Philippo,
Barbaricus victa miles in urbe furit.
Hæc didici, voluique pati. nunc adſpicis hoſpes
Tempora fortunæ proſperiora meæ.
Hîc mihi vicinâ Nereus admurmurat undâ,
Et propiùs colles tollit arena ſuos.
Illic umbroſis ſe condit Delia lucis,
Explicat & lætas arbor opaca comas.
Diviſam me Spara ſecat, qui laxior undis
Fit lacus, & vaſtis luxuriatur aquis.
Arridet Natura foris. ſed doctior in me
Æmula Naturæ crebra reperta manus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

DELPHI
in Batavis.

NOn ego fatidicis oracula ſuggero Delphis:
Aut mea falſiloquus mœnia Phœbus habet.
Ætherei reſponſa patris do civibus, & me
Relligio, Grajûm non beat iſte furor.
Infelix rapidis flagravi tota favillis,
Cum rogus, & ſimplex nil niſi flamma forem.
Condiderat tantos ſecura oblivio caſus,
Cum Patriæ media concidit urbe pater.
Quid rides Hiſpane? tui quoque nominis umbram
Cernimus, atque iſta cæde Philippe cadis.
Venales animas in mortem inſontis acerbas,
Venditur at precio regia fama ſuo.
Nunc tu Belga duos uno ſub marmore Martes
Adſpice, Naſſoviæ nomina magna domus,
Mauritium Patremque Duces: hæc numina ſenſit,
Et tutelares terra Batava Deos.
Sed magis Henricum fuerit genuiſſe. quid horres
Cantaber? en patrii funeris ultor adeſt.

LVGDVNVM.

CRevit ab Auſoniis olim mihi fama triumphis,
Et victrix de me præmia Roma tulit.
Reddidit ereptos fugiens Hiſpan⁹ honores,
Dum pro me totus militat Oceanus.
In me terra famem, querulos diſcordia cives,
Et falces acuit mors furibunda ſuas.
Vix nocuit ſecurus Iber. quas ſtruxerat arces,
Deſerit, & pavidos excipit unda pedes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Dum patriæ pars magna perit, conſervor ab illa;
Totaque ne pereat, ſic periiſſe cupit.
Nunc mihi Apollineos meruit ſors iſta receſſus,
Martiaque imbellis mœnia Phœbus habet.
Præ lituis pax alma placet; præ milite Pallas,
Linguaque Romanos apta referre modos.
Sit bellum ſenſiſſe ſatis. jam prælia dicto,
Et mea facundis vocibus arma lego.
At mihi plus debet Pietas: dum pellitur exul
Flandria, & hoc gaudet vivere tuta ſinu.
Hoſpitium cum dem profugis, atque otia Muſis,
Vis dici doctam me magis, anne piam?

AMSTELODAMVM.

VRbs ſpacioſa, potens opibus, tectiſque ſuperba,
Viribus invidiam, crimina lege domat.
Civibus aucta novis nunquam ſtat finibus iiſdem,
Latius expanſis mœnibus hoſpes abit.
Invertas, ſit tota nemus. quo condita fundo eſt,
Nuper Hyper boreo pinus in orbe fuit.
Quicquid mortalis fingit ſolertia curæ,
Vel natura ſuo parturit alma ſinu,
Illa dabit, totoque parans commercia mundo
Nunc emere, & totam vendere ſemet amat.
Has adfert, has trudit opes. ſic lucra parantur.
Quid valeat fraus, ſors, ars, mare, terra, docet.
Moſchus, Arabs, Perſæ, Maurus, Iudæus, uterque
Quod ferat huc, rurſuſque auferat, Indus habet.
Hanc dum mundus adit, mundumque hæc ipſa pererrat,
Non urbs fixa loco, ſed vagus orbis erit.

G O V D A.

I Sala ſi cedat Vahali, Rhenuſque bicornis
Hæc quoque nata ſuis flumina jactet aquis:
Attamen hunc tectis exornat Gouda ſuperbis,
Læta ſitu, ſtudiis æmula, clara viris.
Hinc natura ferax, illinc concordia cives
Nec ſinit aut inopes, aut nocuiſſe malos.
Templa parat ſpatioſa Deo: nec quilibet illi
Horrendi culpam criminis error habet.
Bella premant alias, hæc eſt ſecurior, urbes,
Nec placidos turbant tympana rauca lares.
Exulat Odryſius, litui, Bellona, triumphi;
Hæc manſueta piæ gaudia pacis amat.

ROTTERODAMVM.

INclyta veliferus pulſat mea mœnia Moſa,
Parte aliâ placidis Rottera lambit aquis.
Occiduum latè commercia porto per orbem,
Gallia quas poſcit, quaſque Britannus opes.
Hic meus Auſonii vindex ſermonis Eraſmus
Vagiit, & cunis abdidit ora ſuis.
Mæoniden jactet Colophon, Verona Catullum,
Sufficit ad laudes hunc genuiſſe meas.
Nunc tantum fragili veneror ſub marmore numẽ,
Dum ſilet in medio lingua diſerta foro.
Quem genui, Baſilea tegit, Sapientia fatis
Eximit, & cineri vult ſupereſſe ſuo.
Me timet Hiſpanus, timuit grex barbarus ipſum:
Ille meis victus claſſibus, hic calamo.

GORICHEMVM.

ADſpicit invictis hanc cinctam mœnibus urbem,
Quem Vahalis, vel quem flumine Linga vehis.
Adſpicit Heſperiis quæ propugnacula bellis:
Quàm fremat excuſſis machina crebra pilis.
Adſpicit adverſo quantum ſe opponat Ibero,
Invigiletque ſuis Martia dextra focis.
Sic didicit bellare ſibi. nec milite ſolum
Tuta, ſed ipſa ſuis civibus eſſe cupit.
Erkeliis quondam ſubmiſit ſceptra Dynaſtis:
Hæc quoque jam damnans nomina, tota ſua eſt.
Cur toties Batavum depingis Belga leonem?
Qui patriam cuſtos aſſerit, iſte leo eſt.

BRIELA.

ADſpice vicinam noſtro de littore Thetyn,
Hîc ubi Moſa ſuis laxior exit aquis.
Briela vocor, feſſis ſtatio ſecura carinis,
Nunc quoq; Vorniaci gloria prima ſoli.
Najades hinc, illinc agreſtia numina Fauni,
Et fecunda meos ſpectat Eleuſis agros.
Albano ſurrepta Duci crudelia ſprevi
Imperia, & faſces Bætica terra tuos.
Aprilis lætas faſtis inſcribe Calendas
Belga, nec hoc optes non ſuperaſſe die.
Scilicet illa dies, qua me vicere Batavi,
Vlterius vinci noluit Auriacum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

ALCMARIA,

TOta paludoſis Alcmaria ſurgit in undis,
Pulchraque, Veronâ depereunte, nitet.
Ne Latium præfer Bajas, aut Theſſala Tempe
Græcia, vel campos Brixia terra tuos.
Proxima Nereidum ſpumantes adſpicit undas,
Proximaque umbroſas ſpectat Hamadryadas.
Serica Sidoniis decurrant ſtamina portis,
Hîc laſſant Batavas linea fila manus.
Quæque tegant nudos velamina ſufficit artus,
Et memores primi nos cupit eſſe mali.
Heſperios ſprevit bellis infracta furores,
Bæticaque affuſis caſtra fugavit aquis.
Pugnavere viri. ſed & hîc (ſpectaſtis Iberi)
Femina pugnanti porrigit arma viro.

HORNA.

FOrtia, cantatus quondam, mea mœnia Flevus
Alluit, & portus verberat unda meos.
Æmula me vultu ſpectas Enchuſa ſiniſtro,
Et cauſam litis me cupis eſſe tuæ.
Accipe placatas æterno fœdere dextras,
Dum pereat junctis viribus hoſtis Iber.
En tecum commune ſalum, commune profundum
Navigo, & in mediis pabula ſector aquis.
Iam mea Cimbrorum redimunt commercia terræ,
Fœtaque Gotthorum carbaſa portus habet.
Nunc onerat noſtras pelagi captura carinas,
Terrenoſque fovet præda marina Deos.
Me ferit, & lædit: me ſervat ab hoſtibus æquor.
Sic ſervaſtis aquæ, ſic nocuiſtis aquæ.

ENCHV-

ENCHVSA.

ARcta frequensq; domus nomen mihi fecit & urbem,
Primaque contemptæ tecta dedere caſæ.
Navita me jactat pelago, mea rura colonus
Laudat, & hinc terra claudimur, inde mari.
Abſcidit adverſas à noſtro littore gentes,
Et Friſios mediis dividit æſtus aquis.
Albani ſprevi furias, nec victa tyranno
Oceani proles intemerata ſteti.
Pandit vaſta meis Neptunus regna carinis,
Et procul à patriæ ſedibus exul eo.
Quæro foris, quæ parca domi natura negavit,
Quæque domi tribuit plurima, porto foras.
Belga tuos mirare Deos. dum munera mundo
Dividis, ex alio ſidere plura refers.

GERTRVDIS MONS.

NEſcio, num claris Brabantûm debear oris,
An me Battavici vindicet ora ſoli.
Quicquid erit, noſtris ſociavimus ora Batavis,
Nec procul à Mervæ belligeramus aquis.
Vendita ſum ſceleris precium: ſed victa triumphi.
Quam diſtant meritis victor, & emtor Iber?
Magna ſuum quondam me dixit femina montem,
Nunc Martis potius Mons & arena vocer.

HAGA.

SEdes priſca Ducum, non urbs, tamen urbibus ipſa
Major, & à Batavo principe nomen habens:
Sto Thetyn Faunumque inter.latus inde procellis,
Parte alia umbroſum robore cincta latus.
Hîc Themis, & ſacras loquitur Prudentia leges,
Et trepidos inſons excipit aula reos.
Hîc edicta Patrum, & magni decreta Senatus
Colligit, & patriæ proſpicit una ſuæ.
Auriacuſque meis accedens laudibus heros,
Altius auguſtum tollit ad aſtra caput.
Quas aquilas, quæ ſigna vides, vexilla, triumphos,
Hæc ſunt Naſſovia parta trophæa manu.
Cum ſociæ pugnant urbes, pugnantibus adſum:
Et partem pugnæ, conſuluiſſe, puto.

Ad

CONSTANTINVM HVGENIVM,

cum Itinerarii ſui Italici copiam mihi feciſſet.

QVas tu cunque vias pedibus, ſum mente ſecutus,
Et potui peregrè lector, & eſſe domi.
Vidimus externas nullo diſcrimine gentes;
Nec mihi vel currus, vel fuit unda gravis.
Non coram infido tremui latrone viator,
Aut nocuit capiti roſcida Luna meo.
Viſa fuit mediis ſuſpenſa periſcelis aſtris,
Illa Palatini faſcia clara ducis.
Nec tamen aut greſſus manſere pericula noſtros,
Aut feſſum timidi detinuere gradus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Tecum Teutonicas etiam conſcendimus Alpes,
Alpinæ nobis nec nocuere nives.
Et tetigi Allobrogas, nec noxia nomina Rhætos,
Nec fuit infeſtis Adria ſævus aquis.
Ora mihi videor Venetûm ſpectaſſe Senatus,
Nec tamen abſentes erubuere genæ.
Hæc ego dum luſtro Batavis tranquillus in oris,
Et tua ſecurum pagina monſtrat iter,
Exilii ſpatia ampla mei, Vir magne, tuique,
Et procul à patria diſſita regna lego.
Vivimus extorres pariter, Superûmque remoti
Sedibus, in terris gens peregrina ſumus.
Reſtat iter magnum. Cœlum properamus ad unũ.
Hæc patria, hæc totum poſſidet aula Deum.
Illic perpetui current in ſecula menſes,
Nec breve faſtorum dextera ſcribet opus.
Illic ſub pedibus, tellus, mare, ſidera, reges,
Oppida, terra, duces, aula, Senator erunt.
Quique mihi narras levium ſpectacula rerum,
Adſpicies vitæ non pereuntis opes.
Ipſe ego, dum ſedes iſtas & limina verſo,
Alterius moneor jam meminiſſe viæ.

In militum ducem peculatus reum, & nobilium inſignibus elatum.

QVi patrios ficto defendit milite vallos,
Publicaque infami diruit æra manu:
Ficta ſuis moriens promittit ſtemmata buſtis:
Poſtque obitum vana nobilitate tumet.
Scilicet, ut ſcurræ furtum jam clarius eſſet,
Efferri claro funere ſcurra cupit.

In eundem lue Venerea extinctum.

QViBatavum potuit bellator fallereMartem,
Et titulis ſimulat nobile ſtemma ſuis,
Iuſtior unaVenus mutilatum corpore toto
Stravit, & ulterius noluit eſſe virum.
Ficta Deo, non ficta Deæ ſacraverat arma,
Dumque nocet geminis, diſperiit geminis.
Vlta fuit belli ſcelus officioſa cupido,
Debuit hoc Marti Cypris amica ſuo.

In amatorem ſuperciliosum

ACcedis Batavas, mi Bartholomæe, puellas,
Et tamen hoc audes dicere: Nulla placet.
Accedis Friſias, mi Bartholomæe, puellas,
Perſiſtiſque iterum dicere: Nulla placet.
Accedis Valachras, mi Bartholomæe, puellas,
Pergis & hic eadem dicere: Nulla placet.
Nec tibi Brabantæ poſſunt placuiſſe puellæ,
Flandrica nulla tibi, Geldrica nulla tibi.
Virgine ſic nullâ, mi Bartholomæe, potiris.
Vis cauſam? nulli tu placuiſſe potes.

In infelicem cuniculorum Venationem.

QVantus in æquoreis gradiar venator arenis,
Quà ſteriles longè ſemita ſulcat agros,
Dicite Hamadryades: veſter nam terror habebar,
Terribilis famulis, terribilis canibus.
Dicite crudeli toleratos ſole calores,
Funereamque mihi dicite penè ſitim,
Pocula cum ſiccæ peterent Acheloia fauces,
Et tamen hæc eadem pocla negaret ager.

Dicite

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Dicite mille feras, veſtigia mille ferarum,
Et quæ mille ſuis vidimus antra locis.
Dicite quæſitam magno molimine prædam,
Dicite decurſæ jugera multa viæ.
Omnia Hamadryades cum dicitis, iſta ſilete:
Nulla quod in toto ſit fera capta die.

In Taurum hoſpitem.

TAure pater, tecum tecto cur claudor in uno?
An quia vis mores me didiciſſe tuos?
Ah didici: multaque pater jam prole ſalutor:
Tempus erit mores dedidiciſſe tuos.

Ad Doctiſsimum Virum

THEOPHILVM RYCKWAERT,
Theologum.

QVæ tibi NaſſoviosMajeſtatemque Britannam,
Et patriæ celebrat pagina noſtra Deos,
Ad te nunc, Ryckvvarde, venit. ſi nomina Regum,
Nec Batavi poſſunt ſat placuiſſe Duces:
En Superos, magnumque etiam cantamus Ieſum;
Conveniens ſtudiis laus erit iſta tuis.

Ad præſtantiſsimum Iuvenem,

IACOBVM vander STRATEN.

SI Probitas ſociâ poſſet cum Pallade pingi,
Exprimeret vultus talis imago tuos.
Altera te virtus terris, beat altera cœlo.
Sic gemina nobis laude, Stratene, places.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Ad

GERARDVM THIBAVTIVM,

artis gladiatoriæ Principem.

PYthius à citharâ, laudatur ab ægide Pallas,
Claruit ob pharetras Delia, Caſtor equos.
Ceſtibus eminuit Pollux, Mars belliger haſta.
Clarus Olympiacis eſt Lycus in ſtadiis.
Eſt celebris temone Pelops, peltiſque Camilla,
Arcu Phillyrides, curſibus Hippomenes.
Armat dente minax Neptunum fuſcina, clava
Amphitryoniadem, fulmina ſæva Iovem.
Laus ſua cuiq; hominum, ſit laus ſua cuiq; Deorum;
Laus tua, Thibauti, doctior enſis erit.

In ſcriptorem ineptum.

NVlla tuis quare reddatur epiſtola chartis,
Quæris? ne poſthac ſcribere ſæpe velis.

In eundem.

SÆpius immerito ſolvi ſeſtertia nautæ,
Dum mihi crebra tua littera ſcripta manu eſt.
Ne numerem poſthac nautæ, ſic, Aule, paciſcar:
Vt taceas, cupio plus numerare tibi.

In helluonem.

HEri vocatus venit ad meam cœnam,
Quo nil virorum Sol guloſius vidit,
Nec eſitaſſe plus queat Sagunthinus,
Mutinæque civis, aut Cyclopicus venter,
Orcique cuſtos, & vorax Phari monſtrum.
Lactuca primum ſeſſilis gulæ ceſſit,
Præludiumque vile perna cœnanti.

Strinxit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Strinxit petaces pinguis offa gingivas,
Artocreæque tranſiere fumantes,
Armuſque ovillus dentium minas ſenſit,
Etiam ſcolopax paſta, præda brumalis.
Moxque ore eodem pectus anſeris condit,
Quatuorque turdos, centum edacior turdis;
Quin ſex placentis una bucca diſtenta eſt.
Totque eſculenta diluit tribus tandem
Vini lagenis, & liquoribus coctis.
Poſthac Milonem ne ſuum Croton jactet,
Taurum vorare poſſit hic Milo noſtras.

Ad

IACOBVM PETITIVM,

Advocatum Vltrajectinum.

QVi virtute petis Deûm penates,
Doctis omnibus expetis probari,
Nec quicquam petis, haud tibi petendum:
Non æris malefidus appetitor,
Non laudum maleſanus expetitor:
Quem ſuum Charites, ſuumque Pallas,
Et ſuum Themis, & ſuum ſodales,
Et conjunx petiit, petit, petetque,
Bonis omnibus expetite, qui me
Convivam toties petis petite,
Nomen conveniens habes Petitî.

D. M. OLDISWORTHO,

Illuſtriſ. Penbrociæ Comiti à Secretis.

LAurea grandiloquum cinxerunt ſerta Maronē,
Inque tuis luſit laurea, Naſo, comis.
Vilis honoratum redimivit laurea Flaccum.
Non aliud precium (crede) Catullus habet.

Laurea mellito gracilis decreta Meliſſo eſt,
Lauriger Auſonio ſub duce Strozza fuit.
Talia cantanti ceſſerunt dona Secundo,
Talia Lotichii præmia Muſa refert.
Laurigerum modulans Auratum Sequana vidit,
Cum folia & frondes munera vatis erant.
Oldiſvvorthe, meæ melior fortuna Camœnæ eſt:
Circundant humeros aurea ſerta meos.
Errarunt veteres, nunc erravere Britanni:
Nobilius precium vilior autor habet.

In Laurentium ædium multarum architectum.

DIruit, ædificat toto Laurentius anno,
Et tamen in tota poſſidet urbe nihil.
Centum tecta locat, famaque opulentus habetur,
Quaſque ſuas jactat, debet egenus opes.
At poſtquam factus celebris cornicula Flacci eſt,
Riſit ob has ipſas ingenioſus opes.
Quæ fortuna rapis, non hæc mihi ſurripis, inquit.
Reſtituis dominis ſeriùs illa ſuis.

In Ponticum.

DEns tibi diſtorto tàm grandis prominet ore,
Vt dentem Arcadici vincere poſſit apri.
Hoc tu dente voras, hoc ictus dente repellis,
Hoc te terribilem dente puella timet.
Et tamen in dentem quoties convitia torquet
Scopticus, imbellis Pontice, dente cares.

In cœcum, inter equos Valckenburgi ambulantem.

PEr fora magnanimis latè celebrata caballis
Ambulat, & ſtreperis cœcus inerrat agris.
Inter equos graditur, laudatque ferocia colla,
Terribileſque comas, compoſitumque gradum.
Non oculis opus eſt ultrà tactuque probari:
Num ſint degeneres, olfacit unus equos.

In hominem ianuæ ſuæ perpetuò incumbentem.

SEmivir adſpiceris populo, nec cerneris ultrà;
Dividit & dominum janua ſæva ſuum.
Neſcio num Siren, vel ſis Nereia piſtrix,
Abſumatque tuos integra cauda pedes.
Neſcio, num femur, & ſuras, & prælia talos
Abſtulerint; num ſis loripes, aut quadrupes.
Neſcio num vir ſis, num femina; ſi modò ſexum
Corporis è media noſcere parte datum.
Forſitan anguineos imitatur tibia flexus,
Cruraque ſerpentum languida more trahis.
Eſſe potes Minotaurus, Chironque caballo
Mixtus, & è Lapithûm gente creatus eques.
Eſſe potes Pan Arcadicus, Faunuſque vocari
Semicaper, quin & Cyllarus eſſe potes.
Pande fores; potero jam tunc cognoſcere quid ſis,
Aut te, ſi renuas, ſuſpicor eſſe Caprum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

In Grollam à Principe FREDERICO HENRICO *obſeſſam & victam.*

QVæ toties de me meruit fortuna triumphũ,
Hoc iterum ſpectat caſtra Batava loco.
Materies ſum claraDucũ;laudumq;palęſtra
Auſtriacos inter luctor & Auriacos.
Et ſimul impatiens pacis, dominique prioris,
Vt vincar vincor; munior, ut peream.
Quid, Frederice, truces immittis turribus ignes,
Sulphureiſque quatis mœnia noſtra globis?
Do tibi victa manus. nobis ſi infamia vinci eſt,
Auſpicium famæ Grolla futura tuæ eſt.

In adventum Principis FREDERICI HENRICI *ſub veſperam, poſt ſuperatam Grollam.*

DVm nova Battavico tibi parta eſt laurea bello,
Excipit & reducem patria læta Ducem,
Veſper erat, Phœbusque ſuos jam merſerat ignes,
Æthereæque polo delituere faces.
Phoſphorus indoluit tantis decreta triumphis
Publica ſubjecta gaudia nube tegi:
Ipſaque tum tenero ſuccreſcens Cynthia cornu,
Optabat fratris lumine poſſe frui.
Tota tamen feſtis collucent compita flammis,
Quemque negat cœlum, dat tibi Belga diem.
Fac etiam nullo tenebras ſplendore fugari;
Sat Batavis noctes, Te veniente, micant.

De

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

De eodem

PRINCIPE AD ISALAM.

ISala, qui magno debes tua flumina Druſo,
Iſala, Romani grande laboris opus;
Redde Ducem Batavis, cujus victricibus armis
Tutus inoffenſis exſpatiaris agris.
Vtraque ſecuris calcatur ripa colonis,
Et procul à patriæ finibus hæret Iber.
Quem tibi pugnantem ſocii concedimus, illo
Pacato liceat jam modo poſſe frui.

IN PRAETORIVM

EIVSDEM PRINCIPIS,

quod in agro Delphenſi viſitur.

SPlendida Romano ſurgant Capitolia luxu,
Luceat æthereo vertice celſa Pharos.
Ammonii delubra Iovis, Triviæque penates
Afer & Argolicus tollat in aſtra labor.
Erigat ipſa ſuas generoſa Semiramis arces,
Feminaque exſtincto buſta ſuperba viro.
Adſpectent Siculos Cumana palatia fluctus,
Tectaque Bajano conſpicienda ſinu.
Ceteraque immenſo tumeant prætoria cenſu;
Ampla ſatis domino eſt quælibet aula ſuo.
Illa capit Circen, magnum capit illa Neronem,
Tectaque Lucullum, vel ſpatioſa, tenent;
Illa tamen, Frederice, tibi quæ ſidera lambit,
Virtuti domus eſt non ſatis ampla tuæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Ad nobiliſs. & Matheſeos peritiſsimum Virum,

GODEFRIDVM de HAESTRECHT,

volantes aves baliſta dejicientem.

DVm medium tranant veloces aëra mergi,
Diſcolor & ſummis nubibus hæret avis;
Dejicis ærata volitantia corpora glande,
Doctaq; ſuſpenſũ machina ſternit onus.
Icarus hoc faciat, vel fultus Dædalus alis;
Nil mirum, pennam penna ſecuta premit.
Prendat avem Stygiâ Dæmon virtute vel aſtu;
Res facilis; nullo corpore ſulcat iter.
Tu volucres ima poſitus tellure repoſcis,
Et via, quæ nobis invia, certa tibi eſt.
Nil tutum Natura tuæ jam ſubtrahit arti,
Aut proprias uſquam provida ſervat opes.
Omnia rara facis. metiris ſidera, terram,
Et victi ſpoliis ætheris unus ovas.

In effigiem Cl. Viri

PETRI SCRIVERII.

HÆc eſt Battaviam vatis ſcribentis imago,
Sic poterit peregrè, ſic placuiſſe domi.
Oſtia cui Rhenus, cui debet Corbulo foſſam,
Et dominos dictat Belgica terra ſuos.
Bilbilicos legimus tali cenſore lepores,
Et lumen Senecæ grande cothurnus habet.
Tempora qui reddit, nulli ſua tempora pendit,
Ingenioque cupit liberiore frui.
Scilicet Aonias gratis qui vindicat artes,
Præmia doctrinæ deſpicit empta ſuæ.

ELO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

ELOGIA
aliquot
POETARVM LATINORVM.

Ennius.

HIc me, Naſo, rudem; quamvis tu cultior arte,
Te Scytha, me claudunt marmora Scipiadum.

Plautus.

Cur te Plaute legunt omnes? quia credimur & nunc
Materies cuncti carminis eſſe tui.

Nævius.

Qui potuit ſoccum verbis vincire Latinis,
Hunc audes vinclis ſtringere Roma tuis?

Pacuvius.

Prima cui debent ingentem ſecula famam,
Vltima ne ſpernant ſecula Pacuvium.

Lucilius.

Perſtrinxit primus Satyra Lucilius orbem:
Qui ſcribat Satyras ultimus, ecquis erit?

Menander.

Nec lenone carent Batavi, nec Thaide: quare,
Nunc quoq; quod ſcribas, docte Menandre, datur.

Lucretius.

Hic Phœbi furiis, furiisque exarſit Oreſtis.
Quàm præſtat ſolis verſiculis furere!

Virgilius.

Non magis auguſtus potuit ſub Cæſare vates,
Nec magis Auguſto Cæſare digna loqui.

Ovi-

Ovidius.

Iudice ſim quamvis damnatus Cæſare: pœna
Abſolvar, cauſam ſi modò dicat Amor.

Horatius.

Omne vafer vitium ridenti dicis amico.
Sed dicet vitium Lydia ſola tuum.

Catullus.

Si cantare Iovem proprios fas eſſet amores,
Hoc, & non alio poſceret ore loqui.

Tibullus.

Cur tibi Sulpiciæ, tibi cur placuere Neæræ
Baſia, quem Muſæ deperiere novem?

Propertius.

Cynthia te vatem fecit, laſcive Porperti,
Ingeniumque tibi ſola puella dedit.

Lucanus.

Cui minus hiſtoricus credor, minus eſſe poëta,
Me minor eſt vates, & minor hiſtoricus.

Perſius.

Martia ſub crudo tremeret cum Roma Nerone,
Incœpit crudo Perſius ore loqui.

Martialis.

Ne Feſcenninum, lector, contemne poëtam:
Nam, quæ non facimus, ſit ceciniſſe parum.

Claudianus.

Te ſequimur Phario vates celebrate Canopo:
Solaque laus noſtri carminis, umbra tui eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

ÆNIGMATA.

Liber.

MAgna mihi rerum vis eſt, vis maxima vocum,
Et tamen hic vili venditur ære labor.
Ignarus doceo, credor ſine voce magiſter.
Cum proſum, taceo: non ſapiens, ſapio.
Sæpius exuror, dominis peccantibus, inſons
Victima, nec culpæ conſcius ipſe meæ.
Veſtior exuviis, vinclis conſtringor ahenis,
Et tandem tineis vermibus eſca teror.

Eadem vox.

INtegra ſi fuerim, potero placuiſſe Latinis,
a Principium tollas, diſpliceam Batavis.

a Iber.

Farcimen.

TOta mihi teretem mentitur forma cylindrum,
Et fæta in medio ſus mihi ventre latet.
Quam me Belga colit, tam me faſtidit Apella;
Heu quam diſſimili ſpernor amorque fide!
Non mihi ſupplicium, non mors decernitur una.
Mergor aquis, flammis torreor, ore voror.

Oſculum.

PRima mihi lepidis blanditur portio dictis,
Poſterior fœdo vilis odore mihi eſt.
Prima trahit vitæ cauſas, exſibilat illas
Vltima. (crede) fuit, qui caret alterutro.

Colus.

CIngit lana caput, contortaque viſcera corpus,
Parte mei moveor, parte quieſco mei.
Quos ſine me nudos paupertas detegit artus,
Hos opibus per me dextera fulta tegit.

Lin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Lingua, manus, digiti, facto glomerantur in un
Decedens capiti gloria finit opus.

Ocrea.

HOc decus, hos habitus priſci petiiſtis Achivi,
Mæonidæque meo nomine charta tumet.
Bos, vituluſque fui, quæ carpſi gramina, calco:
Et premo, quæ timui, colla minacis equi.
Me faſtus documenta ſui cupit eſſe Batavus,
Et Martis propriam me ſtudioſus amat.

Pluteus.

QVæ fueram duris infeſta bipennibus ilex,
Nunc domini cuſtos abdita ſervo mei.
In me demorſo vates ſacer ore recumbit,
Ingeniique ſagax expedit auſa ſui.
Aonidum me laſſat opus. laus unica nobis,
Doctorum celebres ſuſtinuiſſe manus.

Navis.

INnatat Oceano; cœlo ſpectatur in ipſo:
Ventre premit laxo cærula, dente vadum.
Roſtratas meruit bellis infracta coronas;
Et ſpolium è diti Colchide grande tulit.
a Tolle caput, volitat; *b* ſublato ventre tyrannis
Annuit; audaces *c* tota pererrat aquas.
a avis. *b* vis. *c* navis.

Bubo.

INguina ſollicitat; miſeroſque exaſperat artus,
Cecropiâque frequens viſus in urbe fuit.
Ægida depingit: doctis inſignia præbet:
Stulticiæ pariter ſymbolon, & Sophiæ.
Impatiens Phœbi, mundo ludibria debet:
b Nominibuſque ſimul terret, & *c* ominibus.

a *Bubo tumoris eſt ſpecies apud Medicos.*
b βοῦ. c *Statius:* Feralia bubo Damna canens.

Curro.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Curro.

DIvidor, & membro ſapientia creſcit ab *a* uno:
b Irato reliquum frendeat ore canis.
a cur quærendi eſt adverbium.
b p, canina littera eſt.

Portus.

ADſpicio Solem *c* mutilus, *d* navalia totus,
Sola poteſt læſum flectere *e* cauda Iovem.
c *ortus,* d *portus,* e *tus.*

Ovis.

ME Graii petiere duces: mactavit Apella:
Et toties Superis victima grata fui.
Muta Redemptorem refero: ſine crimine, eundem.
Prata meis reſonant templaque nominibus.
Mille meas Siculo Corydon in monte ſorores
Ducit, & ingenium ſimplicitate probat.
Exuviis nitet aula meis: quid ſtercora damnas?
Stercora delitiis ſunt mea mixta tuis.

Annulus.

OPtima forma mea eſt, Megaræ laudata magiſtro.
Principium paſſim, finis ubique mihi.
Fulgeo, claudo, premo, medeor, promitto, corono,
Geſtor, cædor, amor, do capioque fidem.

Currus.

TRaximus Hippolytum, diſtraximus Hectora magnum:
Et belli quondam pars ſcelerata fui.
Falcatum me Perſa cupit: ſine falce Batavus,
Suſtinui ſtantes altius *f* Æmilios.
Perſephonen rapui: ſcindant vada cærula puppes,
In Batavis etiam pontus *g* arena mihi eſt.
f ſtantes in curribus Æmilianos.
g notatur currus velifer Principis Mauritii.

Penna.

Penna.

Aeriis quondam volitans in nubibus hæſit,
Et refluis eadem viva natavit aquis.
Magnificas procerum decorat, ſed mortua, menſas,
Et tremulam ſummo vertice Teuto quatit.
Præteritos reddit, præſentes prorogat annos,
Invidiam ſeri temporis una domat.
Abſenti loquitur; lædit roſtrata, juvatque:
Dumque aliis vitam fœnerat, ipſa caret.

Sus.

MActatur Cereri, *a* Romanaque federa firmat,
Arcadibus multum culta, *b* peroſa Pharum.
Sordet *c* gemma, roſæ: *d* capiti ſi littera deſit,
Grajugenis fiet, quod fuit Auſoniis.

a Virg. *Cæſa jungebant federa porca.*
b Sus Ægyptiis abominationi erat.
c Proverbium eſt ſacrum: *Margaritas non eſſe projiciendas porcis.*
d ὗς Græcis idem, quod Latinis *ſus.*

Pileus.

ME gaudet pugnax capiti circundare *e* Sparta.
Græcia me teſtem nobilitatis habet.
f Libertas per me Latiæ portenditur urbi:
g Iſtaque Romanus præmia ſervus amat.
Me Brutus, me Galba ſuo ſpectavit in ære:
Ipſe meum vindex pugio fulcit onus.

e Lacones pileati pugnabant.
f patet ex Bruti numiſmatis.
g ſervi manumiſſi Imperatoris triumphantis currum pileati ſequebantur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Venter.

a O Pprobrium Cretæ: tonitrus domus: abdita vitæ
Regia: *b* Mennenî fabula; meta gulæ.

a Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

b *Mennenius orator Romanus fabula de Ventre populum Romanum in urbem revocabat.*

Manus.

N Oxia ſum, ſi bella geram: *a* ſi proluor, inſons:
b Viribus, *c* auxilio, *d* relligione probor.
Oſcula do ſupplex: mihi me permiſcet Achates,
e Rhetoribus laxor, claudor Ariſtoteli.

a *Geſtus abluendarum manuum innocentiæ ſignum erat. Deuter. cap. 21.*

b *Manus pro robore & potentia ſumitur.*

c *Hinc proverbium, manus manum fricat. & apud Græcos,* τὴν χεῖρα ἐπιβάλλειν, *manum admovere.*

d Multa Iovem manibus ſupplex oraſſe ſupinis. *Virgil.* e *Zeno Rhetoricam palmæ, Logicam pugno comparabat.*

Barba.

a Q VidThetis ipſa Iovi? *b* Cynico nonaria vellit?
Quæq; virū pariter res facit, atq; *c* caprū?

a Apud Homerum Iliad. α, Thetys Iovi barbam vellicat.

b Perſius : Si Cynico herbam petulans nonaria vellat. *c Lucretius* barbigeras capellas vocat.

Aqua.

M E ſitiens vates; me torrida prata biberunt.
a Pindaricæ ferio barbita prima lyræ.

Credor Ariſtoteli pars corporis; *b* omne Thaleti.
c Sto, moveor: Tiphyn ſtans fero, mota ratem.

a Ἄριστον μὲν ὕδωρ.
b Thales Mileſius omnia ex aqua conſtare dicebat. *c Glacie conſtricta.*

Toga.

Per me Grajugenûm populis diſcernitur *a* Auſon,
b Bilbilicus raram me volet eſſe ſibi,
c Arma odi, terrenſq; ſagum: *d* peto candida faſces,
Pulla rogum, lætum pura *e* tyrocinium.

a *Romani togati, Græci palliati incedebant.*
b *Martialis:* Lis nunquam, toga rara.
c *Cedant arma togæ.*
d *Toga candida induebantur, qui magiſtratum ambiebant. unde* Candidati *dicti.*
e *Puram togam induebant tyrones forenſes, ipſo tyrocinii die. Lucan. lib.* 7. Pura venerabilis æque, Quam currus ornante toga.

Zona.

a Virginitas dilecta mihi eſt; vinclumque jugale.
Templa mihi mediâ Cecropis urbe patent.
b Ætheris immenſos etiam diſtermino tractus,
At, me qui ſociam perdidit, *c* Irus erit.

a Homerus: Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην. *Catullus:* Qui zonam ſolüit diu ligatam.
b Athenis fanum fuit Solvizoniæ Dianæ ſacrum. vid. Apollonium Argon.
c Ibit eò quovis qui zonam perdidit. *Horat.*

Adamas.

Divities mea grata mihi eſt: damnatur amicæ.
Si libeat, *a* verbum, mox quoq; *b* nomen ero.

a *amas.* b *adamas.*

Leo.

a AVſonias traxi, populo ſpectante, quadrigas,
b Pelidæque meus vultus & ira fuit.
c Partem hominum appoſuit ſtomacho pater ipſe
Prometheus,
d Indomituſque licet, parco tamen domitis.

a *Antonius leonibus triumphavit.*
b *Homerus de Achille;* Λέων δ' ὡς ἄγριος οἶδεν.
c Inſani leonis Vim ſtomacho appoſuiſſe noſtro.
Horat. d Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſ-
ſe leoni. *Ovid.*

Marmor.

IAm a Superos adſpectat ovans: jam b tartara lu-
gens
Reſpicit, obiectis triſte cadaveribus.
Sæpius c illachrymat, d lachrymis ſed flexile nullis.
Dant Ligures, neſcit Belgica, Roma colit.

a *coloſſos marmoreos intellige.*
b *marmora ſepulchralia.*
c Etiam nunc marmora plorant. *Ovid.*
d Ad ſurdum lachrymas nequicquam emittere
marmor.

Tabacum.

NOn bibor, & bibor, & populo ſum potus, &
haud ſum.
Mandor ab Occiduis, nec tamen eſca fui.
Cum bibor, ipſa ſitis creſcit. ſum victima vulgi.
Torqueor, incidor, torreor, uror idem.
Conſedere viri, & conſpecto munere Divûm,
Quælibet exitio eſt dextra reperta meo.
Pars in fruſta ſecant, pars igni humentia ſiccant
Corpora, pars flammas admovet, atque faces.
Otia qui fugiunt, in nobis otia perdunt,
Et magnâ peragunt ſedulitate nihil.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Quo capior, perdor. quo claudor, pellor ab ore,
Noſtraque mox difflat fercula, quiſquis amat.
Quæ mihi, quæ nitidos aperis, matrona, penates,
Præmia tam clari ſputa laboris habe.

Canis.

PRæpoſitus Laribus, Romæ Capitolia Gallis
Prodidit, & facti crimina morte luit.
Hunc Cynici coluere patres. miraris? *a* acutis
Cum verum toties colligat ille modis?
Littera veſanum teſtabitur una *b* furorem:
Signaque qui *c* fidei, nulla pudoris, habet.

a Vide Lipſium in epiſtola de Canibus.
b R.
c Canis, fidei & impudentiæ ſymbolum.

Aſinus.

PArte mei quidam Phrygios ſupereminet omnes,
Solaque litigium corporis umbra parit.
Vapulo, contemnor, nec, cui contemnimur, à me
Diſſidet, ingenio proximus ille meo eſt.
Auriculas noſtras quis non habet? accipe ſacrum
a Phœbe tibi, vel me ſume *b* Priape tibi.
Si ſtolidum plebs eſſe putat; cur turgida quæſo
Doctorum noſtris ſcrinia ſunt *c* titulis?
Si vocat ignavum: cur laſſant tergora merces?
d Nec ſtatuam ſpernit Martia Roma meam?

a Τέρπουσι λιπαραὶ Φοῖβον ὀνοσφαγίαι, Exhilarant *Phœbum pingues epulæ ex aſino.*
b *Etiam Priapo ſacer aſinus.*
c *De Aſino ſcripſit Apuleius, aliique.*
d *Vide Pier. in Hieroglyphicis.*

Naſus.

CÆſar gibboſum, *a* Cynicus me oſtentat aduncum,
Et vates de me nomina grandis habet.

Hac

Hac quì parte valent, credam magis eſſe *b* ſagaces.
Emunctum quiſquis me volet, ille ſapit.

a *Proverbium, naſo aliquem ſuſpendere, pro irridere. Perſius:*
Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.

b *Hominem acri judicio præditum dicimus emunctæ eſſe naris, & apud Oneirocritas, qui ſe magno naſo per ſomnium viderit, magna in rebus agendis prudentia & ſagacitate fore promittitur.*

Lingua.

QVam *a* noceo, quam proſum eadem! ſum peſſima rerum,
Optimaque: *b* Auſonio pulſa, recepta, ſolo.
Mercurio ſum ſacra deo, Samiuſque magiſter
Alligat imperio tempora noſtra ſuo.
c Fulvia, quid fodis exanimem? manet illa ſuperſtes;
Suſpendis roſtris dedecus ipſa tuum.

a *Anacharſis rogatus, quid eſſet in homine peſſimum, quidque optimum, Lingua, reſpondit.*

b *Rhetores Romæ aliquando prohibiti ſunt aperire ludum.*

c *Fulvia Antonii uxor exſectam Ciceronis linguam acu perfodiſſe perhibetur, & roſtris affixiſſe.*

Oculus.

NOmina laſcivo placuerunt noſtra Catullo,
Nomine laudatur virgo puerque meo.
Si vivam, pateo; moriar, ſi claudar. *a* A'θήνη
Me glaucum, *b* nigrum Graja puella velit.

a Γλαυκῶπις Α'θήνη.

b *Apud Græcos in pretio erant nigris oculis præditæ.*

Quercus.

a AVguſti ſtetit ante fores interſita lauris,
b Signaque ſervati ſplendida civis habet.
Triptolemus lætis illam mutavit ariſtis;
Quiq; hominum fuerat, jam cibus ille ſuum eſt.

a *Ovid.* Poſtibus Auguſtis eadem fidiſſima custo[s]
Antè fores ſtabis, mediamq; tuebere quercũ[m].
b *Corona civica ob cives ſervatos è quercu erat.*
c Triptolemus pingui glandem mutavit ariſta.
Virgil.

Lepus.

QVot timidum vexant *a* Hecubę, laſſantque fu-
gacem,
Exſpacior propriis dum ποδὰς ὠκὺς agris?
Me comedat Marcus, formoſum Gallia dicet:
Quin pulpamento diſcet amare meo.

a *canes. Hecubam enim in canem mutatam fingunt poëtæ.*
b *Martialis:* Si quando leporem mittis mihi, Gellia, mandas,
Formoſus ſeptem, Marce, diebus eris. &c.
c *Pulpamento vis effœminandi ineſſe creditur.* Terentius: *Tute lepus es, & pulpamentum quæris?*

Vulpes.

ME fecit natura vafram, ſed fabula Davum:
Cauda Philiſtæos depopulatur agros.
Noſtra leoninæ ſi jungas tergora pelli,
Quæ nequiit virtus, perficit illa dolus.

Corvus.

a IMpatiens ſobolis, *b* venturos nunciat imbres;
c Scenaque ſub tali triſtia voce vovet.

d Hæc

d Hęc quoq; Romanus nõ ſpernat nomina ductor,
Barbara vox quamvis, ingenioſa e gula eſt.

a *Corvi pullos ſuos, ſi quando volandi poteſtatem aſſecuti fuerunt, nido expellere dicuntur.*

b *Corvus imbrium augurium habet.*

c *Proverbium apud Græcos Comicos uſitatiſſimum.* Ἐς κόρακας.

d *Meſſala Corvinus.*

e *Refert Plutarchus, corvos, ſi quando in urnas immiſſis capitibus aquam ſorbillare nequeunt, lapillos conquirere, iiſque in unam injectis, aſſurgente aquâ, ſitim explere.*

Capra.

CVm mihi ſint ſimiles Satyri, Panesq;, quid unus
a Æpolus abſimilem ſe dolet eſſe mihi?
Cur ſculpor priſcis *b* Auguſto Cæſare nummis?
Cur mactor *c* Baccho, diligor una *d* Iovi?

a *Iocus eſt Theocriti:*
Æpolus inſcendi videat ſi quando capellam,
Liquitur obtutu, quod non caper ipſe creatus.

b *Auguſtus ſub Capricorno natus nummos argenteos excudi juſsit cum capricorni imagine.*

c *Capra Baccho immolabatur, quia vitibus noxia.*

d *Iovem à capra nutritum Poëtæ fabulantur.*

Mola.

BRachia ſpirantes laſſant immania Cauri,
Primaque ſum menſæ, prima miniſtra gulæ.
Ala alam feſtina premit, paribuſque rotatæ
Viribus, antevenit nulla, priorque gradu eſt.
Quid procul intentos arces induſtria fures?
Hæc domus, hæc domino regia fure patet.

Olor.

ADſpice *a* fatidicum, quin me mirare *b* poëtam:
Ad vada Mæandri cum cano dulce melos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Induit ipſe meos Orpheus & Flaccus honores,
c Gaudet & augurio navita ſæpè meo.
Quin ego purpureis frenatus colla capiſtris,
d Laſcivam Venerem per loca juſſa traho.
e Candida decrepitæ ſimilis mihi forma ſenectę eſt.
Sed dubito, num ſit Lesbia candidior.

a *ob præſagia mortis.*

b *Notum, poëtas cygni ſymbolo & appellatione ſignificari.*

c *Auguria lege apud Virgil. lib.* 1 *Aeneid. & Cælium Calcag. lib. de naut.*

d *Fingunt poëtæ Veneris currum à cygnis trahi.*

e *Ovid.* Iam mea cygneas imitantur tempora plumas,
Inficit & nigras alba ſenecta comas.

Pavo.

DEformis pedibus, plumis formoſior, Irin
Æmulor, & *a* Samiæ ſum ſacer uſque Deæ.
Cum gradior, quid me dicis matrona ſuperbam?
Non greſſus formæ convenit iſte tuæ.
Cum gradior, quid iniqua pedes virguncula damnas?
Si mihi pes, ſordent vultus & ora tibi.

a *Pavo Iunoni ſacer.*

Gallus.

AVroram clarâ conſuetus voce vocare,
Poſt ſua gaviſus prælia victor ovat.
Non capiti criſtæ, pedibus calcaria deſunt,
Sola gulæ rabies *a* non ſinit eſſe virum.
Non valeant ipſi contrà me ſtare *b* leones,
Ilicet infamis ſed meminere fugæ.

a *ſolent enim caſtrari, ut pingueſcant, in gulæ gratiam.*

b *Ad cantum galli fugit leo.*

Loca

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Loca Bataviæ, unde ceſpes eruitur.

DIc, quibus in terris pereunt ſua rura colonis,
Ipſaque concepto fomite flagrat humus?
Et mox effoſſi vectantur navibus agri,
Naiadeſque natant nunc, ubi Veſta ſtetit?

Cuculus.

OMnia cum *a* timeam, *b* ſociis cum ridear, ecce,
Credor *c* adulterio ſpurcior eſſe meo.
Tempora verna fero, repetitaque carmina canto.
Quid rides? ſimilis tu quoque fortè mihi es.

a *Cuculus avium timidiſſimus.*
b *ludibrium debet avibus & hominibus.*
c *Adulteræ uxoris maritum cuculum vocamus.*

Cicada.

SI cythiſo paſcuntur apes, ego victito rore.
Et mea, ſi dubitas, carmina Thyrſis amat.
Thyrſi Muſa placet, ſoli nocitura magiſtræ;
Vatibus hæc merces debita, certa fames.

Anas.

*a*TOta nato; *b* ſine fronte, natas; *c* inverſa mederi
Te volo: *d* pluralis, ſed ſine fronte, ſtrepit.
e Lamda facit Lanas, *f* latrantum murmura ranas.
Adde *g* ſuem Argolicam, pars mea naſus erit.

a *anas* b *nas* c *ſana* d *nates* e *adde l, erit lanas.*
f *præfige litteram caninam.* g *ad ſyllabam* nas,
adde ὗς, *erit* naſus.

Culter.

PArs bove, ſed ſtricto conſtat pars altera ferro.
Totus taurinis abditur exuviis.
Non uno nocet ille modo, pungitque, ſecatque,
Iſtaque ruricolûm poſtulat arma furor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Formica.

ADſpice fecundis inimicum meſſibus hoſtem,
Et piger exemplum ſedulitatis habe.
a Agricolis pluviam, *b* ſævo mala fata Neroni
Nunciat, at *c* diti proſperiora Midæ.
d Si pennata volet, Veneri jam prompta medetur.
Credimus hoc naſci ſemine Myrmidonas?

a *Vide Suetonium in Nerone.*
b *Midæ dormienti formicæ in os tritici grana congeſſere, ex quo ditiſſimum fore prædictum eſt.*
c *Satyriaſin excitare creduntur formicæ alatæ. Galenus in libro ſecretor.*
d *Nota eſt fabula de formicis in homines mutatis.* hinc ἀπὸ τῶν μυρμήκων Μυρμίδονες ἐκλήθησαν.

Culex.

QValia terribili reſonant fera claſſica cantu,
Terrificos edit *a* buccina noſtra ſonos.
Sum pecudum cuſtos, ſomni gravis hoſtis, & otî,
Et propero, noctu quo properabit amans.
Labra, manus, oculos, & eburnea colla pererro,
Quin magis abſtruſa parte latere velim.
Meque aliquis poterit longè ſentire volantem.
Hei mihi, dum lumen depereo, pereo.

a *Martialis lib. 8. Epigram. de phialâ:* Illa poteſt culicem longè ſentire volantem, *&c.*

Pediculus.

a GRæculus interitu: pedibus ſed glorior Auſon.
Quęq; animi domus eſt, eſt domus illa mihi.
Vt vigilent homines, vigilo: ſum filius otî,
Corporaque infeſto regia dente neco.
Dum capior, perdor; dum non capior, tibi ſervor:
Ferculaque antiquis præbeo phtheirophagis.

b Pigno-

b Pignora cur naſci vobis inviſa doletis?
Naſcitur è quorum corpore tale pecus.

a Græcis φθεὶρ, à φθείρω, corrumpo.
b *Ariſtippus, cauſante quodam, quod filium, quaſi non ex ſenatum projiceret: An vero, inquit, ignoramus, & pituitam & pediculos gigni, quæ tamen, ut inutilia, quam longiſſimè proiicimus. Laertius in vita Ariſtippi.*

Papilio.

NOn hanc bruma rigens, ſed torrida conſpicit æſtas,
Candidulamque, licet ſtercore ſurgat, avem.
a Mellificis infeſta apibus fit præda juventæ
Ludicra, dum toto clauditur à petaſo.
b Cur celerem Cancri chelis, Auguſte, moraris?
Præcipiti gaudent ſceptra ducesque mora.

a *Columella papilionem apibus exitio eſſe ſcribit lib. 9. cap. 14.*
b *Auguſtus Cæſar pro ſymbolo habuit papilionem, cancri marini chelis prehenſum, ut oſtenderet, Principibus convenire lentam feſtinationem.*

Concha.

NOn animal, non planta vocor, vicinior illi.
Tardigradam mediis teſta moratur aquis.
Me legis Oceani ſpolium a dux magne Quiritum,
Nereidesque iſta perſonuere tuba.
Officium mirare duplex: do fercula menſis,
Exuviasque petit ſpurca latrina meas.

a *Caligula.*

Grus.

a ME Palamedis avem: me natam b Strymone ſpecta.
c Cui gula mandenti gaudia longa facit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Occurrit parvis nobis bellator in armis.
  Doctaque litterulas ordine penna facit.
Me veniente ſolo ſulcos inducit arator,
  Me fugiente ferox frigora portat hyems.
Ibycus ut periit, veni juſtiſſimus ultor.
  Diſcitur exemplo cura fidesque meo.
  a *Vid. Lucanum lib.* 5.

Bombyx.

PEnè nihil fueram: jam longam tendor in orbem:
  Nunc eo: mox pennâ liberiore volo.
Iam lateo tectis: mox rurſus liberor iiſdem:
  Nunc dapibus potior: nunc dapibus careo.
Iam piger incedo lentè: jam fila laboro:
  Iam Veneris poſco gaudia: jam fugio.
Vixi, &, quem dederat curſum natura, peregi.
  Fataque dum ſubeo plurima, ſponte necor.
Quodque prius fueram, rurſus diſſolvor in ovum
  Principio fini conveniente ſuo.

D. WILHELMO HERBERTO
Comiti Penbrociæ, Supremo Aulæ Regiæ Præfecto.

SCAZON.

HEROS, Britannæ ſidus inclytum terræ,
Illuſtre regno nomen, & decus ſceptri,
Qui penè ſpretis ſolus annuis Muſis,
Batavoque precium grande feneras vati,
Fautorque laudes aſſeris poëtarum:
Seu jam tiaras purpuraſque ſuffulcis
Neſtor verendus: ſeu remiſſus à curis
Regum labores lubricamque perpendis
Sortem potentum: ſeu receptus in Cirrham
Vatum ſerenis cantibus diem fallis:
  Hunc, qui per atros Nereï venit fluctus,

Vias-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Viaſque longè permeat procelloſas,
Leni libellum; prædicande Mœcenas,
Contingе dextrâ. laudibus tui Regis
Vacat, tuumque nomen exhibet Belgis.
Si plura poſcis, conſecrabo me totum
Tuas ad aras. quoque majus haud poſſum
Donare, dono, mancipoque Barlæum,
Tanto poëtis omnibus minus clarum,
Quanto es Britannis omnibus magis charus.

In Flardingam, Hollandiæ, ut fertur, oppidum antiquiſſimum.

O Stia quæ veteris ſpectas celeberrima Moſæ,
Et gemino fiſſas flumine jungis aquas,
Si Domino, Flardinga, novo, dominâque ſuperbis,
Amſtelioſque tibi præficis una Deos:
Hoſpitio Batavum nunc excepiſſe poëtam,
Pars fuerit famæ quantulacunque tuæ.
Det leges, det jura novus placidiſſima rector,
Tantaque non una commoda prole beet:
Advectet pelago quæſitas navita merces,
Et quadruplex narret fabula priſca decus:
Sis ſapiens, ſis dives opum, ſine mœnibus audax,
Primaque Battavico conſtituare ſolo:
Addimus his precium titulis, totque inter honores
Laus erit à ſero te quoque vate cani.

In obitum Clariſsimi Viri

GILBERTI IACCHÆI,
Philoſophiæ Profeſſoris celeberrimi.

C Onditur hoc tumulo magni facundia Scoti,
Linguaque, ſed poſthac non habitura parem.
Immoriturque iſto rerum Sapientia buſto,
Quoſque viri, cineres hos ait eſſe ſuos.

Claudis

Claudit Socraticos tellus Argiva magiſtros,
Clara Stagiræum Cecropis ora ſenem.
Auſonio recubat Samius ſub littore doctor,
Eoosque tegunt Perſica regna patres.
Sunt Druidum Gallis, ſunt docta cadavera Nilo,
Et ſua Aquinatem terra Bedamque capit,
Atque alibi adverſo Cardani Cæſare manes,
Semideosque tenet nobilis urna duos.
Quos omnes, *Gilberte*, tuo dum pectore clauſos
Subtrahis Auriacæ, te moriente, Scholæ:
Illorum pariter tumulos ac buſta videmus,
Quæque tuo flagrant priſca Lycea rogo.
Sic dum juſta facit Batavus, ſe flere fatetur
Funera funeribus tot ſociata tuis.
Quin fœtus claris Sophiæ doctoribus unus
Dum moreris, cogis ſecula multa mori.

In eiuſdem morbum cum mentis ac linguæ ſtupore coniunctum.

QViſquis in hoc fragili præclarā corpore mentē,
Et velut à magno Numine numen habes:
Ingenio ne fide nimis: facundaque quamvis
Sit tibi, cœleſtes vox veneretur opes.
Æthereæ mentis non delaſſata poteſtas,
Oraque in argutos præcipitata ſonos,
Ingenii vigor, & virtus contermina cœlo,
Cuncta ſimul dominum deſtituere ſuum.
Ne fari tam grande putes. ne noſcere verum
Materies laudis ſit ſpecioſa tuæ.
Quod loquimur, ſapimusq;, Dei eſt. ſi juſſerit idem,
Ilicet elinguis ſtultaque turba ſumus.

Ampliſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Ampliſsimo & eruditionis fama illuſtri viro

HVGONI GROTIO,

Cum Hymnum ſuum in Chriſtum illi transmitteret autor.

CVI prius æquoreis vates demerſus in undis
Materies ſacri carminis ampla fuit:
Si vacat, ingentis præconia perlege Chriſti,
Quodque ſalutiferum jam modulamur opus.
Non hîc diſcordes, vario ſub judice, voces,
Aut malè diſſutæ nomina pacis habes.
Hoc canimus, quodcunq; piis commune putamus,
Rixantesque queant aſſeruiſſe ſcholæ.
Non abit in partes mea pagina. dictat Ieſum,
Qui potuit mundo conciliaſſe Deum.
Suſtulit has partes, Groti facunde, Redemptor,
Ne faceret partes turba redempta novas.

In cubile Doctoris

STAPELII,

ſuſpenſis monſtris formidabile.

INter monſtra, feras, cœli, terræque, mariſque
Tutus inoffenſa ſimplicitate cubo.
Nil nocet innocuo virus, non toxica terrent,
Cui ſua præſentem fert medicina manum.
Torqueat in ſpiras ſinuoſus corpora ſerpens,
Fulminet ignivomo pendulus ore draco,
Et Peluſiacis miſſus crocodilus ab oris
Immineat capiti bellua ſæva tuo;
Illa minax acuat dentes, hæc acrior ungues,
Terribilis nulla eſt, nulla timenda mihi.
Quæ ratio viciſſe poteſt, prudentia ſpernit.
Nec ſua qui domuit crimina, monſtra pavet.

Lectule

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Lectule, ne timeas. domino mens conſcia recti eſt.
Illa metus omnes deſpicit, illa minas.

In ALBO *doctiſsimi Iuvenis,*

GVILIELMI NOOMSII.

CVI Sophiæ noſtris patuerunt vocibus horti,
Et Stagira ſuas priſca recluſit opes:
Nunc fidei cape ſigna meæ. bis teſtor amorem,
Et tibi jam geminâ me ratione probo.
Quæ Graji docuere, prius ſum verba locutus.
Nunc tibi, quo Pylades aſſolet, ore loquor.

In ALBO *eruditiſsimi adoleſcentis,*

SVFFRIDI SAECKEMA,

Gallias adeuntis.

GAllia, qui juvenis Friſiis tibi mittitur oris,
Vt placeat, titulo nobiliore venit.
Crede aliquid genitoris habes. pars illa Senatus
Dignior hoc vultus explicat ore ſuos.
Dilige depoſitum. nec, ſi tibi noſtra probantur
Federa, quem canimus, ſit tibi Belga gravis.
At Druidum poſtquam voces & verba loquetur,
Reſtituas patriæ pignora tanta ſuæ.
Hæc laudis pars magna tuæ eſt, formaſſe juventã.
Gallia, poſt voces, vivere poſſe docet.

In ALBO *Nobiliſs. Iuvenis,*

LVDOVICI ab AISSEMA,

convictoris mei.

QVæ patriis, præſtans Iuvenis, virtutibus abſens
Debeo, te coram non pudet illa loqui.

Hoſpes

Hoſpes abis. ſed enim tanti generoſa parentis
Ante oculos pernox ludit imago meos.
Hoſpitio ſic neuter abeſt. non diſtat amicis,
Non alio vivit ſidere, quiſquis amat.

In effigiem Caroli Quinti Cæſaris à CONSTANTINO HVGENIO *metallo donatam.*

QValis laurigeras, victricia tempora, frontes
Exhibuit populis urbs Tiberina ſuis,
Seu fuſum fuit illud opus, ſeu malleus artis
Autor adoratos preſſit in ære Duces:
Talis apud Batavos veteres Hugenius artes
Reddit, & hoc ſeclo deteriore ſapit.
Ingenium nuper torni rapuere, rotæque,
Et phialam doctæ diſpoſuere manus.
Ipſa ſuas ſtupuit formas mutabilis arbor,
Lignaque tum poterant plus placuiſſe ſibi.
Iam cœptis animoſa ſuis mens iſta metallo
Incubat, atque novis artibus æra domat.
Dextera Praxitelis, Polycleti induſtria, ſolers
Mentor in hoc uno nunc coiëre viro.
Adſpice cœlato noſtratem Cæſara plumbo,
Adſpice, materiam nobile vincit opus.
Quos timuit vultus Germania, Gallus, & Afer,
Quos timuit vultus Roma ſuperba, vides.
Conſtantine, tibi Carolúm debemus. at illum
Fingere tu ſolus cum ratione potes.
Scilicet ingentem qui Cæſara nomine reddis,
Hoc titulo proprios reddis in ære Deos.

In

In effigiem

L. REALII,

Rerum Indicarum ad Orientem Præfecti, Equitis, è Dania poſt naufragium reducis.

CVI proeul extremos nuper diffuſa per Indos
Gloria cum ſocio Sole peregit iter:
Sic oculos, ſic ora refert. hic ille Realî
Vultus, & Aonii Martia forma viri.
Quos meruit virtus titulos, tribuere Britanni,
Et clarum tetigit Cimbrica dextra caput.
Si reduci nocuiſtis aquæ, plus additur ergo
Laudibus. Ænean hac quoque ſorte refert.

Ad Ornatiſſ. & Matheſeos peritiſſimum Iuvenem,

D. IOHANNEM HEVRNIVM, I. V. D.

HEurnius æthereos ſtudio dum permeat orbes,
Totque Deos geſtit noſcere, totque Deas;
Iamque hic Erigonen, hic clarum Cephea ſpectat,
Quasque micans numerat Caſſiopeja faces,
Et medio pulchram Andromedā miratur Olympo,
Proximaque Arctois Gnoſia ſerta locis,
Pleïadum jubar, & radiantes nocte capillos,
Sideraque in celebres officioſa nurus:
Totus in Aſtræa defigens virgine vultus,
Subſtitit ad Dominæ præmia tanta ſuæ.
Teque ſequar Grajæ gentis decus, inquit: & illos,
Quos colis, affectat mens ſtudioſa lares.
Ibimus, &, Decios illac, Paulosque ſecutus,
Hos etiam greſſus per tua regna feram.
Quà pater Alciatus, juſti dictator, & æqui:
Marſilioque ſuum gloria ſtravit iter.

Quàque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Quàque paludati referens decreta Senatus,
  Curtius applauſu poſteritatis ovat.
Dixerat, & ſpacium Iuris dimiſſus in amplum,
  Cæſareas leges, magnaque verba capit.
Nec minus æternis gradientes legibus ignes,
  Cælicolûmque domos luſtrat, & ora Deûm.
Dumq; per immenſos Themidos diffunditur hor-(tos,
  Alter in Vraniæ poſcitur arte labor.
Sic geminæ placuere Deæ. nunc colligit unus
  Præmia doctrinæ non peritura ſuæ.
Quique laboranti patriæ ſuffragia reddet,
  Tandem etiam, cælo judice, ſidus erit.

In Appendicem ORTELII *&* ATLANTIS *editam à*

GVILIELMO CÆSIO.

AStra Deoſque ſuis quondam cervicibus Atlas
  Fulſiit, & tantum vertice geſſit onus.
Herculeæ juvere manus, jamque iſte duobus
  Nixa fuit cæli machina ſemideis.
Ex illo tremuere humeri, cervixque duorum,
  Roboraque heroas deſtituere ſuos.
Tertius accurrit portando Cæſius orbi,
  Et gemina librat maxima regna manu.
Quod Mauri potuere leves, quod ſedula Grajûm
  Pectora, non Batavus, non ſibi Belga negat.
At Batavo jam crevit onus. pars altera mundi,
  Addita terrarum portio magna fuit.
Addidit Occaſus Pariam, Chilenque, Peruque,
  Truſaque in immenſos æquora tota ſinus,
Guianæque domos, dorſiſque immanibus Andes,
  Victaque jam noſtrâ littora vaſta manu.
Suſtinuit mundum rector Mauruſius unum,
  Hic mundos audet ſuſtinuiſſe duos.

Egregia

Egregio ac Docto Iuveni

D. NICOLAO BOGARDO,

Cum Iuris V. Doctor, circa Caniculæ exortum, crearetur.

MAgne minorq́;Canis,quorũ jam lucida ſurgũt
Sidera, & arentes flamma perurit agros;
Torrida dum veſtris precium fervoribus æſtas
Accipit, & vultus induit illa novos:
Cernite Battavicâ juvenem de gente renaſci,
Splendidaque in patrios nomina ferre lares.
Hunc etiam ſuus ardor habet,doctamq; per urbem
Nobilior laudum ventilat aura facem.
Vritur Aſtrææ ſoboles, nec diſſidet aſtris,
Diſſimileſque ſibi non ſinit eſſe Deos.
Reſpondet natura ſcholæ, mens fervida cœlo,
Alter & alterius flagrat in igne calor.
At poſtquam ingenio magni ceſſere labores,
Actaque per Themidos templa juventa fuit:
Præmia reſtabant, & claris debita factis
Pilea, & auguſtæ ſyrmata longa togæ.
Quæ tibi dum lætis confert, *Bogarde*, triumphis
Patria, & hos plauſus, non ſine vate, probat:
Suſpice, quos ardens Procyon tibi temperat, ignes,
Et, quos jam cecini, plus venerare Canes.
Nos decus in terris aliquod muſſamus; at illi
Latratu titulos per ſua regna ferent.

Honori Doctiſsimi Iuvenis,

HERIBERTI de BEAVMONT,

de Nummis creditis, mutuo, commodato, depoſito, &c. diſputantis.

PAllens Nummule, tinnienſq́ue numme,
Dati nummule pignoris redemptor,
Obſes nummule, commodate numme,

Quem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Quem nec credere vult bonus libenter,
Nec quem reddere vult malus libenter:
Litis Nummule mater, & ſequeſter,
Everſor male numme nummulorum,
Lucrator bone numme nummulorum,
Qui nunc hunc potes obligare, & illum,
Nunc fidem vadimonio revincis,
Nunc egentibus alligas penates,
Agros, prædia, & incubare mœſtis
Noctes porticibus ſoles, dieſque:
Quam tu per populos potens & urbes,
Regum maxime, verticem ſuperbum
Circumfers, dominator Vniverſi!
Quam te vocibus invocat diſertis,
Argenti gravis eſuritione
Aulæ cultor, & haurit uſque ad oſſa
Clientem penitiſſimis medullis!
Quàm te caſtra cohorsq́ue peſſimorum,
Et furti venerantur inſtitores!
Quàm te templa colunt, & ære cunctos
Vendens ſat modico Deos ſacerdos.
Quàm te per Scythicas vagus pruinas,
Quàm te per Libycas vagans arenas
Mercator maleſanus expetiſſit!
Quam te numina ſumma litterarum
Summi numinis inſtar oſculantur,
Et ſeras tibi lucubrationes,
Et chartas tibi conſecrant & artes!
En Toxander, & optimi parentis
Proles altera, gratulante Leida,
Cauſas exequitur pecuniarum,
Et leges tibi prælegit ſeveras.
Format pignora, mutui patronus,
Docet depoſitum, tuosq́ue caſus,
Et tot nequitias maligniorum,
Et tot nequitias potentiorum,

Cona-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Conatur tribus explicare chartis.
Illam poſt operas laborioſas,
Curas multiplices, nec otioſas,
Poſt laudum titulos, licentiamque,
Iuris præmia, pileum, togamque,
Inter cauſſidicos tuos loquentem,
Inter virgineos choros amantem,
Et mox conjugis optimæ maritum,
Et pulchra ſobole beatiorem,
Multis Nummule nummulis inaura ,
Pallens Nummule, tinnienſque numme.

Ad

MAGNVM MOSCOVIÆ DVCEM.

MAximeDux, qui Sarmaticę moderamina terrę
Flectis, & Arctoæ ſceptra tremenda plagæ,
Et Scythicos inter fluctus, Tanainque remotum
Grande Lycaonio ſub Iove nomen habes:
Accipe quem Batavis Iuvenem tibi mittimus oris,
Imperio dudum pignora ſacra tuo.
Ille Machaoniâ languentes voce tiaras
Eriget, & pallens mox recreabit ebur.
Vt quantum generoſa tuæ Moſcovia vitæ
Debet, & incolumi Ruſſia tota Duci,
Debeat huic eadem tantum: pariterque ſalutis,
Et pariter regni fulciat unus opus.
Dat nobis Natura Duces, ſed ſervat Apollo.
Vitaque ſceptrorum, cura laborque Deûm eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Ad

IOHANNEM VOSSIVM,

Poſt habitam de Tutela & Cura, *cum laude, diſputationem, in Britanniam abeuntem.*

ANglia, quæ magni veneraris nomina *Voßi*,
Scriptaque, poſteritas quæ ſtudioſa leget:
Hunc juvenem, quem cernis, ama; doctiq; parentis
Progeniem cupias demeruiſſe tibi.
Emicat hic noſter patriis virtutibus orbis,
Inque tuas ardet clarior ire plagas.
Credere te fas eſt; Tameſi dum mittitur obſes
Filius, & cauſæ dat documenta ſuæ.
Quo prius ingenii fuerant tranſmiſſa paterni
Pignora, nunc illo ſanguine natus abit.
Non poterat totum genitor ſe tradere. corpus
Dividit, atque iſtâ jam quoque parte datur.

Ampliſsimo doctiſsimoque Viro

D. IACOBO vander STRATEN,

fervente mercatu Valckenburgico.

STat ſonipes, laxiſque ferox ſpectatur in agris,
Multaque virtutis dat documenta ſuæ.
Curritur, & quamvis nullo fera buccina cantu
Præcinat, audacis terga premuntur equi.
Ille jubas, aliuſque annos examinat emtor,
Collaque & argutum cum brevitate caput.
Eſt cui lenta placent alto veſtigia greſſu,
Quæque tegit totos pendula cauda pedes.
Diverſa ratione placent. merx ipſa caballus
Hinnit, & hinnitu ſe probat ipſa ſuo.
Fervent in ſtabulis operæ, per compita fervent,
Fitque forum pridem vomere ſciſſus ager.

Imus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Imus & immixti denſis, Stratene, catervis,
Grande tuæ paſſim cernimus artis opus,
Quadrupedum rabiem, nec duris ſueta lupatis
Ora, nec in gyros currere docta ſuos.
Cernimus, at rerum ignari, tantique laboris,
Ignari quâ ſint frena regenda manu.
Tu propera, gnaruſque forum ſpectator oberra;
Et medios inter ſis mihi doctor equos.
Tu mores geniumq; doce,quid turpe,quid aptum,
Quam bene venalis vel male currat equus.
Quem deceant maculæ,cervix erecta, minaxque,
Quem pes,quem feritas, quem ſua crura probet.
Quæ benè ſi diſcam, potero mox Caſtor haberi,
Si malè, Bellerophon pulverulentus ero.

In effigiem

ADRIANI PONTIFICIS,

Vltrajectini,

Ad Nobiliſs. Virum

ADRIANVM PLOOSIVM,

Vltrajectinum, Eq. Dominum in Thien-hoven, Oudegeyn, &c.

CVlmen adorandum, tripliciſq; inſignia mitræ,
Sceptraque Apoſtolicis turgida nominibus,
Et ſacroſanctos (ſed Roma judice) faſces,
Geſſiſti timida, Papa Adriane, manu.
Scilicet hos Carolo titulos, hæc munera debes,
Præmiaque à grato Principe tanta refers.
At tua tam grandi turgeſcens patria cive,
Iactat Pontificem ſe genuiſſe ſuum:
Quemq; dedit Rhenus, Tiberini ad fluminis urbem
Chriſtigenûm latè dicere jura gregi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Ecce tuos vultus donat meliore metallo
Plooſius, & tanti præſulis ora notat.
Quin gaudet donaſſe aliis, & munere in uno
Nos geminos voluit demeruiſſe ſibi.
At dum Pontificem totus te ſuſpicit orbis,
Non hic Pontificem te volet eſſe ſuum.

In eandem.

PRæſulis adſpexi triplex diadema Batavi,
Et Trajectenſis nomina ſculpta tui.
Patria communis vobis, communia deinde
Nomina, communis creditur ordo ſacer.
Attamen imperio gemini differtis, & ille
Dum cœli librat pondera, tu patriæ.

Ad eundem ex Dominis ab Aemſtel *oriundum.*

DVm genus & proavos claro de ſanguine, Plooſi,
Ducis, & Aemſtelio ſtemmate ſtemma trahis,
Totque fidem faciunt teſtes, inſignia, chartæ,
Secula quæ nondum paſſa fuere mori:
Nomina priſca tuis titulis, proceresque potentes
Inſeris, & cauſas nobilitatis habes.
Invide, quid dubitas? ſeriem numerare parentum
Non ſatagit, virtus cui ſua ſtemma facit.

Ampliſsimo doctiſsimoque viro,

D. IOHANNI SAECKEMA,

Curiæ Friſiorum Senatori.

AVlæ Senator, curiæque præluſtris,
Cui verba Minos dictat, Æacus juſſa,
Aſtræa ſacras temperat fori leges:
Ocelle Friſonum, qui ferè unus in clarâ
Tellure Muſas aſſeris ſuæ laudi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Nec litterarum regna, nec veternoſis
Sordere Phœbi templa vis magiſtellis:
Vindex leporis Attici atque Romani,
Omniſque tutor gratiæ ac venuſtatis:
En quæ verendis juſta manibus ſcripſi,
Atraſque voces, funebremque diſcurſum,
Laudantiumque grande ſyrma verborum,
Quæ fortè marmor poſcet, aut dolens ſaxum,
Aut ambulator mane vel die ſero
Cadaveroſis cernet in ſepulcretis.
Interpres adſum rancidus tuæ chartæ,
Tuiſque verbis verba reddo, ſingultum
Quæ lectitanti ſyncopenque mox faxint.
Hic mos & uſus optimæ vetuſtatis,
Et ſeculi, quod currit, ut rogi laudes
Aut ſcriptitet canatve poſthumus teſtis.
Si præficæ me deeſſe partibus credis,
Et invidendas ingredi per ampullas,
Encomiaſtem, ignoſce mœſta ſcribenti:
Si placeo docto judici ac Senatori,
Friſiæque ocellus illa non videt lævus,
Iuvabit hos expectoraſſe Scazontes.

In Tumulum Nobiliſsimi viri

ERNESTI ab AILYA,

Dongriæ Orientalis præfecti.

Viator adſta, paululumque, ſi vacat,
Subſiſte, donec, quis ſit hic cinis, ſcias.
Quem fata cœlo, fama terris conſecrat,
Æternitati vita, patriæ fides
Prudentiæque vis & impiger labor:
Erneſtus Alua clauſus hac urna jacet.
Hiſpanus odit, terra dilexit ſua,
Amavit omnis qui bonus, fugit malus.

Præ-

Præfectus agris jura, leges condidit.
Fecitque, quicquid imperaverat prior.
Legatus aulæ juſſa pandit exteris.
Martem cataſtis Belgicum coërcuit
Bis ſex in annos. ſceptra federe illigans
Iunxit potentes, conſilîque pondere
Sororiantis juvit imperî Patres.
At tu moneris, lenis ut ſis civibus,
Pernox honeſti cultor, æquus arbiter
Recti bonique, dantis oſor dexteræ,
Et juris empti. totus obſes publico,
Opum modeſtus æſtimator & tui.
Talis moneris eſſe, talis hic fuit.

In Pſalmos Epico Carmine redditos *à Doctiſsimo Viro* IEREMIA HOLTZLINGIO, exule.

IEſſæi numeros, & ſacri carmina vatis,
Et quondam profugi flebile Regis opus:
Otia ſceptrorum, facileſque in vota tiaras,
Aptavit fidibus Scotia docta ſuis,
Et cecinit ſeris victura poëmata ſeclis,
Qualia majeſtas poſtulet ipſa Dei.
Submiſere ſuos Alpina cacumina cantus,
Et voluit præſtans ſe quoque Beza legi.
Barbita quin etiam Lesboa tetenderat Auſon,
Flaminio dulces tunc iterante modos.
Vltima ne tantis deſit Germania curis,
Fatidicum, Holtzlingo vate, reſumit opus.
Et ſancto cum Rege dolet, queriturque, gemitque,
Et ſortis repetit triſtia fata ſuæ,
Regnorumq; vices, raptumque è crinibus aurum,
Verbaque ſollicitum quæ pia fudit ebur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Exulis autoris liber eſt. ne ſpernite Belgæ,
Materies domino convenit illa ſuo.
Iam quoque proſcriptis cedunt diademata ſceptris,
Et vates, profugo Principe, mœſta canit.

EPIGRAMMATA TRIA
Ad
CONSTANTINVM HVGENIVM,
trium natorum ex ordine patrem.

I.

NAtorum dum jura trium ſibi poſtulat ἄπαις
Bilbilicus, ſterili condolet aula thoro.
Quod natura negat, donat diadema poëtæ,
Et qui non fuerat, fingitur eſſe pater.
Conſtantine, tibi favit natura parenti,
Dum natos una conjuge tres generas.
Sic facilis Lucina tibi eſt, fortuna poëtæ;
Tu pater es, verum ius patris alter habet.

II.

Cum tibi prima daret genialis præmia lectus,
Et ſoboles riſit maſcula, jam Vir eras.
Cum fecunda marem conjunx ſuperadderet, ecce,
Te non difficili patre, Duumvir eras.
Tertia jam nato volvit cunabula nutrix,
Et me, ſi libeat, teſte Triumvir abis.
Sic tituli creſcunt, veterum pro more Quiritum,
Et tuus à fœta conjuge ſurgit honos.
At cum Septemvir fueris, vel fortè Decemvir,
Optabis mecum parcius eſſe pater.

III.

Vnum Parmenidi placuit, tria Pythagoreis,
Attamen ingenti bisduo Ariſtoteli:

Inſi-

Infinita docent Leucippus, Anaxagoraſque,
  Pro numero ſectam dum ſibi quiſque facit.
Conſtantine, tribus ſi ſtent tua baſia natis,
  Crederis Samiæ gratior eſſe ſcholæ.
Si quartum addideris, poterit Stagira placere.
  Quintus, & hinc ſextus, ſed ſine lege ruant.
Quod ſi Leucippi placeat ſententia, tantum
  Vt poſſis numerum gignere, gigne atomos.

DIRÆ FRANCISCI PETRARCHÆ
in tumuli ſui violatorem improbum.

QVis heu quietam parricida nocturnus
Laceſſit urnam? quis manu Thyeſtæâ
Satelles Orci, barbaruſque prædator,
Dudum ſepultis manibus ciet litem?
An rurſus orbi monſtra parturit tellus?
An alter Atreus, artuumque diſcerptrix
Colchis reſurgit? aut Lycaonis menſas
Dapibus nefandis hoſpes apparat quiſquam?
An fas, pudorque, & lex verenda ſecretæ
Mortalitatis, pulveriſque ſepoſti,
Ceſſere mundo? perdituſque ſuffoſſor
Impune ſacris oſſibus dicam ſcribit?
  Impure ſcurra, dedecuſque naturæ?
Probrum Deorum, ſorde concubinarum
Contaminate prædo, quid ferox audes,
Et latro pernox mortuum fatigare?
Petraque tectum ſeculoque ſubductum
Laceras poëtam? mortis archipirata,
Tyranne fati, ſubrutor ſepulcrorum,
Terræque, noſtrûm matris, exterebrator,
Princeps malorum, ſceleris anteſignane
Et primipile, quo minus venenator

Sicariuſque peccat, aut malus mœchus,
Pecuniæ reciſor, & bovinator,
Tortorque & expilator urbis ac fiſci.
In te omne crimen majus, ô pater furti,
Cui ſpem cadaver improbæ facit prædæ,
Spoliumque buſto, lucra morte quæruntur.
Super paternum Tulliæ furor corpus
Egit quadrigas. Fulviæ fuit luſus
Ludibriumque immane doctus Arpinas.
Furens Oreſtes matre peſſima pejor
Crudelis audit. omne flagitî punctum
Tu raptor exples, lancinator exſtincti,
Sacrique fœde funeris profanator.
An hac Quiritum dicta, facta taxantem
Mactas Petrarcham ſorte? vapulans quondam
Pœnas ſacerdos hocce poſcit à ſaxo?
Tam ſerus ultor. ſcilicet cui duplex
Fortuna ſcripta eſt, experitur adverſam.
Et quem malignus livor horruit vivum,
Iam mortuo jam bella dicit exangui.
Gemoniarum compedumque poſſeſſor
Future, flagris enecande tercentum;
Non te nocentis ipſa Tartari mater,
Non trux Megæra, Cerberuſque latrator,
Erebique ſævus portitor, nec implexam
Quatiens Alecto mille ab anguibus frontem,
Aut contueri aut tangere auſit inviſum.
Fuge impudice. terra, pontus & cœlum,
Quicquid deorum eſt, quicquid eſt deos infrà
Inſtant ſceleſto. quam mihi rapis partem,
Quod corpori eheu brachium revulſiſti,
Ante ora crudum ſtabit, & minans furi
Occultiore pectus ungue diſcerpet.
Animumque pravi conſcientia franget
Tortor perennis. Interim mei vivet
Pars iſta melior, famaque inſeret cœlo

Mor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Mortale nunquam nomen Itali vatis.
  Tibi Patavî cultor, ac domus Phœbi,
Tibi Arqua noſtri longa corporis cuſtos,
Padique multus accola, atque Veronæ,
Euganea tellus, Adriæque potator,
Non expiandas imprecantur hîc diras,
Proque hoc ſceleſtus ſcelere præda Campanis
Eris, lupiſque provolutus Hirpinis.
At vita poſtquam ceſſerit, jecur nequam
Famelicus alter exedet tibi vultur,
Vel orbe raptus, quo rotatur Ixion,
Elumbis, exos, fractus & lacer totus
Rapti Petrarchæ brachii lues pœnas.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

SVMMA PRIVILEGII.

Illuſtrium & Præpotentium D. D. Ordinum fœderatarum Belgiæ Provinciarum decreto cautum eſt Bonaventuræ & Abrahamo Elzeviriis, *Academiæ Leydenſis typographis, Nequis præter illorum aut hæredum voluntatem, intra ſeptennium proximum his in regionibus excudat, excudive procuret, aut alibi extra Provincias excuſum inferat edatve librum hunc, cui titulus,* Caſparis Barlæi poëmatum editio nova, priore caſtigatior, & alterà parte auctior. *Quodſiquis, contemptâ autoritate, directe vel indirecte, librum hunc, totum, vel partem ejus, hoc ſive alio modo, intra dictum temporis intervallum typis mandare, vel impreſſum alibi in has oras inferre & vendere præſumpſerit; confiſcationis exemplarium, mulctæque inſuper centum quinquaginta florenorum damnas eſto; uti latius patet in ipſo privilegio, dato Hagæ in conventu D. D. Ordinum Generalium,* XIII *Maji,* CIↃ IↃC XXXI.

S. V. HAERSOLTE V^t.

Ad mandatum præpotentium D. D. Ordinum General. ſſ.

CORN. MVSCH.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 28